Ludwig
L 40/360



REST DER ÜBERKLEBUNG
DES RÜCKENTITELS
14. VI. 1978 BACHEM

Actes IV 46

Coll. Linc.
S. S.

TERRAE MVSEI REGII DRESDENSIS

QVAS

DIGESSIT DESCRIPSIT

ILLVSTRAVIT

D. CHRISTIANVS GOTTLIEB LVDWIG

ACCEDVNT

TERRARVM SIGILLATARVM

FIGVRAE

LIPSIAE

EX OFFICINA LIBRARIA IOANN. FRIDER. GLEDITSCHII

A. O. R. MDCCXLVIIII.

EX OFFICINA FABRARIA IOANNIS FRIDER. GLEDITSCHII

FILIVS

FABRARVM SICILIARVMQVE

ACCEDVNT

FADMIC
D. CHRISTIANVS GOTTFRIED

ILLVSTRANTVR

DISSERIT DESCRIPSIT

QVAS

DRESDENSIS
WASSERKRAFT

PRAEFATIO.

EX quo AVGVSTISSIMVS POLONIARVM REX et ELECTOR SAXONIAE, PATER PATRIAE INDVLGENTISSIMVS, fixa a DIVO PARENTE veſtigia, vt in omni genere virtutum, ſic in bonarum litterarum ornandarum ſtudio, prementis, in conquirendis iis, quae ad inſtruendas et amplificandas liberales artes faciunt, eos, quibus id officii genus datum eſt, ſollicitos eſſe iuſſerat, fieri non potuit, quin etiam naturalis hiſtoria, in primis certe digna illa ſtudio hominis liberalis, ex OPTIMI REGIS vere Regio inſtituto, tantum incrementi ſplendorisque perciperet, vt ex ditiſſimo hocce theſauro, qui digne ſatis adumbrari non poteſt, quaedam tantum, ex quibus componitur, partes depromi et OPTIMI PRINCIPIS iuſſu, ſtrenuis naturae indagatoribus exhiberi potuerint.

Cum vero tam varia ſint Regii Muſei ornamenta, quam eſt ipſa rerum natura, terris quoque inter ea locus debuit concedi. Pretium enim et iuſtum quidem illud, terris, a non nullis ex eruditorum cohorte, conſtitutum inuenies, qui varias, quas caſus obtulerat, glebas, ſimul cum aliis naturae operibus, illuſtra-

tas

tas diuulgarunt. Circa finem ſeculi decimi ſeptimi Iohannes Paulus Wurffbainius, Norimbergenſis Medicus, de ſigillatis quidem terris inſcriptum librum moliebatur, cuius inſtituti operis, in quindecim capita diſtributi, deſcriptionem in Ephemeridibus Nat. Curioſ. Dec. II. An. VIII. in Append. pag. 123. propoſuit. Idem deinde agendum ſibi ſumſerat Auguſtus Quirinus Riuinus, celeberrimus quondam apud nos Medicinae Profeſſor. Qui, cum intellexiſſet Wurffbainianum inſtitutum, poſtquam viuis intereſſe deſiiſſet auctor, nec continuari, nec perfici prorſus poſſe, alacri animo eandem materiem ipſe aggreſſus, congeſtis iis, quae in variis auctoribus de terris notatu digna repererat, et ſuis, quae inter legendum enatae ipſi erant, obſeruationibus ſubiectis, viginti tabulas, quae ſigillatarum terrarum figuras referrent, aeri incidendas curauit, ſenio tamen confectus, imperfectum tantum et periturum forte opus reliquiſſet, niſi ſumma DIVI AVGVSTI munificentia factum eſſet, vt omnes ab illo collectae glebae, tabulae aeneae, de diverſis denique auctoribus excerpta, ab eius heredibus emerentur, et in Regium Muſeum reponerentur: His Wurffbainianae deinde, cum non nullis ſigillatis glebis, e ſcriniis Baieri, celeberrimi Medici Altorfini, emtae ſchedae acceſſerunt.

Cum

Cum itaque illuſtris Heucherus, qui, dum viueret, ex REGIS voluntate ſplendidi illius Muſei curam habebat, permulta de terris collecta iam eſſe perſpiceret, poſt hiſtoriam ſuccinorum, Regio ornatu condecoratam, ſimiliter de ſigillatis terris edendum opus meditabatur. De eo vero conficiendo ita ſtatuebat, vt Riuinianae aeque ac Wurffbainianae ſchedae penitius paullo inſpicerentur, et emendatae, in meliorem que ordinem redactae vna cum tabulis Riuinianis exprimerentur. Cum denique virum circumſpiceret, cui hoc opus facili ſane, vt videbatur, negotio perficiendum committeret, in me incidit, quem in ea, quae vegetabilia tractat, hiſtoriae naturalis parte occupatum, ſingulari ſemper fauore et indulgentia vere paterna dignum iudicauerat. Nec ego vero, qui tanto Viro quibus modis obſtrictus eſſem ſentiebam, de munere, quod mihi iniungebatur, ſubeundo dubius diu haerebam, neque putabam plenam foſſilium cognitionem ad terras, rite pertractandas, neceſſariam eſſe. At enim vero, rem ipſam aggreſſus, multis iisque grauiſſimis me irretitum perſpiciebam difficultatibus. Cum enim Wurffbainianae ſchedae tantum quatuor priora capita et partem quinti continerent, in iis vero de verbi terrae tantum ſignificatione, enumerandis variis tropis, ſcholaſtico more actum eſſet, imperfecti huius

libelli editionem inutilem prorſus futuram iudicabam. Riuini deinde aduerſaria euoluens, nec genuinas, nec ſufficientes eas, quae definiendis et rite diſtinguendis terris adaptari poſſent, notiones, ea, qua laudatiſſimus ille Vir in methodica plantarum deſcriptione fecerat, ratione praemiſſas inueniebam, exſcriptas tamen ex permultis auctorum, et geographico primum, chronologico poſtmodum ordine diſpoſitas legebam particulas, quae, quamuis ornamento et adiumento eſſe poſſent operi, congeſtae tamen, niſi accurata prius crudarum terrarum, in incrementum hiſtoriae naturalis inſtituta, contemplatio accederet, glebis ſigillatis illuſtrandis vix inſeruirent. Quae cum ita eſſent, ſepoſui illam, a ſolertiſſimo Viro ſuppeditatam, materiem, et nouam operi formam dare mecum conſtitui. Quod vt eo felicius perficeretur, primum eam, quam nunc ſequutus ſum, deſcriptionem operis feci: deinde cum vnius anni, quod mihi datum erat, ſpatio labor ille terminari non poſſet, quinquennium, vt concederetur, poſtulaui.

Placebat Heuchero communicata cum eo noua operis diſpoſitio, ſi modo intra biennium abſolueretur. Et ego quidem tanti Viri monitis incitatus, eius me voluntati pariturum promittebam, nec ea praeuide-

bam impedimenta, quae ſex annos abſumſerunt. Ad ipſum deinde opus cum accedere animus eſſet, vna cum ipſo Heuchero e ſcriniis Regii Muſei, praeter ſigillatas, omnes crudas potiſſimum delegimus terras, quas a Riuino, Volckmanno aliisque collectas inueniebamus. Cum vero ſigillatae quoque terrae, rectius ordinandae, adaugendae et in maioribus tabulis exprimendae eſſent, AVGVSTISSIMVS REX, pro ſingulari, qua bonas artes ſubleuat, munificentia, nouas tabulas exarari iuſſit. Neque ab illo tempore ſtudio vlli atque labori pepercimus, quo in variis, diſſitis quoque a nobis, regionibus ſollicite quoque conquirerentur glebae, quae ad hoc opus amplificandum atque perficiendum vllo modo prodeſſe viderentur. Et habemus ſane, cur permultis induſtriis hiſtoriae naturalis ſcrutatoribus, pro praeſtita nobis hac in re opera atque fauore, maximas publice decernamus grates.

Vt vero in limine adhuc conſtitutus, finiti nunc laboris rationem reddam, in ſex partes diuiſam materiem ita tractaui. In primo capite non nulla, quae ad terrae vniuerſam notionem pertinent, praemonenda eſſe putaui. In ſecundo deinde genera terrarum conſtituenda mihi ſumſi, quae, quo melius perſpici eoque felicius ſtabiliri poſſent, ipſius terrae definitionem, et

eas,

eas, quibus ab aliis mineralibus corporibus diſtinguitur, notas propoſui; characteres porro, qui terras crudas inter ſe diſcrepare faciunt, examinaui et confirmaui, adumbratos deinde in tabula, compendii cauſſa elaborata, generum conceptus vberiori explicatione illuſtrare tentaui, ex veterum aeque ac recentiorum ſcriptorum monumentis ea repetendo, quae clariores eos reddere videbantur. His praeſtitis, in tertio capite ſub ſuis generibus comprehenſas ſpecies conſtitui, quarum, etſi pauciores tantum indicaui, inſignem tamen varietatum copiam iis ſubieci, quo ampliſſimus Muſei Regii apparatus clarius inde appareret. In deſcribendis his terrarum varietatibus, primarias tantum, quae propriae ipſis ſunt, affectiones breuiter notaui; ſed quia in iis non nullae, in laude atque celebritate verſantes, inueniuntur terrae, in his declarandis fuſiori, vt poſtulabant, oratione vſus ſum. Sigillatis denique, quas capite quarto recenſui, terris, cum ea, quae ad naturam terrarum ſpectant, ſatisiam dilucidata in antecedentibus reperirentur, diutius inhaerere, non fuit neceſſe. Dum vero in hiſtoria terrarum pertractanda verſabar, variae mihi ſuboriebantur obſeruationes, quae omnes in quintum caput congeſtae, phyſicam quandam de terris tractationem conſtituunt. Etſi enim ſuſcepti operis ratio, quae exteriores tantum, et ex ipſa terrarum ſuperficie petitas notas, vt primum

et

et vnicum forte hiſtoriae naturalis fundamentum, exigebat, haud permitteret, vt inſtituto docimaſtico, quod vocare ſolemus, examine interiora terrarum luſtrarem, et obſeruatas hac methodo earum affectiones amplo ſermone proſequerer: generales tamen obſeruationes iis forte non diſplicebunt, qui ex hiſtorica corporum conſideratione ad phyſicam eorundem cognitionem progrediendum eſſe norunt. Cum denique expectanda a terris in medicina virtus a plerisque ſcriptorum nimium forte extollatur, ab aliis vero nimis deprimatur, medici partes expleturus, de terris, vt medicina, in ſexto et vltimo huius operis capite dixi: ex quo ea forte, quae ſparſim ab auctoribus notata inueniuntur, rite, vt decet, examinari et iudicari poterunt.

Ex his intelliges, Beneuole Lector, vel me non monente, non Wurſſbainiana, neque Riuiniana, de ſigillatis terris promiſſa, opera coniunctim hic edita, ſed novam plane ad copiam glebarum, quae in inſtructiſſimo CLEMENTISSIMI REGIS Muſeo aſſeruantur, tanquam ad normam, elaboratum opus proponi. Nec arroganter me nouum opus hoc praedicare, neque aliorum labores mihi tribuere, alienisque me plumis condecoratum incedere, quisquam debet exiſtimare. Propoſita enim operis deſcriptio clare, vt opinor, teſtatur,

cum crudas potiſſimum terras reſpexerim, et ſigillatas glebas tantum ornamenti gratia appoſuerim, ad exactam illam recentiorum hiſtoriae naturalis ſcriptorum normam, haud vltimam hanc foſſilium partem, quantum eius facere potui, me declaratam dediſſe. Wurffbainii ſchedae non nulla tantum, in primo huius operis capite paſſim reperiunda, nobis ſuppeditarunt: quae tamen ipſe ita comparata inuenies, vt commode ſatis a nobis reticeri potuiſſent. Riuini autem aduerſaria ſaepius adiumento mihi fuiſſe, libenter profiteor. Cum enim induſtrius ille naturae ſcrutator permultas, ipſis auctorum verbis, deſcripſiſſet terras, et ſuis non nunquam obſeruationibus illuſtraſſet, facili admodum labore ad libros eorundem hac ratione deducti, tantum, quantum libebat, haurire potuimus; proprias vero Riuini annotationes, ſuo quamlibet loco, adiecto auctoris nomine, collocauimus. Ceterum in hoc opere et inchoando et abſoluendo plurimum nobis profuerunt illuſtris Heucherus, et cui poſt eius obitum Regii rerum naturalium theſauri cura commiſſa eſt, amiciſſimus Eilenburgius, cunctis mecum humaniſſime communicatis, quae ex ampliſſimo illo apparatu ad illuſtrandam terrarum hiſtoriam vllo modo pertinere videbantur.

Haec

Haec ſunt, Bone Lector, quae breuiter tantum de huius operis hiſtoria praemonere placuit. Vota velim facias nobiſcum, pro AVGVSTISSIMI REGIS incolumitate, Splendidiſſimae REGIAE GENTIS felicitate, et ſub proſperrimis PATRIS PATRIAE INDVLGENTISSIMI auſpiciis, artium, quae a nobis coluntur, augmenta felicia laetus expecta. Quod ad praeſens hoc Regiae Munificentiae documentum attinet, vt feliciter illo vtaris opto. Seligas certa, emendes et ſuppleas, quae in tanta corporum varietate adhuc deficere videntur. Si qui forte errores irrepſerint, amice eosdem mecum communices rogo, ac cogites, nihil eſſe ex omni parte perfectum. Scripſi Lipſiae. Ipſis Kalendis Octobris. 1749.

Praecipui qui de Terris ſcripſerunt Auctores.

AETIVS AMIDENVS

Libri XVI. in tres tomos diuiſi. Baſileae 1535. fol.

AGRICOLA GEORGIVS

De Re Metallica Libri X. acc. de Ortu et cauſſis ſubterraneorum Libri V. de Natura foſſilium Libri X. et alia. Baſileae 1657. fol.

ALDROVANDVS VLYSSES

Muſeum Metallicum, in Libros IV. diſtributum, a *Barthol. Ambroſino* compoſitum, edente *Marc. Anton. Bernia*. Bononiae. 1648. fol.

ALBINVS PETRVS

Meiſniſche Land- und Berg-Chronica. Dreſden 1589. fol.

AMATVS LVSITANVS

Enarrationes in Dioſcoridem de Materia Medica. Venetiis 1557. 4.

ANONYMVS

Del Bagno di Nocera nell Vmbria. 1689.

Bericht von der wahren Strigauiſchen Terra Sigillata. 1721. 4.

AVICENNA

Opera. Tom. I. II. Venetiis 1564. fol.

BAIERVS IOHANNES IACOBVS

Oryctographia Norica. Norimbergae 1708. 4.

BALBINVS BOHVSLAVS

Miſcellanea Hiſtoriae Regni Bohemiae. Pragae 1678. fol.

BECCHERVS IOHANNES IOACHIMVS

Phyſica Subterranea. acc. Specimen Becherianum opera *Georg. Erneſt. Stahlii*. Lipſiae. 1703. 8.

BELLONIVS PETRVS

Les obſeruations de pluſieurs ſingularitez et choſes memorables, trouvées en Grece, Aſie, Indée, Egypte, Arabie, redigées en trois livres, reveuz et augmentez de figures a Mr. le Cardinal de *Tournon*. a Paris 1555. 4.

Vſi praeter ea quoque ſumus latina verſione *Caroli Cluſii* edit. cum eiusdem Exoticorum Libr. X. Antwerpiae 1615. fol.

BERTHOLDVS ANDREAS

Terrae ſigillatae nuper in Germania repertae vires atque virtutes admirandae eiusque adminiſtrandae et vſurpandae ratio. Francofurti ad Moen. 1583. 4.

BESLERVS MICHAEL RVPERTVS

Gazophylacium Rerum Naturalium e regno vegetabili, animali et minerali depromptarum. Noribergae 1642. fol.

BEVRERVS AMBROSIVS

De Lapide Oſteocolla inquiſitio. Philoſophical Tranſactions 1745. Numb. 476. Obſerv. 8. pag. 373. ſqq.

BOCCONE PAVLVS

Muſeo di Fiſica e di Eſperienze. Venetiis 1697. 4.

De Materia ſimili Lithomargae Agricolae, quae in cauitate ſaxorum in diſtrictu ciuitatis Rothomagenſis inuenitur. Ephemerid. Nat. Curioſ. Cent. I. II. Obſerv. 2. pag. 5 ſqq.

BOERHAAVIVS HERMANNVS

Elementa Chemiae Lugd. Batav. 1732. 4.

BOETIVS ANSELMVS

Gemmarum et Lapidum Hiſtoria. acc. *Iohann. de Laet* de Gemmis et Lapidibus Libr. II. Lugd. Batav. 1647. 8.

BRASSAVOLVS ANTONIVS MVSA

Examen Omnium Simplicium Medicamentorum. Venetiis 1545. 8.

BRÜCKMANNVS FRANCISCVS ERNESTVS

Epiſtolarum Itinerariarum Centuria ſecunda Wolfenbütt. 1749. 4.

Huc pertinent. Epiſt. 93 ad 100.

CAESALPINVS ANDREAS

De Metallicis Libri III. curante *Cornel. Agricola* Noribergae 1602. 4.

CALSIVS BERNHARDVS

Mineralogia ſeu Naturalis Philoſophiae Theſauri, in quibus metallicae concretiones, medicamentorumque foſſilium miracula, terrarum pretium etc. continentur. Lugduni 1636. fol.

CAMERARIVS IOACHIMVS

Synopſis Commentariorum de Peſte. Noribergae 1583. 8.

CHARLETONVS GVALTERVS

De Variis Foſſilium Generibus Schediasma, annexum eiusdem Exercitationibus de Differentiis et Nominibus Animalium. Editio ſecunda Oxonii. 1677. fol.

CHIOCCVS ANDREAS

Muſeum *Franciſci Calceolarii*, a *Bened. Ceruto* inceptum, ab *Chiocco* deſcriptum et perfectum. Veronae 1622. fol.

CONRINGIVS HERMANNVS

Diſſertatio de Terris. Reſpond. Probſtio. Helmſtadii 1678. 4.

CORBEIVS THEODORVS
Pharmacia Bipartita. Francofurti 1656. 4.

CRAMERVS IOHANNES ANDREAS
Elementa Artis Docimaſticae. Editio ſecunda. Lugd. Batav. 1744. 8.

CRATO A KRAFFTHEIM IOHANNES
Epiſtolae, editae cum *Laur. Scholzii* Epiſt. Philoſ. Medicin. Volum. Francofurti ad Moen. 1598. fol.

CROLLIVS OSWALDVS
De Signaturis Internis Rerum. annex. Eiuſd. Baſilicae Chymicae. Francofurti 1609. 4.

DALE SAMVEL
Pharmacologia. Editio quarta. Lugd. Batau. 1739. 4.

DEGNERVS IOHANNES HARTMANNVS
Diſſertatio de Turfis. Traiect. ad Rhen. 1729. 8.

DIOSCORIDES PEDACIVS
Pharmacorum Simplicium Reique Medicae Libri VIII. *Ioh. Ruellio* interprete cum *Hermolai Barbari* et *Marc. Vergilii* annotationibus. Argentorati 1529. fol.

DONZELLI GIVSEPPI
Theatro Farmaceutico. Venetiis 1681. 4.

ENCELIVS CHRISTOPHORVS
De Re Metallica. h. e. de origine, varietate et natura corporum metallicorum, lapidum etc. Libri III. Francofurti 1551. 8.

della FABRA ALOYSIVS
De Terra Minerali Nucerana diſſertatio. Continetur in Eiusdem Diſſertat. phyſico medicis. Diſſ. II. Ferrariae 1712. 4.

FALLOPIVS GABRIEL
De Metallis ſiue Foſſilibus. Vſi ſumus editione operum Francofurti 1584. fol.

FISCHERVS DANIEL
De Terra Medicinali Tokayenſi a chemicis quibusdam pro ſolari habita. Wratislaviae 1732. 4.

GALENVS CLAVDIVS
Hippocratis et *Galeni* Vniuerſa Opera in XIII Tomos diſtincta. Graece et latine ex verſione et cum notis *Renati Charterii* Lutet. Pariſ. 1679. fol.

GEILFVSIVS IOHANNES GODOFREDVS
Kurtzer Bericht von der Laubachiſchen Bezoartiſchen Siegel-Erde. Gieſſen 1676. 4.

Latinitate donatus liber prodiit cum *J. G. Liebknechtii* Diſcurſu de Diluuio maximo, occaſione inuenti nuper in comitatu Laubacenſi in mineram ferri mutati ligni. Gieſſae. 1714. 8.

GEOFFROY STEPHANVS FRANCISCVS
Tractatus de Materia Medica Tom. I. de Foſſilibus. Pariſiis 1741. 8.

GESNERVS CONRADVS
De Rerum Foſſilium, Lapidum et Gemmarum maxime figuris et ſimilitudinibus liber. Editus cum libro de omni rerum foſſilium genere, gemmis, lapidibus, metallis et huius modi libris aliis *Kentmanni*, *Fabricii* etc. Tiguri 1565. 8.

GREWIVS NEHEMIAS
Muſeum Regalis Societatis, or Catalogue et deſcription of the natural and artificial Rarities belonging to the royal Society. London. 1681. fol.

HEBENSTREITIVS IOHANNES ERNESTVS
Muſeum Richterianum, continens foſſilia, animalia, vegetabilia, marina illuſtrata iconibus et commentariis. Lipſiae. 1743. fol.

Diſſertatio de Terris. Reſpond. Luthero. Lipſiae 1745. 4.

HELWINGIVS GEORGIVS ANDREAS
Lithographiae Angerburgicae Pars I. Regiomonti. 1717. Pars II. Lipſiae 1720. 4.

HENCKELIVS IOHANNES FRIDERICVS
Examen Terrae Margae arſenicalis, Schaben-Gifft Ephemerid. Nat. Curioſ. Vol. II. Obſerv. 156. pag. 364.

Mediorum Chimicorum non vltimum coniunctionis primum appropriatio. Dreſdae 1727. 8.

HERMANNVS DAVID LEONHARDVS
Maslographia Sileſiaca. Briegae 1711. 4.

HERMANNVS PAVLVS
Cynoſura Materiae Medicae, diffuſius explanata et continuata curante *Ioh. Boeclero*. Argentorati 1726. 4.

HIPPOCRATES vide GALENVS.

HOFFMANNVS CASPAR
Paralipomena Officinalia, annexa Libro de Medicamentis officinalibus. Lugd. Batau. 1738. 4.

HOFFMANNVS FRIDERICVS
Clauis Pharmaceutica Schroederiana, acc. Eiuſd. Theſaurus Pharmaceuticus. Halae 1675. 4.

IACOBAEVS OLIGER
Muſeum Regium, ſiue Catalogus rerum tam naturalium, quam artificialium, quae in Baſilica Bibliotheca Daniae Norwegiaeque Monarchae Chriſtiani V. Hafniae aſſeruantur. Hafniae 1696. fol.

IACOBI LVDOVICVS FRIDERICVS
Diſſertatio de Terris Medicatis Sileſiae. Reſpond. Henrici. Erfordiae 1706. 4.

IMPERATVS FERRANDVS
Hiſtoriae Naturalis Libri XXIIX. cum *Iohan.*

Mar. Ferri annotationibus nunc primum ex italica in linguam conuersa latinam. Coloniae 1695. 4.

IONSTONVS IOHANNES

Notitia Regni Mineralis, siue subterraneorum catalogus. Lipsiae 1661. 12.

IOHRENIVS CONRADVS

Dissertatio de Arthritide vaga scorbutica et huius occasione quaedam de Terra medicinali Freyenwaldensi. Respond. Gahrling van der Müllen Francofurti ad Viadr. 1706. 4.

KENTMANNVS IOHANNES

Nomenclaturae Rerum Fossilium, quae in Missnia praecipue et aliis quoque regionibus inueniuntur. Edit. cum *Conr. Gesnero* de Fossilibus.

KIRCHERVS ATHANASIVS

Mundus Subterraneus in XII. Libros digestus. Editio tertia. Amstelodami 1678. fol.

KLEINIVS IACOBVS THEODORVS

Sciagraphia Lithologica Curiosa, siue Lapidum figuratorum nomenclator. Gedani 1740. 4.

KOENIGIVS EMANVEL

Regnum Minerale Generale et Speciale. Basileae 1703. 4.

KUNDMANNUS JOHANNES CHRISTIANVS.

Rariora Naturae et Artis item in re medica. Wratislaviae. 1737. fol.

De Terris Sigillatis Melitensibus et Terra sigillata Magnipluſniconſi. Breslauische Sammlungen von Natur und Medicin, wie auch Literatur-Geschichten. Versuch XX. Mens. Junio. Class. IV. Artic. 5. et 6. pag. 597. seqq.

LACHMUNDUS FRIDERICUS

Oryctographia Hildesheimensis. Hildesheimii 1669. 4.

de LAET JOHANNES

De Gemmis et Lapidibus Libri II. Edit cum *Boetio.*

LANCISIVS JOHANNES MARIA

Dissertatio de Ortu Vegetatione et Textura Fungorum, edita cum *Marsilio* de Generatione Fungorum. Romae 1714. fol.

LANGIUS CAROLUS NICOLAVS

De Lacte Lunae Dissertatio. Annexa Eiusdem Historiae Lapidum Figuratorum Heluetiae. Lucernae 1705. Hac editione destituti, vsi sumus illa, quae legitur in Ephemerid. Nat. Curios. Dec. III. Ann. 9. et 10. Append. pag. 207.

LEMERY NICOLAUS

Traité vniversel des Drogues simples, mises en ordre alphabetique. Troisieme edition a Paris 1716. 4.

LENTILIUS ROSINUS

Obseruationes de Turfis seu cespitibus, foco Batauorum instruendo seruientibus. Ephemer. Nat. Curios. Vol. I. Observ. 115. pag. 228. seqq.

LIEBKNECHT JOHANNES GEORGIVS

Discursus de Diluuio Maximo, occasione inventi nuper in comitatu Laubacensi in mineram ferri mutati ligni. Giſſae 1714. 8.

LINNAEVS CAROLVS

Systema Naturae siue tria regna naturæ systematice proposita. Lugd. Batav. 1735. fol.

Adhibuimus quoque editionem sextam, quae prodiit Holmiae 1748. 8.

MAIOR JOHANNES DANIEL

Dissertatio de Lacte Lunae. Respond. Sennerto. Kilonii 1667. 4.

MAIVS HENRICVS

Panacea Laubacensis, das ist, kurtze und gründliche Beschreibung der Laubachischen Siegel-Erde.

MARXIVS JOHANNES JACOBUS

Neuvermehrte und verbesserte Deutsche Material-Kammer. Nürnberg 1709. 8.

MATTHIOLVS PETRVS ANDREAS

Opera Omnia a *Casp. Bauhino* edita. Francofurti 1598. fol.

MERCATVS MICHAEL

Metallotheca Vaticana, Opus posthumum ex recensione et cum notis ac appendice *Joh. Mar. Lancisii.* Romae 1719. fol.

MERRETVS CHRISTOPHORVS

Pinax Rerum Naturalium Britannicarum. Londini 1667. 8.

MICHAELIS JOHANNES MARTINVS

Museum Spenerianum, siue Catalogus rerum artificiosarum, naturalium etc. quas *Joh. Jac. Spenerus* collegit lat. german. Lipsiae 1693. 8.

MONTANVS JOHANNES

Breve sed exquisitum vereque philosophicum iudicium de vera, natiua omnisque artis et fuci experte terra sigillata Strigae a se inuenta. Vratislaviae 1610. 4.

MORO ANTON LAZARO

De Crostacei e de gli altri marini corpi. Venetiis 1740. 4.

MOSCARDVS LUDOVICVS

Del Museo noti overo memorie. in Padoua 1656. fol.

MYLIVS GOTTLOB FRIDERICVS

Memorabilium Saxoniae Subterraneae Pars I. i. e. des unterirrdischen Sachsens seltsame Wunder der Natur Lipsiae 1709. Pars II. ibid. 1718. 4.

NEANDER MICHAEL

Physice. Lipsiae 1585. 8.

ORIBASIVS

Opera, quae extant omnia, tribus tomis digesta *Joh. Bapt. Rosario* interprete. Basileae 1557. 8.

PATINVS CAROLVS

Traité des Turbes combustibles. a Paris 1663. 4.

PAVLVS AEGINETA

Opera *Joh. Guinterio* interprete et cum *Jani Cornarii* annotationibus. Lugduni 1589. 8.

PERSON CHRISTIANVS

Kurtzer Bericht von der Natur und Eigenschafft des Rochlitzer Steinmarkes. Witteberg. 1596. 8.

PILLINGIVS MATTHIAS ZACHARIAS

Bitumen et Lignum fossile descriptum. Altenburgi 1674. 8.

PLINIVS SECVNDVS CAIVS

Historia Naturalis cum interpretatione et notis *Joh. Harduini*. Parisiis 1723. fol.

POMET PETRVS

Histoire generale des Drogues traitant des plantes, des animaux et des mineraux. a Paris 1694. fol.

POTERIVS PETRVS

Opera omnia medica et chymica cum annotationibus et additamentis *Fridr. Hoffmanni* Francofurti ad Moen. 1698. 4.

POTTIVS JOHANNES HENRICVS

Chymische Untersuchungen welche von der Lithogeognosia oder Erkänntniss und Bearbeitung der einfachen Steine und Erden handeln. Potsdam 1746. 4.

VON RANOVW WILLEM

Natuur en Konst Kabinet. Amsterdam 1719-1723. 8.

REAVMVR

De la Nature de la terre en general et du caractere des differentes especes des Terres. Memoires de l'Academie Royale des Sciences 1730. pag. 349. seqq.

RICHTER DANIEL

Saxoniae Electoralis Terra Miraculosa. Schneeberg. 1732. 4.

RIVINVS JOHANNES AVGVSTVS

Dissertatio sistens tentamina circa terras medicinales. Respond. Mieckisch. Lipsiae 1723. 4.

ROSENBERGIVS JOHANNES CAROLVS

Rosa nobilis iatrica. Argentorati 1624. 12.

RUMPFIVS GEORGIVS EVERARDVS

Amboinsche Rarität-Kammer. t' Amsterdam 1705. fol.

SALMASIVS CLAVDIVS

Exercitationes Plinianae. Item *Caii Julii Solini* Polyhistor. acc. Exercit. de homonymis Hyles Jatricae nec non de Manna et Saccharo. Traj. ad Rhen. 1689. fol.

SARACENVS JANVS ANTONIVS

Commentarius de Peste. Lugduni 1572. 8.

SAVARY JACOBVS

Dictionaire universel de Commerce, œuvre posthume, continué sur les memoires de l'Auteur, et donné au public par *Philemon Louis Savary* Tom. I.-III. a Amsterdam 1726. 4.

SCHENCKIVS JOHANNES THEODORVS

Dissertatio de Terra sigillata. Respond. Gigas Jenae 1664. 4.

SCHEUCHZERUS JOHANNES JACOBUS

Naturgeschichte des Schweitzerlandes I. II. Theil. Zürch 1706. 4.

Itinera Alpina in IV. Tomos distributa Lugd. Batav. 1723. 4.

SCHOOCKIVS MARTINVS

De Turfis seu cespitibus bituminosis. Groeningae 1658. 12.

SCHROECKIVS LVCAS

De Farina minerali. Ephemerid. Nat. Curios. Dec. III. Ann. VII. & VIII. Observ. 209. p. 353. sqq.

SCHWENCKFELT CASPARVS

Stirpium et Fossilium Silesiae Catalogus. Lipsiae 1600. 4.

SCRIBONIVS LARGVS

Compositiones medicae ex recensione et cum notis ac Lexico Scriboniano *Joh. Rhodii*. Patavii 1655. 4.

SENNERTVS DANIEL

Epitome Naturalis Scientiae. Vsu sumus editione Operum Lugduni 1676. fol.

SEVERINVS MARCVS AURELIVS

Epistola de Lapide fungifero edita cum *Baptist. Fierae* Coena. Patavii 1649. 4.

SEYFRIED JOHANNES HENRICVS

Neu aufgelegte und vermehrte Medulla mirabilium Naturae. Nürnberg 1694. 8.

SIBALDUS ROBERTUS

Scotia illustrata siue Prodromus Historiae naturalis. Edimburgi 1684. fol.

STAHLIVS GEORGIVS ERNESTVS

Specimen Beccherianum, vid. *Becher*.

Opusculum chymico-physico medicum. Halae 1715. 4.

STELLUTUS FRANCISCUS

De Ligno fosili minerali nouiter detecto. Romae 1635. Cum haec editio ad manus non esset, adhibuimus eam, quae extat in Ephemer. Nat. Curios. Dec. I. Ann. III. Append. pag. 523. seqq.

SVLZERVS JOHANNES GEORGIVS

Beschreibung der Merckwürdigkeiten, welche er in einer im Jahr 1742. gemachten Reise durch einige

einige Orte in der Schweitz entdecket. Zürch 1743. 4.

SYLVATICVS MATTHAEVS

Opus Pandectarum Medicinae. Venetiis 1511. fol.

THEOPHRASTVS ERESIVS

Liber de Lapidibus interprete *Dan. Furlano.* Vſi ſumus editione Operum, quae prodiit Hanoviae 1605. fol.

TOVRNEFORTIVS PITTONVS

Relation d'un Voyage du Levant Tom. I. II. a Amſterdam 1718. 4.

TRALLES BALTHASARVS LVDOVICVS

Virium, qvae terreis remediis gratis hactenus adſcriptae ſunt, examen rigoroſius. Vratislaviae 1740. 4.

VALENTINI MICHAEL BERNHARDVS

Prodromus Hiſtoriae Naturalis Haſſiae. Gieſſae 1707. 4.

Muſeum Muſeorum, oder vollſtändige Schaubühne der Natur-und Materialien-Kammer, Tom. I-IV. Franckfurt 1714. fol.

Hiſtoria Simplicium Reformata ſub Muſei Muſeorum titulo antehac in vernacula edita, nunc a *Joh. Conrad Beckero* latio reſtituta. Francofurti. 1716. fol.

De Terra Sigillata Brachmanum. Ephemer Nat. Curioſ. Cent. I. II. Obſeru. 179. pag. 384.

VOLCKMANNVS GEORGIVS ANTONIVS

Sileſia Subterranea. Lipſiae 1720. 4.

WAGNERVS JOHANNES JACOBVS

Hiſtoria Naturalis Heluetiae curioſa in VII. Sectiones compendioſe digeſta. Tiguri 1680. 12.

am. WALD GEORGIVS

Bericht und Erklärung wie und was Geſtalt das new von ihm erfundene Terra Sigillata und Vniuerſal - Artzeney zu gebrauchen ſey etc. Gedruckt zu St. Gallen 1582. 4.

WALLERIVS JOHANNES GOTTSCHALK

Mineralogia, eller Mineral Riket indet och beſkrifuit. Stockholm 1747. 8.

WOODWARDVS JOHANNES

Foſſils of all kinds, digeſted into method. London. 1728. 8.

WORMIVS OLAVS

Muſeum, ſiue Hiſtoria rerum rariorum, tum naturalium, quam artificialium, qvae Hafniae in aedibus Authoris ſeruantur. Amſtelodami 1655. fol.

CAPVT

CAPVT I.

DE TERRA IN GENERE.

Corporum naturalium generatio et diſſolutio quotidie obſeruata, huius vniuerſi mutationes conſiderantibus, haud leue praebet oblectamentum. Etſi vero abſtruſa elementorum natura eorumque affectiones ab acutiſſimis quoque philoſophis perſpici nequeant; crebra tamen phaenomenorum contemplatio, quae illos, qui res naturales praetereuntes tantum intuentur, nec in cauſſas inquirunt, egregia varietate delectat, attentos rerum naturalium ſcrutatores noua ſemper ſpe, incognita adhuc detegendi, allicit, et ad interiora rimanda impellit.

Terra, foecunda vtpote mater, in gremio ſuo ſemina continet, ex quibus corpora trium naturae regnorum temporis ſucceſſu formantur. Ipſa haec corpora, iterum diſſoluta, ad terram redeunt, quo noua mutatione facta, per tot mixtionum et aggregationum ſeries, varia ſemper et noua forma ſe nobis ſiſtant. Diuerſiſſimae foſſilium particulae, in terra, aqua et aere diſperſae, plantarum vegetationi inſeruiunt, et in his omne animalium nutrimentum praeparatur. Poſtquam enim particulae in ſuccos vegetabilium delatae nouas mixtiones ſubierunt, peculiarem quidem ſibique propriam recipiunt naturam, aptae tamen magis euadunt, quae ab animalibus in nutrimentum conuertantur. In his enim vltimam nutritionem et incrementum praeſtare non poſſent, niſi mutationibus illis ad naturam animalium propius accederent. Nam praeter digeſtionem, in primis viis peragendam, circulus humorum, qui a cordis vi et aliis cauſis, in corpore concurrentibus, dependet, motum particularum inteſtinum efficit atque intendit, et ita mixtionem animalem perficit. Quem vero latet, poſt tantas mutationes omnia iterum ad terram

redigi, quippe quae putrefactis vegetabilium et animalium particulis repleta, ad nouam vegetationem diſponitur.

Ob has forſitan mutationes, imperfecte tantum cognitas, ſuperſtitioſa gentium turba, terram magnam deorum et hominum appellauit matrem, eamque OPIS [a] nomine numinum ſuorum adſcripſit catalogo, vel etiam ſub ISIDIS et CYBELES imagine, multis mammis praeditam depinxit [b]. Hominum eam eſſe matrem, ipſe ſacer codex teſtatur [c], ſacrarumque literarum commentatores quidam, hominum primum ex terra argillacea, rubra factum fuiſſe, declarant [d]. Naſcimur enim et nos ex terra, et ex eius gremio depromti, iis quoque nutrimur corporibus, quae ex terra originem capiunt et incrementum, et tandem poſt breuem vitam in terram iterum reuertimur [e]. *Terrae vni rerum naturae partium, eximia propter merita, cognomen indidimus maternae venerationis. Sic hominum illa, vt coelum Dei: quae nos naſcentes excipit, natos alit, ſemelque editos ſuſtinet ſemper: nouiſſime complexa gremio, iam a reliqua natura abdicatos, tum maxime, vt mater operiens* [f]. Hinc etiam veteres recens natos, ſtatim a partu, in terram depoſuerunt [g], vlnisque optimae rerum matris tradiderunt [h].

Mater

a) Ops vocata fuit terra, quod ad mentem M. TERENTII VARRONIS de Lat. Ling. ad M. T. CICERONEM Lib. IV p. 16 Edit. Op. quae ſuperſunt, 1573, 8, HENRIC. STEPHANI: *Heic omne opus et hoc opus ad viuendum; et ideo dicitur Ops mater, quod terra nutriat, haec enim terreis genteis omneis peperit, et reſumit denuo, quae dat cibaria, vt ait Ennius, quae, quod gerit fruges, Ceres.* Vel vt CAROL. STEPHANVS Dict. Hiſt. Geograph. Poet. mauult, ab antiquo adiectiuo ops, quo veteres pro diuite vtebantur.

b) KIRCHERVS in Oedipo Aegyptiaco Sect. III cap. 4 et 7.

c) Geneſ. cap. II v. 7: *Hominem Deus ex terrae puluere formauit.*

d) CORNELIVS A LAPIDE Commentar. in Pentateuch. in locum modo citatum commentatus eſt his verbis: Pro limo terrae ebraice eſt: עָפָר מִן־הָאֲדָמָה aphar min haadama, id eſt, pulverem de terra. Septuaginta interpretes vertunt puluerem accipiens e terra. *Sed hunc puluerem,* inquit TERTVLLIANVS, *Deus addito optimo liquore, in limum et quaſi argillam coagulauit, puluis enim aridus inidoneus eſt ad plaſmandum: puluis ergo hic humectatus erat, ideoque limus.* Rurſum adama (ex qua formatus et dictus eſt Adam) ſignificat terram rubram, vnde ex terra rubra, quae eſt in agro Damaſceno, non vrbis Damaſci, ſed agri cuiusdam ſic dicti, qui eſt iuxta Hebron, creatum eſſe Adamum, Ebraeorum eſt traditio. Certiſſimum interim eſt, inquit BVXTORFF Lex. Ebraic. ebraeam radicem, אָדָם adam ſignificare rubere, rubrum vel ruffum eſſe, inde אָדָם Adam homo, ac אֲדָמָה adama, terra culta proprie rubri ſiue argillacei coloris.

e) Geneſ. cap. III v. 19: Cum vultus tui ſudore victum tolerabis, donec redeas in humum, ex qua ortus es. Nam puluis es, et in puluerem redibis. Vid. AVGVSTINVM de Ciuit. Dei Lib. IV cap. 2, et PAVL. ARINGHII Romam Subterraneam Lib. I cap. 2 pag. 8.

f) PLINIVS Hiſt. Natur. Lib. II cap. 63.

g) Vid. THOM. BARTHOLINI Antiquit. Vet. Puerp. Synopſin pag. 69, et notas CASP. BARTHOLINI fil. in h. l.

h) Referente CHARTERIO, eiusque interprete VERDERIO de Imagine Deorum pag. 138. Sed eo ipſo quoque imbecillitatem generis humani cognoſcere poſſumus, ſi ea perpendimus, quae PLINIVS Hiſt. Natur. Lib. VII in prooem. habet: *Principium iure tribuetur homini, cuius cauſſa videtur cuncta alia genuiſſe natura, magna et ſaeua mercede contra tanta ſua munera: vt non ſit ſatis aeſtimare, parens melior homini an triſtior nouerca fuerit. Ante omnia vnum animantium cunctorum.*

Mater vero deorum gentium omnino dici potuit terra, quoniam ficta haec numina ſimilem, ex eorum mente, cum hominibus agnoſcebant originem atque natiuitatem, et alimenta quoque ſua ex corporibus naturalibus, terra productis, hauriebant.

Terrae vocabulum vario omnino accipitur ſignificatu. Tellus enim, cuius nos omnes ſumus incolae, ſeu globus noſter terraqueus, terra nuncupatur. Non ſolum enim illi, qui accurata terrae cognitione deſtituuntur, ſed et aſtronomi ſagaciſſimi, qui telluris ambitum emetiuntur, illamque cum reliquis ſphaeris caeleſtibus comparant, eodem vtuntur vocabulo. Hinc in noſtro ſolari ſyſtemate terra planetis adiuncta deprehenditur [i]. Strictius paulo hanc vocem aſſumimus, dum terram continentem, quam vulgo firmam dicunt, et inſulas ab aquis, quae ipſas circumfluunt, diſtinguimus et ita terram mari et aquis opponimus [k]. Quilibet tandem terrae continentis tractus, prouinciae et regiones diuerſis principibus ſubiectae, terrae dicuntur, ita vt ex vna regione nati conterranei appellentur.

Phyſici praeter nunc adductas explicationes, alias quoque aſſumunt. Ita illi, qui ARISTOTELEM ſequuntur, terram quoque cum igne, aere et aqua, elementis corporum adſcribunt, et pro principio corporum mixtorum frigidiſſimo et ſicciſſimo habent [l]. Quamuis vero prima haec corporum principia fictis annumerentur elementis, ea tamen non prorſus reiicienda eſſe opinamur, in primis, cum ea, quae in ſequentibus, de terra elementari ex mente BECCHERI relaturi ſumus, cum ARISTOTELIS ſententia licet non prorſus conueniant, eam tamen explicent magis atque illuſtrent. Illi deinde ex phyſicis, qui foſſilium naturam et indolem diſquirunt, terram quoque ab aliis corporibus ſubterraneis, ſiue ex tellure erutis, ſollicite diſtinguunt, de quo terrae ſignificatu in tota huius operis tractatione pluribus agendum erit.

Alia quidem chemici terrae ſub nomine comprehendunt, quae vero ad terrae elementaris notionem commode referuntur. Terram enim, cum ſale, ſulphure et mercurio, ad principia corporum elementaria referentes,

cunctorum, alienis velat opibus: caeteris varie tegumenta tribuit, teſtas, cortices, coria, ſpinas, villos, ſetas, pilos, plumam, pennas, ſquamas, vellera. Truncos etiam arboresque cortice interdum gemino a frigoribus et calore tutata eſt. Hominem tantum nudum et in nuda humo, natali die abiicit ad vagitus ſtatim et ploratum, nullumque tot animalium aliud ad lacrymas, et has protinus vitae principio.

i) Vid. G. B. de SAINT ROMAIN in Scient. Natural. Part. III cap. 1: *Terra enim*, inquit, *omnibus ſuis motibus aquam ſecum rapit, et ambae vnum eundemque componunt globum, qui frequentiſſima denominatione orbis vocatur terrarum.*

k) Geneſ. cap. I v. 9, 10: *Deinde iuſſit Deus, vt aqua, quae ſub coelo eſſet, vnum in locum confluere, vt appareret ſiccum. Quo facto, ſiccum terram nominauit, et aquae adfluentiam mare.*

l) ARISTOTELES de Generatione et Corruptione Lib. II cap. 3.

rentes, eandem interdum cum capite mortuo confundunt; illud tamen, quod poſt praegreſſum corporum naturalium examen per ignem, in vaſe remanet, non ſemper eſt terra illa elementaris ſeu terra virgo, ſed accurata tandem depuratione haec ex omnibus fere corporibus naturalibus elicitur [m].

Quod autem originem vocis terrae attinet, eam nonnulli deducunt a verbo tero, vt radice, quod pedibus nempe teratur. Quam ſententiam VARRO [n] defendere conatur, augurum auctoritate commotus, vtpote qui terram non duplici ſed ſimplici tantum litera R ſcribere fuerint ſoliti [o]. Alii eandem deriuationem retinentes, aliam tantum eius reddunt rationem, dum eam non inde, quod pedibus teratur, ita dictam volunt, ſed potius, quod ipſa perenni excurſu cetera terat elementa [p]. Nonnulli terrae vocabulum deriuant a Graecorum Δαῖρα, quod, HESYCHIO teſte, contractum eſt ex Δάειρα, et quandoque ponitur pro Proſerpina. Subſcribit huic opinioni SCALIGER [q], ſed ſine aſſenſu. Terra enim Proſerpinae nomine veteribus non veniebat, nec communis rerum creatarum habebatur mater, ſed orci potius imperium tenens, ab hominum et rerum, quae in terris ſunt, cura excludebatur. Ex aliorum ſententia terrae vocabulum originem duxit ab ἔρα Graecorum, quod non pauci deriuant ab ἐρέφω tego; vel ab ebraeo עֶרֶב tenebrae, de quibus fuſius differentem inuenies GERHARD. IOH. VOSSIVM [r], qui tamen terram dictam vult a τείρω, hoc eſt ξηραίνω, ſicco, quod ipſe Deus tertio creationis die, poſt congregationem aquarum, quae ſub coelo erant, in locum vnum, יַבָּשָׁה hoc eſt, aridae parti nomen propter ea impoſuerit terrae. Videtur quoque huic ſententiae nomen dediſſe W. CHR. KRIEGSMANNVS, qui de Herthum, ſeu terra matre, ſic ſcribit: *Torſit id nominis non paucos e doctis, inſigne tamen illud praebet argumentum, Phoeniciae gentis in Germania noſtra: etenim ab ebraeo* אֶרֶץ *terra, Chaldaeis formatur* אַרְעָא, *Syris eodem modo* ארעא. *Vnde priſci ſuum* ἤρα *ſiue hera formauere, quo vocabulo, vt* SERVIVS *ad* VIRGILII *Eclog. IV, et* MARTIAN. CAPELLA *Lib. II de Nuptiis Merc. etc. notavere, terra olim inſignita fuit* [s]. Nec deſunt, qui germanicum *Erde* ab antiquo itidem veterum Germanorum Herthum, hoc vero a Latinorum terra deducunt, quam opinionem optime confirmat PAVLVS HACHENBERG. *Sueui*, inquit, *terram, magnam deam matrem, Herthum vocabant,*

m) Vid. BOERHAAVII Elementa Chemiae Part. I de Terra.
n) De Ling. Latin. Lib. IV.
o) Vid. AMBROS. CALEPINI Dictionarium Vndecim Linguarum, voce Terra.
p) COELIVS CALCAGNINI de Motu Terrae Perenni.
q) In Coniectan. in hunc locum Varronis, cum eodem editis Lutet. 1573, 8.
r) In Etymologico Ling. Lat. fol. 516.
s) In Coniectan. de Germ. Gent. Orig. cap. 30 ad Taciti cap. 20.
t) In Germania Media Differt. VIII. de Religione Gentilium § 16.

vocabant, vt TACITVS *libro de moribus Germanorum notat, vbi de Reudingis, Eudoſibus, Suardonibus et Nuithonibus ait: nec quidquam notabile in ſingulis, niſi, quod in commune Herthum, id eſt, terram matrem colunt eamque interuenire rebus hominum, inuehi populis arbitrantur.*

Non omittendus denique MORHOFIVS[u], qui originem vocis terrae ſequentibus declarat verbis: *Das Wort* Terra *iſt das verſetzte Wort Erd: Es ſind lauter thoerichte Einfaelle, daſs etliche das Wort von* terendo *herführen, und iſt die Verſetzung keiner andern Urſache als des Wohllauts halber geſchehen, denn vordem iſt das rechte teutſche Wort* Erda *bey den Lateinern im Gebrauch geweſen, welches* SCALIGER *in den ſo genannten* primis Scaligerianis, *von* Tanaquil Faber *herausgegeben*, p. 80 *angezeichnet: Es hat aber ſo viel bedeutet als* ſtercus, *davon* homerda, bucerda, muſcerda, hominis, bouis, muris ſtercus *genennet worden.* Cui MORHOFII ſententiae multum inde accedit ponderis, quod vocabulum terrae, penes omnes fere populos eadem ratione exprimatur, et leui tantum literarum mutatione diſcrepet. Dicitur enim hebraice ארץ Erez, arabice Ardhi, punice Ert, graece Ἔρα, gothice Arte, anglice the Earth, belgice de Aerde, gallice la Terre, italice la Terra, hiſpanice la Tierra, latine Terra. Germanis antiquioribus Herthum, recentioribus *Erde.*

Ipſe vero WVRFFBEINIVS, cuius, in enarrandis hac de re aliorum ſententiis, operam in primis ſumus ſecuti, illis album calculum adiicit, qui terrae vocabulum a Graecis, horum vero Ἔρα ab Ebraeorum ארץ originem ſumſiſſe affirmant.

Noſtrum non eſt, ortum terrae inueſtigare et perſcrutari, omnesque philoſophorum ſententias enumerare, qui eandem vel ſempiternam dixerunt[v], vel ex atomis conflatam aſſumſerunt[x], vel aliis hypotheſibus fictis, ſaepiusque ridiculis venerandum creationis opus explicarunt[y]. Nec de aetate terrae coniecturas[z], nec de figura eiusdem vera falſaque aſſerta

u) *Im Unterricht der Teutſchen Sprache* cap. VI pag. 116.

v) ARISTOTELES Lib. I de Coelo cap. 10.

x) Vt DEMOCRITVS et EPICVRVS. Vid. BRVCKER. Hiſt. Crit. Philoſ. Part. II Lib. II cap. 13 § 11 nr. 79 Tom. I loc. cit. cap. 11 § 21.

y) Conf. Philoſophia Burgundica Phyſ. Part. II Tract. I Diſſ. I cap. 1. DAN. SENNERTI Hypomnemata de Rer. Nat. Princ. cap. 1. WOLF. ERD. SENGWERD Phil. Nat. Part. II cap. 1 § 3. DAVID VON DER BECKE Experimenta circa Rerum Nat. Principia Lib. II pag. 206. THOM. BVRNETI Telluris Theoria Sacra Lib. I cap. 5, et recentior ſcriptor ANTON. LAZARO MORO de Croſtacei et degli alteri marini corpi, que ſi truouano ſu monti, Lib. duo Venet. 1740, 4 mai. Hic enim libro primo in BVRNETI in primis et WOODWARDI theoriam telluris inquirit, in ſecundo vero ſententiam ſuam exponit et obſervationibus et experientiis confirmat.

z) Vid. THOM. BROWN. Pſeudodoxia Epidem. Lib. VI cap. 1 et 2.

ta[a] examinare conuenit. Terrae denique ſitum quod attinet, Copernicanum ſyſtema vel ſtabilire, vel Ptolemaico et Tychonico praeferre, vel vlterius perpolire huc non ſpectat[b]. Haec omnia enim, ab inſtituto noſtro prorſus aliena omittimus, et terram potius tanquam corpus foſſile tractandam ſuſcipimus.

Rem vero aggreſſuris, duo in limine ſtatim attingenda ſunt. Enumerandum ſcilicet, quae priſtinis aeque ac recentioribus temporibus in diſquirendis et aeſtimandis terris adhibita fuerit opera: huic deinde terrae elementaris, ex mente celeberrimorum chemicorum, tractatio adiungenda. Quae licet ad nos pertinere non videantur, optime tamen ſuſceptum opus adiuuant, cum prius, in diſquiſitione terrarum ſigillatarum paſſim, alterum vero, in characterum genericorum euolutione et definitione, vtilitatem ſuam demonſtratam exhibeat.

Admiranda ſane hominum eſt induſtria, qui metalla ex terrae viſceribus eruere, et variis modis in vſus et commoda vitae humanae convertere allaborarunt, cum abdita metallorum geneſis et praeparatio maximo demum labore cognoſcatur et perſpiciatur. Facilius longe varia terrarum genera, in ſtratis, humo vicinis, recondita, detecta fuere. Primo enim de fertilitate terrae in colendis agris ſolliciti erant homines, et perfectionem vegetabilium earumque laetius incrementum, varia terrarum commiſtione augere annitebantur. Poſtea vero et colorem et indolem terrā-

a) *Nullam* plane neque ſphaericam neque aliam figuram terrae adſcribi poſſe iudicauit CHRISTIANVS WITTICHIVS Diſſ. II de diſpoſitione et ordine totius vniuerſi cap. I § 22. Philoſophi Sinenſes *quadratam* dicunt, teſte IOH. NEVHOFF *in der Oſtindiſchen Geſandſchaft nach dem Tartar Cham, ietzo Sineſiſchen Kayſer* pag. 6; *triangularem* IOH. CHRISTOPH. STEEBIVS de Coelo Sephirot Hebraeor. cap. I ſect. I n. 138; *rotundam*, cum ARISTOTELE de Coelo Lib. II cap. 14, nonnulli ex recentioribus; *oualem* PARACELSVS Paragr. Tr. II de Aſtronomia, et IOH. CHILDRAEVS in Britannia Baconica, ſiue Hiſt. Memorabil. Rer. Natural. Angliae, Scotiae et Hiberniae. Rationes vide in BECMANNI Hiſt. Orb. Terr. cap. I pag. 9; *Oualem et quidem verſus polos oblongam figuram* terrae competere, etiam vero non eſt abſimile. Vid. THOM. BVRNETI Theoria Telluris Sacra Lib. II cap. 5. et IO. CASPAR EISENSCHMID in Diatribe de Figura Telluris. Talem quoque figuram terrae per dimenſionem graduum meridiani, per Galliam ducti, aſſerit IACOBVS CASSINI in Tract. de la Grandeur et de la Figure de la Terre Part. II cap. 4. E contra *oualem* quidem vel *ellipticam* figuram, ſed *ſub polo depreſſam* adſcribunt CHRISTIANVS HVGENIVS Diſſ. de Cauſa Gravitatis. Opp. reliquor. Vol. I pag. 115. ISAACVS NEWTONVS in Princip. Philoſ. Natur. Mathemat. Lib. III prop. 19, et cum his plerique recentiorum, quam ſententiam per dimenſionem gradus ſub circulo polari confirmauit MAVPERTVISIVS la Figure de la Terre determinée par les Obſeruations etc. Artic. VIII § 5.

b) Inter plures, qui Copernicanum ſyſtema mundi ſtabiliendum et defendendum ſuſceperunt, potiſſimum nominabimus GALILEVM in Dialogis de Syſtemate Mundi. PETRVM MEGERLINVM in Syſtemate Mundi Copernicano argumentis inuictis demonſtrato. IOH. WILKINSIVM, Epiſcopum Ceſtrienſem in Lib. II Copernici defenſi a pag. 13 verſionis germanicae ad finem. IO. IAC. ZIMMERMANNVM in libro, germanice edito, cuius titulus: Scriptura Copernizans, et PETR. HORREBOVIVM in Copernico Triumphante Opp. Tom. III.

terrarum attentius considerabant, et illas ad varios vsus medicos aeque ac mechanicos applicabant. Quae de his notari merentur, ex variis scriptoribus collegit, fusius declarauit et variis obseruationibus auxit FERRANDVS IMPERATVS [c].

Vtilium vero in medicina terrarum consideratio a veteribus aeque ac recentioribus susceptа fuit. Aegyptios enim, quibus plurimas inter artes et medicina sua debet primordia, terras, praesertim pinguiores, pro medicina habuisse, ex GALENO discimus, qui sequentia tradit [d]: *Illa terra, quae colitur, si qua pinguis est, commoda est ad curationem earum omnium partium, quae desiccari poscunt; vnde sane ea, et Alexandriae et per Aegyptum vtuntur multi, sua vtique sponte ac iudicio, multi vero etiam moniti somniis: Vidi enim Alexandriae quosdam hydrope laborantes, ac lienosos, Aegyptiae terrae luto vtentes multos, qui sibi suras, femora, cubitos, brachia, tergum, latera pectusque inungerent, ac perspicuo iuuarentur; eundem in modum et veteres phlegmonas et laxa oedemata adiuuat lutum hoc, noui siquidem quosdam, qui ex immodica per haemorrhoidas euacuatione turgentes effecti et tumidi non obscure fuere adiuti, sed et quidam diutinos fixosque parte quapiam dolores perpessi, luto hoc plane persanati fuerunt.* Cum autem vniuersum Aegypti solum vnanimi auctorum consensu, non pingue vel lutosum, sed potius arenosum inueniatur, forsitan haec dicta de lutosa Nili terra erunt intelligenda. Nilotica enim aqua, quam omnium in toto terrarum orbe saluberrimam dicunt, et inter primarias longaeuitatis Aegyptiorum caussas referunt [e], lutosa admodum est et arenosum sterileque Aegypti solum, aquarum effluentium copia, limo pingui obducit [f].

Graeci, quorum in scientiis et artibus laudabilem et praeclaram cognitionem, ab Aegyptiis mutuatam, antiquissimorum auctorum testimoniis probauit OL. BORRICHIVS [g], in terrarum differentia et vsu accuratius perspiciendo plus posuere operae; illi enim celebrem illam terram Lemniam, nec non Samiam, Eretriam, Chiam, Cimoliam, Meliam et alias plures disquisiuerunt, distinxerunt, et in varios vsus adhibuerunt. Has vero passim in descriptionibus terrarum enarrabimus, et adductis auctorum

c) In Hist. Natur. cuius Lib. I) terras respectu agriculturae, II) plasticas et architecturae, III) artis fusoriae, IV) pictoriae et fulloniae, V) tandem respectu medicinae considerat.

d) De Simpl. Medic. Facult. Lib. IX cap. 1 n. 2.

e) PROSPER ALPINVS Medicina Aegyptiorum Lib. I cap. 12.

f) Vid. IOB. LVDOLPHVS in Historia Aethiopiae Lib. I cap. 7 et 8. DAPPER *in der Beschreibung von Africa und Egypten* pag. 131. IAC. GRANDIVS in Tract. de Stibio Dec. II An. VI Ephemerid. Nat. Cur. pag. 83.

g) Hermet. Aegypt. et Chemicor. Sapient. Lib. I cap. 8.

rum teſtimoniis illuſtrabimus. Inde et factum eſt, vt, cum in primis medicinae cauſſa ad terras reſpexerint, Graeci, Romani, qui in his, vt ex PLINIO [h] patet, cognoſcendis allaborarunt, maxime quidem ad terras Graecas earumque differentias attenti fuerint, paucaque in his mutauerint.

Tanta erat terrarum, quas Graecia tulit, exiſtimatio, vt et Arabes, qui medicinam a Graecis aſſumſerunt, proprias terras vix diſquiſiuerint, ſed externa medicamenta domeſticis praetulerint. Adeo enim in Graecorum verba iurarunt [i], vt non niſi ab illis inuenta et longa iam experientia comprobata in vſum vocare auſi fuerint. Ipſum vero terrarum ſtudium, ſiue medicinam, ſiue hiſtoriam naturalem ſpectes, pauca vel nulla prorſus hac ratione cepit incrementa. Cum enim terrae ex Graecia difficillime peti poſſent, variae terrae paſſim repertae, dummodo argillaceae vel aliquo modo pingues inuenirentur, ſubſtituebantur. Qua de re non adeo reprehendendi eſſent inuentores, ſi vel locum natalem, vel characteres veros indicaſſent: ſed impreſſis potius fictis ſigillis, ſuppoſititias hasce terras pro vera terra Lemnia, vel bolo Armeno, vel alia quadam terra, olim accepta, venditabant.

Hoc etiam errore factum fuit, vt illi, qui diſpulſa barbarie, ſub finem ſeculi XV ſcientiarum incrementum adiuuare, et inter has etiam medicinae ſtudium ex tenebris quaſi in lucem reuocare ſtuderent, eum, quem in medicina et omni hiſtoria naturali quaerimus, finem attingere haud potuerint. Licet enim veteres rerum naturalium ſcriptores commentariis illuſtrarent, ipſis tamen corporum naturalium diſquiſitionibus non adeo inhaeſerunt; veterum tantum dicta, ſaepius quam maxime obſcura, obſcuriore adhuc explicatione illuſtrare anniſi, melius certe rem peregiſſent, ſi relictis omnibus, quae in veteribus incerta adhuc erant, egregia haecce natura dona indefeſſo ſtudio inueſtigaſſent.

Ad terras quidem in praeſenti quod attinet, eas tantum ex Graecia, Turcarum dominio ſubiecta, repetebant. Et hoc forſitan Turcas commouit, vt terras hasce magni aeſtimarent, variasque dignas iudicarent, quae regibus dono darentur, aliasque, lucri cupidi, magno pretio venderent. Ipſi quoque medici Europaei vix terrae cuidam inſignes et ſalutares virtutes adſcribebant, niſi gloriari poſſent, ſe eam, quam exhibebant, glebam ex manibus ſummi cuiusdam principis accepiſſe, et ex Graecia allatam fuiſſe.

Cum

h) Hiſt. Nat. paſſim, in primis Lib. XXXV.

i) Vid. BORRICHIVM de Ortu et Progreſſu Chemiae pag. 121.

Cum igitur tanta copia terrarum et ſaepius ſpuriarum ſub nomine terrae Lemniae vel boli Armeni vbique diuenderentur, inter omnes primus, ſi recte ſentio, de diſquirendis terris patriae cogitauit IOANNES MONTANVS, qui anno circiter 1568 in monte prope Strigoniam Sileſiae terram quandam nobilem inueniebat, terrae Lemniae non abſimilem: quo facto, non tantum haec terra per Germaniam aliasque regiones celebrata, ſed etiam a BERTHOLDO AB OSCHATZ totam per Sileſiam aliasque Germaniae prouincias diſtributa fuit, licet hic alias quoque terras, quae vſibus medicis aptae videbantur, inuenerit, et proprio ſigillo inſigniuerit. Haec et alia, quae ad hiſtoriam terrarum ſigillatarum et medicarum ſpectant, paſſim capite quarto, in primis tamen in hiſtoria terrarum Sileſiae a nobis erunt diſquirenda.

Haec omnia vero in artis tantum ſalutaris commoda peragebantur, cum nullus de vera cognitione hiſtorico phyſica cogitaret. Regnum minerale, ad quod terrae omnino referendae erunt, ob difficultatem inſignem, non tanto ſtudio perueſtigabatur, quam vegetabile. Operoſior enim labor erat, intima terrae viſcera rimari, et in obſcuriſſimis locis, debili lampadis flamma viam monſtrante, mutationes et incrementa foſſilium attendere, quam vegetabilia in pratis, ſyluis et hortis diſquirere. Illi quoque, qui his ſtudiis dediti, ſubterranea loca attente perluſtrabant, metalla, praeſtantiora quippe foſſilia et alia his affinia ſtudioſe quaerebant, viles vero terras, vel negligebant plane, vel obiter tantum in catalogis foſſilium recenſebant.

Inueniuntur equidem in muſeis, ſuo loco adducendis, nonnulla hiſtoriae naturalis terrarum ſpecimina, operae adhibitae teſtes, neſcio tamen, vnde euenerit, vt plerique fere ſcriptores, de veterum Graecorum terris cogitantes, illas magis ex ſignis imperfectis eruere et definire ſtuduerint, quam vt de diſcernendis characteribus, et methodo inde formanda ſolliciti fuerint. Quorum tamen numero WOODWARDVM et nonnullos alios recentiores excipio.

His quidem tentaminibus incitatus, inſignem terrarum numerum, quem in Regiis rerum naturalium theſauris, Dreſdae conditis, mirari decet, ordine methodico diſponere, et cum rerum naturalium ſtudioſis communicare ſuſcipiemus. Fateor equidem, me nondum methodum, ex ſolis, quos natura terris impreſſit, characteribus deſumtam, reperire potuiſſe, cui tamen forſitan haec noſtra, licet artificialis ſit, et ex ſignis arbitrariis conſtet, vlterius perficiendae inſeruire poterit.

Prius vero quam terras crudas conſideremus, a primo earum principio et elementis ordiri animus eſt. Licet enim hoc labore ſuperſedere nos poſſe videamur, quod eae, quae ſenſibus patent, terrarum affectiones, nos ad intimam earum mixtionem non ducunt; attamen cum haec pars mineralogiae, quam exponendam nobis ſumſimus, ad primam et elementarem corporum naturam propius accedat, et nos in terrarum conſideratione quaſi ad chaos illud primum euolutum deducamur, his etiam monitis noſtram de terris compoſitis tractationem non nihil illuſtrari poſſe confidimus.

Nec elementa vera corporum, nec vltima mixta, quae ex elementis ſiue veris rerum principiis oriuntur, noſtris ſenſibus obuia ſunt. Attenta interim compoſitionis et reſolutionis corporum conſideratio docuit, particulas disiunctas, aliis partibus adunatas, nouam mixtionem ſubiiſſe, ita, vt ex hac noua, quae ſenſibus patet, mutatione, intimiorem corporum ſtructuram perſpicere queamus. Licet enim partes, corpus conſtituentes, per ſe haud cognoſcere poſſimus, earum tamen affectiones diuerſas ex varia cum aliis particulis mixtorum cohaeſione diiudicamus. Et hac quoque ratione idea de terra elementari nata fuit. Terra enim, dum variis ſub conditionibus mixtionem variorum corpuſculorum ingreſſa eſt, varia ſub forma apparuit, et ita proprietates quasdam ſenſibus obtulit cognoſcendas. Non omnibus vero licet, intimiorem corporum rimari compoſitionem, imperfectis potius notionibus contenti, terrae calcareae, cretaceae, arſenicalis etc. ad illos corporum naturalium terminos non perueniunt, quos diligenti tantum et repetito examine attingimus.

Continua vero rerum compoſitarum, quatenus vt aggregata vel mixta apparent, mutatio, vt intima elementorum natura, ex phaenomenis colligenda, multos fallat, anſam praebuit; particula enim terrea, cui nullum niſi aliunde impreſſum motum adſcribere poſſumus, mox ab aquea, mox ab aerea, in quarum mutatione motus euidens eſt, ab ignea forſitan particula deducendus, dirigitur, dimouetur variasque recipit formas. Nullum enim acerrimorum rerum naturalium inueſtigatorum latet, aerem accedentem elaſticitate ſua atque grauitate, indeque pendente ſumma mobilitate, conſpicuos in mutatione corporum motus dirigere atque augere. Vires itaque et mutationes particulae terreae adſcititias, ſi proprietatibus, ex natura earum pendentibus, annumerare velimus, facile in errorem deuenimus.

Ipſa fermentationis conſideratio, quam STAHLIVS[k] egregie explicuit, optime hanc rem demonſtrat. Spontanea enim vegetabilium, ad fermentationem aptorum mutatio, aliam longe corporum miſcelam efficit, quam ſi, vel ſubiecti mutandi cauta diſpoſitione, vel variis admixtis, principem, quem fermentatione obtinemus, liquorem, inflammabile nimirum, aquae facillime ſeſe adiungens, elicere ſtudemus[l]. Licet enim hunc fermentationis modum, vt peculiarem, conſiderare debeamus, ex hoc ipſo tamen, per phaenomena facillime patente, diſcimus, quo modo ad mutationes et mixtiones corporum attendere debeamus.

Nemo igitur ſibi perſuadeat, ſe in intimis corporum mixtionibus ſimpliciſſimum quendam atomum, prorſus per ſe elementarem, vnquam detecturum; vbique enim deprehendet corpuſcula, quae ex aliis minoribus coaluerunt, et ſaepius viſum fugiunt, licet odore ſatis declarentur. Et ſi forte in his aliquid diſtinguit, mente potius, quam ſenſibus, non nullas et primarias particularum affectiones diſcernet, quibus in mixto prae reliquis pollent, nunquam vero totam elementaris particulae naturam perſpiciet.

Haec, quae nunc fuſius declarauimus, ex perfectiſſima, quam STAHLIVS de mixtione habet, idea proueniunt, quam ſequenti inprimis ratione declaratam dedit[m]: *Mixtio eſt cohaeſio numero plurium, phyſice minimorum, immo phyſice et de facto indiuiſibilium, corpuſculorum; et quidem cohaeſio, coaptatio, complicatio, ita exquiſita, vt non ſolum, ob hanc coniunctionis exactitudinem, longe difficillima ſit illorum a ſe mutuo ſeparatio; ſed etiam propter exiguitatem, tum totius huius ita mixti corpuſculi, quam ſuperlatiuam paruitatem ſingulorum illud conſtituentium, inſtrumenta ad ſeparandum nos deſtituant.*

Optime igitur monet STAHLIVS[n], de terrae affectionibus nihil nos comprehendere, niſi quatenus per minima aggregata cognoſcatur. *Tali igitur intuitu*, inquit, *terreum dicitur illud, quod aggregationes, ſiccas, ſolidas, denſas, etiam pure homogeneo (cum nullis aliis, quam ſuae vnius ſpeciei, ſociis corpuſculis) concurſu, ſubit ac efformat.* Hinc quodlibet terrae elementum, ſiue minimum corpuſculum, quod nec vllo quidem adhibito artificio

k) In Zymotechnia fundamentali, ſeu fermentationis theoria generali. Vid. Opuſculum Phyſico Chymicum. Halae 1715, 4, pag. 65.

l) Vid. BOERHAAVII Elem. Chemiae Part. II in hiſtoria fermentationis, et Proc. LXXXVIII de putrefactione vegetabilium.

m) Specimen Beccherianum Part. I Sect. I n. 20 pag. 58.

n) Loc. cit. pag. 82.

artificio in partes diuidi poteſt, eandem naturam habet, licet ſenſibus talis terrae atomus offerri haud poſſit.

His itaque ponderatis, operae pretium non eſſe opinamur, vt ARISTOTELIS [o] aliorumque philoſophorum placita de terra, tanquam principio materiali corporum mixtorum frigidiſſimo et ſicciſſimo, enumeremus, nedum diſquiramus, ſed ipſam rerum naturam, in qua perſcrutanda, omnibus palmam praeripiens BECCHERVS, feliciter occupatus eſt, intueamur. Hic enim celeberrimus Vir, de rerum ſubterranearum materia, ſiue corporeis principiis, e quorum coalitu ſiue mixtione naſcuntur, conſtant et ſubſiſtunt [p], erudite ſatis atque ſubtiliter egit. Ex eius igitur ſcriptis ea tantum eruemus et indicabimus, quae de terra elementari propoſuit, et nos in hiſtorica terrarum cognitione multum adiuuant.

Licet vero particulae terrae elementaris ſimpliciſſimae inueniantur, eas tamen triplicis differentiae eſſe, experimenta docuerunt. *Dico itaque,* inquit BECCHERVS [q], *pro concluſione: lapides et metalla ex tribus terris conſtare; quarum prior talibus mixtis hypoſtaſin ſeu ſubſtantiam aut baſin, altera colorem, tertia figuram, metalleitatem, vel lapideitatem praebet.* Hanc vero diuiſionem STAHLIVS aliis verbis proponit, et ex ipſis BECCHERI ſcriptis luculentiorem tradit, ita differens [r]: *Terrea haec principia triplicis ſunt ſpeciei. Primum, quaſi fundamentale, ſtricta acceptione terreum; alterum, a poſteriori nominandum, inflammabilitatis fundamentum; tertium ſubtiliſſimae mobilitatis mercurialis, et de reliquo velut aereo volatilis ſubtilitatis, primordium.*

Terra igitur primigenia ſeu elementaris eſt vel *vitreſcens,* vel *inflammabilis* aut ſulphurea, quam phlogiſton nonnulli dicunt, vel *mercurialis.* Sal, ſulphur et mercurium alii dixerunt, cum tamen ideas, a communibus ſalis, ſulphuris et mercurii characteribus diuerſas, hisce cum vocibus coniungant, notiones ipſas omnino confundunt. Vt igitur errorem, ex inuentis nouis nominibus timendum, euitemus, rei naturae conuenientius eſſe opinamur, ſi triplicem terram aſſumamus.

Terra prima vitreſcens, omnibus corporibus pro fundamento eſt, eorumque naturam conſtituit, reliquae vero particulae mobiliores, et pro diuerſo huius mobilitatis gradu volatiliores, illi adhaerent. Haec in omnibus

o) De Generat. et Corrupt. Lib. II cap. 3.
p) STAHLIVS in Specim. Beccher. Part. I cap. 3 pag. 3.
q) In Phyſica Subterranea Lib. I Sect. III cap. 1 n. 13 pag. 117.
r) In Specim. Beccher. loc. cit. pag. 85.

omnibus corporum mutationibus conſtans et immutata permanet, collecta tandem et a reliquis terrarum particulis liberata, fundi, liquari et in vitrum verti poteſt; ob quam vltimam eius mutationem vitreſcentis terrae nomen ſortita eſt.

In corporibus, ad regnum minerale pertinentibus, textura vtpote denſiori praeditis, in magna omnino copia haec terra prima deprehenditur. Non enim tantum matrix eſt, quae metalla et alia mineralia in ſe recipit, ſed et ipſa metallorum et lapidum mixtionem ingreditur. In terris itaque, a nobis poſtea pertractandis, plurimum ſemper huius terrae elementaris reperitur, ob quam forſitan ad mutationem in reliqua corpora mineralia apta euadunt. Animalia quidem et vegetabilia corpora rariore contextu praedita ſunt, in his tamen quoque noſtra terra conſpicitur. Lectu omnino digna ſunt, quae BECCHERVS[s] de vegetabilium et animalium terra vitreſcente proponit, cuius exiſtentiam ita ſibi perſuadet, vt oſſa ſua in vitrum mutari lacteum optet, et concludat: *Homo vitrum eſt, et in vitrum redigi poteſt, ſicut et omnia animalia.*

Quamuis autem fixam hanc terram eſſe ſatis conſtet, in minutiſſimas tamen moleculas diſcerpta, aliis volatilibus particulis ita adhaeret, vt iis iuncta in auras abeat, et variis corporibus, in quibus vix detegitur, admiſceatur. Hoc ipſo vero illis non ſubſcribimus, qui, experimentis incaute inſtitutis decepti, aquam et aerem ipſum tandem in terram mutari poſſe affirmarunt: dum terram hancce, corporibus adhaerentem et in taedio plenis ſaepiusque repetendis operationibus iis ſe immiſcentem, pro aere et aqua, in terram mutata, aſſumſerunt. Licet in hac vltima mixtione certi quid conſtituere velle, difficillimum eſſe profiteri cogamur.

Glutine firmantur et coniunguntur animalium vegetabiliumque partes; eadem quoque ratione terra prima, hactenus expoſita, in regno minerali, in eo, qui in variis corporibus conſpicitur, nexu non permaneret, niſi terra altera, quae pinguis eſt et vnctuoſa, intercederet. Haec igitur, licet humiditate ſua conſpicua ſit, illa tamen ab aqueis particulis elementaribus non dependet; his enim omnibus expulſis, conſiſtentia et arctus nexus corporibus in primis mineralibus diu adhuc manet. Nec cum ſulphure communi confundi poteſt ſecunda haec terra elementaris, licet a pluribus eo nomine inſigniatur. Ipſum enim hoc ſulphur, inter alias particulas, quae mixtionem eius ingrediuntur, hanc quoque, quae in

s) Loc. cit. Lib. I Sect. III cap. 3 nr. 2 pag. 132.

in omnibus mineralibus deprehenditur, terram, tanquam partem conſtituentem, oſtendit, et pro diuerſa admixtione lapides, metalla aliaque foſſilia maxime diuerſa reddit. Et nos quoque in terris noſtris, luto et aliis, quamuis nulla inflammabilitatis ſigna appareant, praeſentiam tamen huius terrae pinguis declarare poterimus.

Haec vero terra cum ſalino oleoſis particulis in pluribus aggregationibus et mixtionibus regni mineralis, animalis et vegetabilis, coniuncta eſt, quibus expulſis et diſturbatis, terra remanet elementaris, quae primae terrae, vitreſcenti prorſus abſimilis, peculiaris indolis eſſe videtur. Et licet in diſſolutione animalium et vegetabilium cum terra vitreſcente confundi poſſet, in ipſa tamen lapidum et metallorum diſquiſitione diverſa haec a ſe inuicem deprehenduntur.

Longe difficilioris indaginis eſt tertia terrae elementaris ſpecies, cuius et ortus obſcurus eſt, et mixtio ex phaenomenis tantum pateſcit, quae, cum ſanitatis ſaepe et vitae diſpendio contemplanda, non omnibus perſpicere licet. Haec enim terra, ſecunda longe volatilior, variis mineralium mixtionibus ſub ſpecie fumi ſe inſinuat. Nos igitur, qui communibus, vulgo ſic dictis, terris non niſi fixas particulas tribuimus et eas quotidie contemplamur, minime nobis perſuaderi patimur, nec ex ipſa terrarum natura elicere poſſumus, tertiam hanc BECCHERI terram verae terrae nomen mereri, licet in ſingulari mercurii viui indole eam deprehendere videamur, vtpote qui, fluidus licet, ſiccitatis notam, quam terrae adiudicamus, exhibeat.

Haec ſane terrae mercurialis diſquiſitio a praeſtantiſſimo BECCHERO, et celeberrimo, qui eius placita examinauit et obſeruationes indefeſſo ſtudio ponderauit, STAHLIO, hunc magis in finem ſuſcepta fuit, vt abſtruſam rerum ſubterranearum naturam cognoſcerent, eamque ſolertibus phyſices ſtudioſis declararent, quam vt ſacram auri famem in iis excitarent, quae ſcilicet multos fumo nutritos, contabeſcere faciat omniaque viſcera eneruet. Sed cum in praeſenti terras in aggregatione variaque compoſitione, quatenus per externas notas conſtat, contemplemur, intimam earum mixtionem et prima earum principia, aliis indaganda relinquimus, ad terrarum potius differentiam tranſeuntes, breuibus tantum haec indicare voluimus.

Optandum quidem eſſet, vt, qui a compoſitis ad ſimplicia et elementaria corpuſcula progredimur, ita penetrare poſſimus corporum naturam,

quo

quo non tantum ſtructurae modos, ſed et intimas corporum mixtiones cognoſcamus: ipſa vero rerum copia, varietas et ſubtilitas, limites cognitioni noſtrae arctiores ponit; qui, quo minus in ſcrupuloſiori diſquiſitione ſubſiſtamus, impediunt, corpora potius, in quantum earum virtutes percipimus, ad vitae humanae commoda vt applicemus generisque humani felicitatem augeamus, nos admonent. In primis cum crebris edoceamur exemplis, in his quoque laboribus fortuito ſaepius caſu aliquid detegi, quod intimiores corporum compoſitiones euoluit, et ſcientiam noſtram vix expectato incremento perficit.

In opere itaque ſuſcepto conſiderabimus terras, in variis maſſis per ſtrata et venas excurrentes, et ad eas in primis attendemus terrarum conditiones externas, quae iis ab aliis corporibus et inter ſe diſtinguendis ſufficiant. Cum vero methodus ſit ordo, ex externis corporum characteribus ſtabilitus, ſedulo curabimus, vt naturales fictis praeferamus characteribus, quod eo felicius nos peracturos ſperamus, ſi, ipſis naturae veſtigiis inſiſtentes, ex crebriori glebarum terreſtrium conſideratione ordines earundem concinnare ſtudeamus.



Bernigeroth fec. Lipsiae 1742.

CAPVT II.

DE TERRARVM GENERIBVS.

In generibus terrarum diſquirendis et ad hiſtoriae naturalis leges redigendis, characterum fallacia, nominum diuerſis terris impoſitorum non ſatis definitus ſignificatus, et inde pendens auctorum diſſenſus, multum negotii faceſſit. Ea namque particularum ſubtilitas, quae in aggregatione molecularum terreſtrium perſpicitur, nos ſaepius ad mixtionem, ſenſibus vix obuiam, deducit, quamuis tam euidentes characteres, vt organica vegetabilium et animalium ſtructura, in primis in figura partium, non offerat. Haec vero, qua totum regnum minerale in methodo concinnanda premitur, difficultas, in terrarum ſcrutinio maxima deprehenditur; cum in reliquis corporibus mineralibus, quae commoda vitae humanae augent, examen docimaſticum multa detexerit, terrae vero, tanquam ſteriles maſſae relictae, nunc demum ad fictilia vaſa pretioſiora conficienda ſtudioſius quaerantur.

Terrae, quae quaſi fundamentum ſunt et matrix reliquorum corporum mineralium, eorumque mixtionem ſemper, aggregationem vero vt plurimum ingrediuntur, dignae omnino ſunt vlteriori diſquiſitione, cum ad hiſtoricam aeque ac phyſicam foſſilium conſiderationem nobis quaſi viam pandant. Fateor equidem, in cognitione noſtra, arctis vtpote limitibus circumſcripta, non ſemper a ſimplicioribus ad compoſita vt progrediamur licere, ſed per compoſitorum crebriores contemplationes et analyſes ad ſimpliciora demum veniendum eſſe: in his tamen, cum iam variis adminiculis, ex obſeruatione auctorum enatis, adiuuemur, com-

comparatione, terras inter et reliqua corpora mineralia inſtituta, methodum, in conſideratione terrarum adhibendam, nunc conficere tentabimus. Hanc vero, in qua fundamentum ſolidae cognitionis terrarum poſitum eſſe cenſemus, eo felicius vt inueniremus, ad duo in primis reſpeximus, quibus ſenſim paulatimque ad accuratiorem terrarum cognitionem nos peruenturos ſperabamus.

Primo enim praeſtantiſſimos, qui de terris ſcripſerunt, auctores, veteres aeque ac recentiores, perluſtrans, quasnam cum diuerſis terrarum appellationibus coniunxerint ideas, diſquiſiui. Terrarum itaque, hucusque cognitarum et diuerſis nominibus inſignitarum, catalogum, ſecundum ſeriem literarum, congeſſi, et adſcriptis inſimul, quas inuenire poteram, auctorum definitionibus, ex his promanantes diſtinctiones collegi: ſed nec in veteribus hiſtoriae naturalis ſcriptoribus, confectisque in eos commentariis, neque in recentioribus ſcriptis, talem, quam exoptaueram, perſpicuitatem et notionum declarationem reperire licuit. Characteres enim incerti et fallaces, deſcriptiones imperfectae, terram vnam ab alia non ſatis diſtinguentes, quibus characterum eſſentialium et accidentalium confuſio anſam praebuerat, et alia plura, rem non tantum inquiſitu difficillimam, ſed definitionum etiam impoſſibilem fere inuentionem oſtendebant. Nemo inſuper ex permultis hiſtoriam terrarum tam ample et dilucide deſcriptam exhibuerat, vt ex eius tantum auctoritate genera definire potuiſſem. Cuius rei veritas ex ipſis auctorum verbis, paſſim explicationi definitionum noſtrarum adiunctis, luculentius apparebit. His igitur magis impeditus, quam adiutus, mutato conſilio, corpora naturalia, quae terrarum nomine veniunt, cum aliis in primis foſſilibus et cum nonnullis arte factis, quae ad terras natiuas proxime accedunt, comparaui. Licet vero in ampliſſimum hac ratione deducerer campum, eo ipſo tamen labore ad characterum naturalium, in terris maxime conſiderandarum, diſquiſitionem propius acceſſi, et terrae inſimul definitionem, quatenus ab aliis foſſilibus diſcrepat, eruere allaboraui.

Idem vero in terrarum diſpoſitione et denominatione euenit, quod reliquarum hiſtoriae naturalis partium diſquiſitioni, in primis ſcientiarum incunabulis contigiſſe obſeruatur. Illa enim terra, quae vel colore, vel textura, vel aliis proprietatibus, a reliquis, ſatis admodum cognitis, differebat, caſu fortuito detecta, nomen, quod inuentori maxime placuit, ſortita eſt, id, quod vt plurimum a loco natali, ſaepius ab vſu, nonnunquam ab aliis circumſtantiis, eſſentiam terrae minime ſpectantibus, petitum fuit. De terrarum quidem characteribus nonnulla relata legimus,

de diuiſione vero et methodo huic ſuperſtruenda, pauci cogitauerunt: contenti enim hiſtoriae naturalis ſcriptores ea, quae ex crebra terrarum perluſtratione oritur, cognitione, neque euoluendis, neque comparandis vlteriusque perficiendis his characteribus inhaerebant, licet hoc ſolo modo diſtinctiores notiones, firmiusque ſtabilitae aliis quoque communicentur.

Non inutilia plane fuerunt, quae tam ſtudioſe ex variis auctoribus congeſſeram; nam haec ipſa cum terris natiuis comparando, ipſe ad certiores characteres perueni, collecta hinc plurimorum auctorum placita ſuo loco ita inſerere potui, vt quilibet in definitionibus noſtris ſimul perſpiciat, quid ſub proprio vnius vel alterius terrae nomine varii auctores intellexerint. Ipſa praeter ea terrarum cum reliquis corporibus mineralibus comparatio nos ad definitionem terrae deduxit, quam eam praecipue ob cauſſam praemittendam eſſe cognouimus, quod genera ſumma et inferiora ſine hac formari non potuerint. Ita vero terrae definitio comparata eſſe debet, vt corpus hoc foſſile ab omnibus aliis naturalibus, in primis foſſilibus, diſtinguat, et relicta terrae primae elementaris notione, glebas tantum nonnullas, inter foſſilia inueniendas, ab aliis diſcernat.

Vnica et ſufficiens, qua terra ab omnibus reliquis, in primis regni mineralis, corporibus diſtingui poſſet, nota non deprehenditur: quaedam igitur, eaeque primariae, ex plurimis ſeligendae erunt, quibus in gleba quadam detectis eandem ad terras omnino referendam eſſe iudicamus. Corporum vero mineralium characteres ſaepius inueſtigando cognoui, primariam, quae terrae cum reliquis corporibus intercedit, differentiam in eo tantum eſſe quaerendam, quod ſit friabilis, et aquae admixta eam inquinet, nec igne leniori fundatur. Sed characteres hosce, cum enumeraſſe tantum neutiquam ſufficiat, opus omnino erit, vt illos paululum diſquiram, et vlterius explicem.

Illud vero corpus minerale, quod leui negotio in partes minutiſſimas ſiue in pollinem conteri poteſt, friabile dicitur. Negandum equidem non eſt, pleraque fere corpora mineralia friabilia deprehendi: ita namque ſalia per ſe non ſolum fatiſcunt, ſed haud aegre quoque in mortario in pollinem permutari poſſunt. Multae e contrario exiſtunt glebae, quae terrae licet iure meritoque ab omnibus appellentur, digitis tamen comprimi non poſſunt, vt in puluerem redigantur, v. c. Lithomargae, ad lapideam propius accedentes duritiem; aliae, quae vt plurimum molles ſunt

et

et tenaces, vt Argillae, in naturali ſuo ſtatu friabiles reddi nequeunt. Attamen, cum plurimae terrae vel leuiter exſiccatae inter digitos conteri poſſint, vel ſuper alia corpora ductae, lineas, itineris quaſi veſtigia, relinquant, easque inquinent, cultro quoque facilius, quam plurimi ex lapidibus, etiam mollioribus, radi queant, haec nota prorſus negligenda non eſt, cum aliis potius ſemper coniungenda.

Altera deinde, eaque forſitan paulo perfectior nota haec eſt, quod terrae nimirum in aqua diſſoluantur, eandemque inquinent. Intima quidem, quae in ſalibus obſeruatur, ſolutio locum hic non habet. Licet enim quaedam particulae arctius aquae adhaerere videantur, plurimae tamen, quae aquis commotis admiſcentur, his iterum quieſcentibus fundum petunt, et ſi etiam diſperſae in aqua quodam modo haereant, eam tamen turbidam et inquinatam reddunt. Eſt quidem hic aliqua diſtinctio attendenda, cum terrae in aqua in paſtam vel tenacem vel rariorem abeant, quae tamen ipſam definitionem ingredi non debet, ſed eidem tantum adiungenda erit. Haec vero terrarum affectio, in lapidibus, ſalibus, inflammabilibus, metallis et ſemimetallis non obſeruatur, niſi vel terra ipſa earum aggregationem ſimul conſtituat, vel puluis eorundem ſuperficiei adhaereat. Multae quidem terrae dubiae nos docuerunt, diſſolutionem in aquis haud omnibus terris eſſe propriam, illae tamen terrae, ſi cultro raduntur, non arenam, quod lapidibus magis conuenit, ſed pollinem exhibent.

Vix vllum corpus reperimus, quod non ignis vehementiae tandem cedat, quamuis nonnulla eorum in igne per longum ſatis tempus integra perſiſtant, et vel ſub intenſiſſimo demum ignis gradu, quem ars producere valet, vel non niſi aliis additis mutentur, vt ars docimaſtica ſatis ſuperque docet. His quoque corporibus terrae annumerandae ſunt, quippe quae in igne mediocri quoad ſuperficiem externam et colores inde pendentes quidem mutantur, non vero ſic, vt intima particularum miſcela inde turbetur. De illis igitur certe aſſerere poſſumus, quod in igne immutatae perſiſtant.

Sapor deinde odorque in plurimis deficere animaduertitur terris. Interim tamen pro ſpeciali, qua ab aliis diſtinguitur corporibus naturalibus, nota aſſumi hoc neutiquam poteſt; cum et terrae inueniantur, quae guſtum et olfactum diſquirentis afficiunt. Licet enim, hoc a particulis adhaerentibus prouenire, cuidam videri poſſet, tam arcte tamen ſaepius adhaerent, vt, niſi examine docimaſtico expellas, terrae ipſius mix-

mixtionem ingredi videantur. Denique et alia ſunt foſſilia, quae odore et ſapore deſtituta, terrae tamen dici non poſſunt.

His itaque ſtabilitis et plurium ſimul auctorum definitionibus [t] examinatis, collatis quoque, quibus differentiam ab aliis corporibus mineralibus indicarunt, characteribus, ita nunc terra definienda erit, quod ſit corpus naturale foſſile, friabile, aquam inquinans, in igne perſiſtens, vel, vt eam luculentiorem reddamus: Terra eſt corpus naturale foſſile, quod in pollinem conteritur, et mediante aqua in paſtam vel tenacem vel rariorem reducitur, in hac vero et liquoribus analogis non quidem intime diſſoluitur, ſed ita tamen in eorundem interſtitiis haeret, vt turbidi et inquinati euadant, et in eo, qui alia foſſilia facile mutat, ignis gradu, perſiſtit. Haec vero generalis characterum terrae deſcriptio, et inde petita definitio multa adhuc incerta relinquit; operae igitur pretium erit, vt terras reliquaque corpora foſſilia inter ſe comparemus, quo limites eas inter aliaque mineralia eo certiores ponantur.

Lapides tam proxime terras attingunt, vt nonnulli, qui generatim tantum foſſilia pertractarunt, terras lapidibus quaſi iunxerint, id, quod BOERHAAVIVM [u], CRAMERVM [x], et POTTIVM [y] feciſſe videmus. Terras enim ſaepius in lapides mutari, et hos deſtructos ac in tenerrimas ferme partes comminutos, iterum varia terrarum genera ſiſtere, quotidiana monſtrat obſeruatio. Haec tamen ita inter ſe differunt, vt, non obſtante dubia limitum declaratione, in accuratiori examine diſtingui omnino debeant.

Ad hanc vero, quae lapides inter et terras deprehenditur, diſcrepantiam quod ſpectat, arena ſeu harena in primis conſiderari meretur, cum non pauci ob ſubtilitatem partium, ex quibus eius ſtrata componuntur, eam ad terras retulerint [z]. Licet vero arenam, etiam ſubtiliorem, et tactu vix percipiendam, quam ſabulum vocant, ad terras proxime accedere concedamus, et ab his ad lapides per arenas tranſitum fieri affirmemus: inſignis tamen molecularum durities [a], et inde denegata iis cohaeſio,

t) Addimus nonnullas Cel. Virorum definitiones, quo eo melius cum noſtra conferri et characterum praeſtantia inde elici poſſit. BOERHAAVII Elem. Chem. Part. I de Terra pag. 630: *Terra eſt corpus foſſile, ſimplex, durum, friabile, in igne fixum, in igne non fluens, in aqua, alcohole, oleo et aere diſſolui non potens.* WOODWARDI in Foſſils of all Kinds digeſted into a Method. etc. pag. 1. In prima claſſe de terris agit, easque appellat: *Bodies opake, inſipid, and when dryed, friable, or conſiſting of Parts eaſy to ſeparate, ſoluble in Water, not diſpoſed to burn, flame, or take fire.*

u) Loc. cit. de Lapidibus pag. 50.

x) Elementa Artis Docimaſticae Part. I pag. 29.

y) *Unterſuchungen von der* Lithogeognoſia pag. 2.

z) WOODWARDVS arenas ad caput de terris adiungit Meth. Foſſil. pag. 5, LINNAEVS Syſtem. Nat. Tab. Regn. Lapid.

a) GEOFFROY arenam Piſaurienſem microſcopio ſpectatam, elegantem diuerſarum gemmularum con-

ſio, quae vel tritu, vel oculo nudo, vel etiam microſcopio armato, detegitur, et quod aquas inquinet, tanquam vna ex primariis terrae notis in arena puriori non deprehenſa, merito arenas a terris diſtinguendas et ad lapides referendas eſſe docet. Sic VARRONI *arena eſt ſubſtantia quaedam conſtans ex minimae quantitatis partibus, in quarum vnaquaque tamen lapidea ſubſtantia deprehenditur* [b]; et IMPERATO [c] *arena minima lapidis forma eſt, et nihil aliud, quam petra in minutiſſimas ſoluta particulas.*

Ad lapides ipſos accedimus, qui ſunt maſſae durae, non ductiles, ſed fragiles, ita tamen cohaerentes, vt nec digitis conteri, nec in aqua diſſolui queant. Characteribus itaque noſtris ſuperius de terra adductis, prorſus non reſpondent. Sed cum lapides ex terra arctius cohaerente oriantur, et ſaepius iterum in terram mutentur, ipſa naturae contemplatio eiusmodi corpora ſiſtit, quae nec terra ſunt, nec lapis, ſed in medio quaſi ſtatu intra terram et lapidem poſita inueniuntur, ita, vt rerum naturalium ſtudioſi luculentum, quam terrae ſubeunt, mutationis documentum inde capiant.

Primo quidem intuitu haec res facile determinari poſſe videtur, ſi attendamus, num ea, de qua adhuc dubitamus, gleba aquam inquinet nec ne; ſed cum lapidibus terreſtres ſaepius adhaereant particulae, et margae duriores diu in aqua ſine mutatione perſiſtant, experimentum hunc in finem excogitatum, dubitationibus fuit obnoxium. Aquae nimirum guttulam aſpergebam eiusmodi corporibus, et num reſorberetur, nec ne, ſollicite obſeruabam; in primo caſu terram, in altero lapidem me pertractare autumabam. Lapides vero arenarios et pumices aquam facilius fere reſorbere, quam terras, videbam. Vlterius deinde hoc experimentum proſequutus, num poſt abſterſionem aquae ſuperficies polita maneret, nec ne notabam; prius ſi eueniret, lapidibus, poſterius vero ſi contingeret, terris adiudicabam. Sed hac quoque ratione inſtitutum examen dubium me ſaepius reliquit, in ſpecialioribus ergo caſibus illud valere arbitror, nunquam tamen pro vero et diſtinctioni apto charactere aſſumi poteſt. In vera igitur methodo conſtruenda limites incertos, vt ſemper indicemus, neceſſe eſt.

Paulo accuratiorem deinde terras inter et lapides inſtitui comparationem. Lapides membranacei molles, v. c. ſelenites, talcum et mica, et fibroſi,

congeriem eſſe deprehendit. Hiſt. de l' Acad. Royal. des Sciences an. 1701. Hiſt. p. 22 edit. Amſtel.

b) Vid. IMPERATI Hiſt. Nat. Lib. I cap. 10 in explicatione partium terrae a Varrone adductarum.

c) Loc. cit. Lib. I cap. 21.

fibroſi, vt amianthus et asbeſtus, proxime quidem ad terras accedere videntur, cum vel digitis ſaepius et vnguibus lamellae et fibrae eorum ſeparari et radi queant, in his tamen et lamellata et fibroſa ſtructura prorſus differt ab illa, quae in quibusdam terris deprehenditur. Licet enim nec lamellae nec fibrae adeo arcte inter ſe cohaereant, vt lapidis ideam prae ſe ferant, lamellarum tamen et fibrillarum partes firmius compactae ſunt, nec niſi in ſumma deſtructione diuidi poſſunt, quo tamen in caſu, non in ſe et ſua natura, ſed in illa mutatione, qua in terras abeunt, conſiderantur, vt inter alias terra talcoſa docebit.

Lapides deinde, ex arena concreti, vel ex aliis minoribus corpuſculis compacti, conſiderari merentur. Hi enim, licet friabiles quodammodo ſint, vt pumex; illae tamen, ex quibus componuntur, moleculae, arenae potius quam verae terrae ſimiles ſunt: valent itaque de his, quae de arena paulo ante monuimus, praeſertim cum omnes huius generis lapides, a ſordibus et adhaerente puluere purgati, aquam nec inquinent, nec in ea vlterius diſſoluantur.

Hinc etiam tophorum aliorumque lapidum aggregatorum natura pateſcit. Hi enim primum ex materia tenerrima coagmentati, leuiſſime cohaerent, nec non niſi longo intercedente tempore indurantur. Si igitur in illo ſtatu conſiderantur, vbi ex terreis et ſabuloſis partibus leuiter coaleſcunt, ad terras omnino referri merentur: ſi vero, accedentibus nunc aliis particulis, minimi pori replentur, et lapideam magis duritiem acquirunt, ad aliam quoque corporum foſſilium claſſem referendae erunt.

In his vero et mutatio et medius eorum ſtatus attendendus eſt, quo inter anomalias methodi artificialis referatur. Nec nos quidem reprehendendos eſſe putamus, quod in regno minerali tales methodi anomalias concedamus, cum et in reliquis naturae regnis eas admittere cogamur, quamuis organica corporum, ad ea pertinentium, ſit ſtructura, v. c. animalia maſcula cornuta, foeminea non cornuta, plantas augmento et decremento partium, vt ſtaminum et petalorum, inſignes.

Hactenus vero dicta exemplo, eoque maxime accommodato, egregie confirmari poſſunt. Aetites et geodes ex terreis et ſabuloſis coaleſcunt moleculis, et in principio coagmentationis molles inueniuntur, ita, vt voluendo eorum figura mutetur, et terram quandam diuerſi coloris, vel induratos lapillos, vel aquam ipſam in ſe contineant: quando vero, aqua, in illis contenta, in terram aut arenam vicinam depoſita, compactiores

ctiores euadunt, veram lapideam indolem aemulari videntur [d]. Cum igitur haec corpora ſemper iam indurata conſiderentur, ad lapides omnino referri debent, quae certo terris adiungerem, ſi in primis adhuc incunabulis conſtituta ea conſpicerem.

Facilius longe ſalia a terris diſtinguuntur, ſi glebas ſalinas, v. c. ſalis gemmae, conſideremus, depurata praeter ea ſalia, in cryſtallos coacta, certa ſaepius ſigna praebent, et guſtu inſuper diſtinguuntur. Primaria quoque terrarum nota, quod aquas turbidas reddat, in ſalibus vix obſeruatur, cum, in aqua ſoluta, eandem puriſſimam et pellucidam relinquant. Etſi quoque ſalia inueniantur, quae in pollinem fatiſcunt, ex characteribus tamen, modo recenſitis, facile diiudicari poſſunt.

Salinae vero particulae, cum non tantum in aere inueniantur [e], ſed aliis quoque corporibus, praecipue terris adhaereant, et in his quaſi colligantur, quaeſtio moueri poſſet, an tales maſſae terreſtres, vt ſalium matrices conſideratae, inter ſalia referri debeant, an potius ad terras pertineant. Non nego, omnes terras et humum quoque ſalia ſuſcipere poſſe, licet in paucis tanta ſalis copia reperiatur, vt maſſulae inde eductae laborantis operam compenſent; lubenter etiam concedo, dari terras, in primis nitroſas, quae praegreſſa quadam praeparatione ad ſal ſuſcipiendum, vel mixtionem potius perficiendam diſponuntur [f], has igitur arte factis potius, quam naturalibus corporibus accenſere vellem: glebas vero

d) Vid. Nouueaux Memoires de Miſſions de la Compagnie de Ieſus dans le Leuant. Tom. II à Paris 12: *L' Aetite ou pierre d' Aigle a trois qualités dans ſa mine, qu' elle perd hors de la: elle eſt tendre et caſſante comme un oeuf, elle eſt muette c' eſt à dire, qu' elle ne ſonne point, elle eſt d' une couleur viue peu foncée, mais apres avoir eté expoſé à l' air, elle ſe durcit, peu à peu comme le corail. L' Argille renfermé dans ſon ſein venant à ſe deſecher, occupe moins de place et par conſequent, elle ſonne, quand on la remue: ſa couleur d' ailleurs iaunatre et violette ſe brunit et obſcurcit* etc.

e) Salinas particulas, in aere diſperſas, omnes concedunt. Vidi quoque in regno Tunetino, in planitie circa Cairoan, vapores nitroſos ad altitudinem duarum, et quod excurrit, vlnarum, nebulae inſtar, ſupra terram eleuatos. Eos vero circa meridiem tantum, intenſius nempe aeſtuante ſole, mihi videre licuit, cum non niſi calore attracti et condenſati oculis occurrant. Vapores hi ſicci, fumi potius dicendi, erant albicantes, leuiſſime coeruleſcentes, quos, in vaſis chemicis rubicundos olim perſpectos, pro nitroſis vix aſſumſiſſem, niſi ex terra, in hac planitie collecta, nitrum parari vidiſſem; qua re cognita, fumos hos, non ſatis condenſatos, coeruleſcentem exhibere colorem iudicaui. Simili fere modo in eodem regno, in loco quodam ſicco, mare Pharaonis dicto, fumos ſalis communis, nebulae inſtar, terrae inhaerentes conſpexi. Attendi praeter ea hic merentur, quae STAHLIVS in Opuſc. Chym. Phyſ. Med. p. 542 habet: *Interim nequaquam negamus, aut experientiam manifeſtam hic praeterimus, quod vtique nitrum, adhuc terreum, primigenium illud, ammoniacalis indolis, aeſtu feruidiore ſolis, actu in aerem diſſipetur. Sed nequaquam adeo abundans eſt haec elevatio, vt inde temere magnus prouentus talium miaſmatum, nedum fluctus, flumina, immo mare quoddam eorundem, in aere fingi mereatur.*

f) Vid. STAHL. loc. cit. pag. 536 de Hiſtoria nitri naturali. Nec non CRAMERI Elem. Art. Docim. Tom. I pag. 312 ſeqq. de Nitro eiusque matrice et generatione, vbi conditiones terrae, ad nitri generationem aptae conciſe et luculenter traduntur.

ro terreſtres, quae vel ſalis copiam iam continent, vel eandem facillime et in maiori quantitate ſuſcipiunt, inter terras referre nullus dubitaui, cum ſalia ipſam terrae eſſentiam non conſtituant, et quaedam tantum terrae ſpecies ſua natura diſpoſitionem ad ſalis quoddam genus ſuſcipiendum habeant, quae in aliis terris deſideratur.

Ad inflammabilia progredimur, inter quae plurima foſſilia, quae fluida vel ſemifluida ſunt, a terris plane differunt: ſed illa quoque, quae, quod friabiles ſunt et aquas leui quadam ratione inquinant, ad terras accedunt, vt carbones foſſiles, igni admota vel liqueſcunt, vel flammam concipiunt, ita, vt facili hoc experimento differentia ea inter et terras ſatis inſignis obſeruetur. Non deerunt tamen exempla, inferius adducenda, quae inflammabilia quaedam foſſilia, ob magnam terrae copiam admixtam ex eodem, quod de ſalibus conſtat, fundamento, ad terras referendas eſſe declarabunt. Eas tamen et ſimiles alias terras non ad genuinas ſed ad ſpurias retuli, et ſuo loco fuſius ſum explicaturus.

Ipſa quidem, quae vel vere natiua ſunt, vel arte ex mineris ſuis educuntur metalla, facile et vel eo iam, quod mallei ictibus cedant, a terris diſtinguuntur. Minerae vero, quae metalla continent, et ex quibus ea elici poſſunt, non raro tanta terram attingunt affinitate, vt niſi examen inſtituas docimaſticum, peritiſſimos quoque fallant. Ex quo inſimul patet, metallorum explorationem, quam nonnulli ad phyſicam magis, quam ad hiſtoriam mineralium naturalem pertinere arbitrantur, in hac quoque praeſtantiam ſuam optime demonſtrare, et in caſu dubio minime negligendam eſſe.

Aurum quidem, praeſtantiſſimum metallorum, raro vel nunquam naturam ſuam exuit, diſperſae enim in arena et terra moleculae, ſuum quoque, microſcopio conſpiciendum, characterem exhibent: aliter vero reliqua in aggregatis et varie compoſitis mineris latentia metalla ſe habent, quippe quae non raro terram ipſam mentiuntur. Minerae argenti, vitrea, cornea, rubra et alba, neminem, niſi regni mineralis prorſus ignarum, decipere poſſunt, nigra vero et plumoſa, ſi ab aquis affluentibus vel alias ob cauſas in tenerrimum pollinem conuertuntur, vt plurimum *mulmicht Silber* appellatae, externa ſua facie terras aemulantur, vt friabiles ſint et aquas inquinent: ſub docimaſticum tamen examen reuocatae, metallicam ſuam naturam facile produnt, ita, vt etiam exercitati, eandem vel ex indole venae, ex qua depromtae fuerunt, vel ex habitu minerae externo haud difficulter dignoſcant.

Simili

Simili fere ratione reliquae metallorum minerae conſiderandae ſunt. In his enim non hoc tantum, quod in puluerem conteri queant et aquas inquinent, reſpiciendum, ſed in re dubia, ad chemicam earum conſiderationem quoque recurrendum eſt. Namque characteres, in ſuperficie corporum regni mineralis occurrentes, ſaepius vix ad aggregationem particularum, nedum ad internam eorum mixtionem detegendam ſufficiunt. Licet enim facile conceſſerim, permultas inueniri mineras, quas artis periti ex ſignis externis, per iteratas obſeruationes formatis, primo ſtatim cognoſcunt intuitu, vix tamen crediderim, ea tam diſtincta effici poſſe, vt vocabulis aptis exprimi, et methodo adaptari queant.

Primaria vero, quae hoc loco moueri poteſt, dubitatio, forte ab ochris deſumi poſſet, quas omnes corporum mineralium ſcrutatores terrarum nomine inſignire videmus [g], licet ob metallicas, quas continent, particulas ad mineras referri mereantur. Hic vere dubii ſunt limites metalla inter et terras, vt metalla in terras quaſi abire videantur. Optime quidem noui, metallorum calces non in genere terras dici poſſe [h], quamvis his ſimiles inueniantur, et ad eas, partim quod friabiles ſunt, partim quod aquas pellucidas turbant, quam proxime accedant. Ipſa enim calcis v. c. auri in priſtinam metallicam formam reductio ſatis teſtatur, et minimas calcis moleculas verum fuiſſe aurum. Ignobiliora vero metalla et martis inprimis crocus, cui ochrae ferri adiungi poſſunt, maiorem omnino et veram quaſi in terram transmutationem factam eſſe, nobis perſuadent, cum in eorundem reductione ad formam metallicam multum phlogiſti ſeu inflammabilis adiiciendum ſit.

Nemo igitur nobis vitio vertet, ſi tales terreſtres glebas, quae cupri et ferri ochras in ſe continent, inter terras, a nobis pertractandas, enumeremus, dummodo maximam particularum terreſtrium copiam adiunctam oſtendant, vt vix operae pretium ſit, vt ferrum vel cuprum, cuius praeſentia per plura ſigna pateſcit, inde educatur. Quales bolos vel argillas, plus minus ochra tinctas, deprehendimus, quae tamen, hoc non obſtante, genuinis terris annumerari debent. Liberum tamen aliis relinquimus iudicium, ſi hasce ochras, in conſtituendis mineralium generibus, ipſis horum metallorum mineris accenſere velint, in primis, ſi, inſignem metalli copiam ineſſe, vel pondus, vel alia ſigna ipſis perſuadeant.

Sed

g) Vid. CRAMER. loc. cit. Tom. I § 398 pag. 259 et § 410 pag. 267.

h) Vid. BOERHAAVII Elem. Chem. Tom. I de Terra, vbi diſquirit, an terra vera in metallis inueniatur, et negando reſpondet.

Sed et ad ſemimetalla reſpiciendum eſt, quibus admixta terra nos dubios facit, num ad terras referenda ſint nec ne. In his, vt paucis multa complectar, ignis de re admodum dubia optime decernit, vt eo ipſo vel regulina antimonii ſubſtantia, vel ſulphurea et arſenicalis indoles minerarum arſenici pateat. Circa lapidem calaminarem, quem ad mineras zinci referunt[i], ancipites haerere poſſemus, cum ſpongioſus ſit, colorem denſitatemque terrarum exprimat et multas terreſtres particulas admixtas habeat. Optime tamen cognoſcitur, *ſi ruditer diffractus, ignique validiori iniectus mox tingit flammam inſtar zinci*, (colore ſcilicet eleganter viridi ex purpureo et coeruleſcente variegato) *fumumque album, denſum, copioſum exhalat, qui tamen nec ſulphur nec arſenicum redolet, ſed odoris eſt mitioris*[k]. Illae vero glebae, quae plerumque pro lapide calaminari venduntur, cum has notas raro exhibeant, ſummo iure terrarum catalogo inſeri poſſent. De iis vero, cum ad lapides potius quam terras pertinenere videantur, nullam in hoc opere mentionem fecimus.

Ad mercurii deinde mineram, cinnabarim dictam, quod attinet, ea quidem terra eſſe videretur, cum friabilis ſit, et liquores tingat; huc quoque referri poſſet, niſi limaturae martis, vel alii corpori inter deſtillandum admixto, ſulphuream iungeret partem, et viuum exhiberet mercurium.

Molybdaena porro, cum conteri poſſit, et lineas ducat, in igne denique ſatis violento, ſi pura deprehenditur, nullam mutationem ſubeat, proxime ad terras accedit. Sed cum ex micaceis atque talcoſis ſquamulis contexta ſit, et CRAMERO teſte[l], talcum quoad texturam et reliquam indolem prorſus referat, lapidibus magis, quam terris, eam adiungendam eſſe iudicaui.

Ex iis vero, quae hactenus a nobis pertractata fuerunt, quilibet colligere poterit, nos terras, improprie ita dictas, v. c. terram catechu, quae ſuccum plantae inſpiſſatum ſiſtit[m], nec non alias arte factas, terrae ſimil-

i) CRAMER loc. cit. Tom. I de Zinko pag. 296 § 465.

k) CRAMER loc. cit. pag. 297.

l) Loc. cit. Tom. I pag. 36 § 44 num. 6.

m) Multi externo huius ſucci habitu decepti, terram eſſe crediderunt, vt HOEFERVS in Hercule Medico Lib. I cap. 5 pag. 35, POMET Hiſt. des Drogues Part. III Liu. I pag. 111 ſeq. qui illam terram ex Oriente allatam, et in montium iugis, cedris in primis feracibus, effoſſam eſſe autumat, eamque Maſquiqui appellari aſſerit. Verum improprie dici terram, cum ſit ſuccus, ex vegetabilibus extractus et inſpiſſatus, nunc fere omnes confitentur. Conf. GARCIAS AB HORTO Hiſt. Aromat. Lib. I cap. 10 pag. 43 edit. Antwerp. 1593, 8; SCHROECKIVS in Ephem. Nat. Cur. Dec. I A. 8 obſ. 54 pag. 88; S. DALE Pharmacologia p. 295; P. HERMANNI Cynoſura Mat. Med. Tom. I pag. 721; LEMERY Dictionaire pag. 127; SAVARY Dictionaire Tom. I pag. 502; GEOFFROY Mat. Medic. Tom. II pag. 722 ſqq. et in primis, qui fuſius de hac re ſcripſerunt EHRENFR. HAGENDORN de Catechu, ſeu Terra Iaponica, Ienae 1679, 8, et ANTON. IVSSIEV Memoires de l' Acad. Roy. des Sciences 1720 pag. 440 ſqq. edit. Amſtel.

ſimillimas, glebas, inter pigmenta relatas, v. c. coeruleum berolinenſe[n], vel cum his conuenientes alias, in catalogo terrarum natiuarum recenſere non potuiſſe. Haec enim corpora non ab ipſa natura producta ſunt, ſed ab hominibus inuenta et varia praeparatione comparata. Et licet haud raro primarias terrarum notas exhibeant, nobis tamen, qui non artis, ſed naturae operam contemplamur, intactae in praeſenti relinquendae ſunt. Poſito vero, eas lotas ſaepius terras aemulari, rerum tamen naturalium gnaros nunquam decipient.

Sed cum nunc ad genera terrarum definienda propius accedamus, vt, quibus terrae inter ſe inuicem diſtingui poſſunt, notas curatius penſitemus, ipſa rei ratio poſtulat; cum ex his tantum, rite declaratis, quaenam verborum, a nobis receptorum, ſit ſignificatio, perſpici poſſit. Verum enim vero maxima in characteribus his eruendis et definiendis nos premit difficultas. In conſideratione regni animalis et vegetabilis, a partium figura, ſitu, nexu, numero et proportione notas deſumimus, in minerali vero regno haec omnia non ſatis accurate diſtinguere poſſumus, cum aggregatio tantum et intima mixtio in corporibus, ad hoc regnum pertinentibus, locum inueniens, characteribus formandis minime ſufficiat. In plantis flores eiusque partes, calix, corolla, nectarium, ſtamen et piſtillum, ita quidem ſitu, nexu, numero et proportione differunt, vt generum characteres inde erui, et ex reliquis plantae partibus, foliis nempe, caudice et radice, earumque differentiis ſpecies determinari queant. Id, quod in regno vegetabili felici cum ſucceſſu praeſtiterunt botanici, laudanda ſane induſtria hiſtoriae animalis ſcriptores imitati ſunt. Deficiens vero in mineralibus corporibus, terris in primis, diuerſa partium organicarum ſtructura et characterum conſtantia, tantas mihi peperit difficultates, vt de formanda mineralium, praeſertim vero terrarum, methodo ſaepius dubitarem, et labores ſemel iterumque inceptos ſeponerem.

Omnibus tamen rite ponderatis, et terris variis multoties inter ſe comparatis, id mihi peragendum eſſe ſentiebam, vt variam ſuperficiei et materiae indolem exponendo, ad characteres euidentes et conſtantes pervenirem. Licet enim et hac ratione non omnia ex voto cederent, ſed gradu magis, quam re ipſa diuerſae inter ſe terrae, limites generum certos figere haud permitterent, terrae praeter ea in loco natali erutae ab exſiccatis et in muſeis aſſeruatis differant; conanti tamen omnia felicius ſucceſſura ſperabam, cum tam praeclara tamque eximia, qua Regium muſeum ſuperbit, terrarum collectio animum adderet, et diſpoſitionem methodicam ſuſcipiendam ſuaderet.

Ele-

n) Conf. Miſcellanea Berolinenſia p. 377 ſeq. Berolini 1710, 4.

Elementaris terrae notio, vt ſupra monuimus, huc non pertinet, alias vnicum tantum terrae genus conſtituendum eſſet. Sed, dum terrea elementa vel ſola inter ſe, vel interpoſitis aliis, diuerſae naturae, corporibus coaleſcunt, variae particulae formantur, quae mixtione diuerſae ſunt, et vel omnes terreae, vel maxima ex parte terreae appellari poſſunt. Quodſi etiam omnes terreae tantum ſint, aliae tamen denſius, aliae laxius compoſitae peculiares terras efficiunt, ſi cum aliis ſimilibus conferantur. Nos vero, qui hos compoſitionis modos, probabili tantum ratione expoſitos, in minimis particulis declarare non poſſumus, per characteres, terris proprios, obſcure ſaltim eos innuimus, vt itaque tria in poſterum notanda ſint: 1) Affinitatem terras intercedere, quae in methodo nonnullas ſpecies dubias reddit. 2) Dari tranſitum naturalem ex vno genere ad aliud, ex cauſſis accedentibus prouenientem. 3) Terras, prout vel in naturali ſede ſe habent, vel in muſeis aſſeruantur, conſiderari. Ipſa vero, quam nunc ſuſcipio, de characteribus terrarum tractatio, ita inſtituenda eſt, vt omnes aeque ac ſinguli, vel ab auctoribus iam dudum traditi, vel a me quoque inuenti, deſcribantur, diiudicenturque, additis inſuper rationibus, quae, vtrum terrae, ſecundum normam earum examinatae, ad genera an ad ſpecies potius et varietates reducendae ſint, optime nobis perſuadent. Ex his namque praemiſſis, in hoc capite genera in methodum aptius cogi et definiri, ſpecies autem et varietates ſequenti capite exponi poterunt.

Veteribus quidem, vt plurimum, diſtinctio, a loco natali deſumta, placuit, cum terrae, variis vſibus accommodatae, in certis tantum locis inuenirentur. Inde et eſt, quod in PLINIO et DIOSCORIDE Lemnia, Samia, aliaeque terrae, adiunctis ſimul quibusdam bonitatis notis deſcribantur. Non quidem negamus, nomina, ab aliis terrarum affectionibus petita, inueniri penes antiquiores ſcriptores, in primis tamen illi ad loca et inſulas reſpexerunt, ex quibus terrae afferebantur. Cum deinde illi, qui veterum ſcripta illuſtrarunt, haec quoque nomina aſſumere tenerentur, factum inde eſt, vt a recentioribus inuentae terrae ſimili modo, nominibus, a loco natali deſumtis, inſignirentur, vt Melitenſis, Strigonienſis.

Quemadmodum autem hi, a veteribus terris adſcripti, characteres, vel incompleti, vel minus certi inueniuntur, vt hanc etiam ob cauſſam antiquos inter atque recentiores ſcriptores nata ſit diſſenſio: ita et nomina, ab iis deſumta, methodo conſtruendae minus apta eſſe videntur. Terrae, Cimoliae vel Samiae ſimiles, paſſim in Europa effodiuntur, quae ſaepius non niſi indiuiduali, vt dicunt, differentia a veterum terris diſcrepant.

Terras

Terras itaque, quas nunc pertractamus, nec ad veterum characteres reducere, neque illa, quae ipſis a loco natali impoſita fuere, nomina, in methodum noſtram recipere potuimus. Id igitur in noſtra tractatione ratione methodi obſeruabimus, quod DANIEL SENNERTVS [o] ad vires terrarum reſpiciens, ſequentibus commendat verbis: *Praeſtat terrarum vires potius generi, quam loco adſcribere, et quamque ex ſua natura aeſtimare, terrarumque vires experimentis probare.*

In eruendis terris, quaedam in ſuperficie telluris collocatae, aliae in ſtratis ſubterraneis amplioribus anguſtioribusque diſpoſitae, aliae vero in venis et commiſſuris ſaxorum inueniuntur, haec igitur ab illo, ex quo terrae depromuntur, loco deſumta diſtinctio, priori multo accuratior et naturae magis conueniens eſſe videtur. Sed, ſi dicendum, quod res eſt, hae notae ad phyſicam magis deſcriptionem, quam ad methodicam terrarum diſpoſitionem pertinent, in primis, cum terrae in muſeis aſſeruatae, rarius characterem loci natalis exhibeant, vtpote qui non niſi ex eorundem catalogis addiſci poteſt. Sed, ſi etiam concedamus, varia terrarum genera certa ſemper loca ſeruare, v. c. margas et lithomargas in venis, cretam et tripelam in ſtratis deprehendi, aliae tamen vbique, certo cuidam loco affixae, non deprehenduntur. Quis enim argillam non vidit in ſuperficie telluris, aeque ac in ſtratis maioribus et in fiſſuris rimisque ſaxorum haerentem? Fateor equidem, illum, qui in ſcriptis eruditorum eligitur, ordinem, ad naturae normam adornandum eſſe, niſi vero characteres eligantur, corporibus naturalibus ſemper et ſub omni conditione inhaerentes, imperfecta euadit methodus. Haec itaque diſtinctio ad genera definienda inepta, in ſpeciebus vix adhibenda erit, ſed in varietatibus tantum declarandis, terrarum ſcientiae lucem affundit.

Eadem ratione cum illa comparatum eſt methodo, quae ab vſu, cui haec illaue terra inſeruit, deduci poteſt; licet concedamus, medicis, mechanicis et oeconomicis vſibus quasdam terras eſſe accommodatas; conſtitutae namque hae claſſes minus certae ſunt ſaepiusque fallunt. Si enim ſolam cretam conſideres, nonne illa omnes hos vſus praeſtat, vt in omnibus his claſſibus recenſeri deberet? Operae igitur pretium non eſt, vt hae ſimilesque diſtinctiones vlterius explicentur. Quod vero ad illos, quos terrae exhibent vſus, attinet, ii ſparſim reliquis de natura earum expoſitionibus, ſubiungi poſſunt.

His

o) In Epit. Nat. Sc. Lib. V cap. 1 edit. Opp. Lugdun. 1676 fol. Tom. I pag. 51.

His igitur relictis, illi potius notari merentur characteres, qui ſenſuum ope a materie et ſuperficie terrarum petuntur. In hac vero hiſtoriae naturalis parte viſus et tactus maiores nobis ſuppetias ferent, quam guſtus atque olfactus, licet hi non plane, vt auditus, in ſignis eruendis reiiciendi ſint.

In limine operis adhuc conſtitutus, cum inter terras et lapides tanta intercedat conuenientia, terras quoque, vt lapides, in ſimplices et compoſitas diſtingui quidem poſſe ſperabam. Eas igitur, quae in particulis, ſenſu diſtinguendis, ſimilem materiam ſimilesque affectiones habebant, ſimplices ſiue homogeneas, quae vero ſenſui diuerſam particularum materiam offerebant, compoſitas ſiue heterogeneas terras appellabam. Hunc vero diſtinguendi modum aut non ſatis accurate definiri poſſe, aut ad vltimam ſaltim ducere mixtionem, quam tamen in methodo aſſequi haud poſſumus, re penitius penſitata, perſpexi, eo praeter ea argumento commotus, quod variae terrae, viſui et tactui ſimplices obſeruatae, guſtu vero exploratae, compoſitis annumerandae ſint. Vix enim reperietur terra, cui non aliquid metallici vel ſalini admixtum inueniatur. Multae denique terrae lamellatae, ex ſtratis variis compoſitae, in ſingulis ſtratis diuerſam exhibent terram, vt ex ſimplicibus compoſitam et a priori conceptu alienam terram ſiſtant. Haec autem diſtinctio, quamuis in generibus deſcribendis admittenda non ſit, non prorſus tamen reiicienda erit, quoniam in ſpeciebus et his annexis varietatibus differentias terrarum optime declarat.

Huic vero diſtinctioni alia, terrae continuae et interruptae, iungenda, et ſimili, vt praecedentes, modo diiudicanda venit. Continuae terrae dicuntur, quae aequalem omnium particularum cohaeſionem, id eſt, vnam eandemque indolem oſtendunt: interruptae autem appellantur, quae inaequalem cohaeſionem et diuerſam in diuerſis locis conſiſtentiam obtinent. Hae ex variis maſſis, ſenſu diſtinguendis, coagmentantur, ita quidem, vt nullam earum, tanquam primariam, ad quam altera quaſi accedat, aſſumere poſſimus: illae vnam maſſam vbique ſibi ſimilem exhibent. Haec vero notio, cum praecedentem ſimilitudine proxime attingat, et nullas niſi accidentales terrarum mutationes inuolvat, generibus conſtituendis apta non erit.

Eadem fere de purae et impurae terrae ſignificatu ferenda eſt ſententia. Nullae enim terrae purae dici poſſunt, niſi omnibus aliis particulis deſtituantur, ſed cum raro vel nunquam terrae ſint obuiae, quae particulis

particulis metallicis vel ſalinis prorſus careant, vt paulo ante aſſeruimus, haec etiam puritatis idea reliquis accenſeri debet, et ſaepiſſime tantum ad mutabiles et fortuitas terrarum concretiones explicandas pertinet.

Nec illa, quae chemicis in vſu eſt, terrarum diſtinctio, reticeri debet. Praeter eam enim, quam ex BECCHERO de terra elementari, vitreſcente, ſulphurea, et mercuriali Cap. I adduximus, differentiam, terras, quibus lapides in examine docimaſtico haud ſine ratione iungunt, in vitreſcentes, calcareas, et apyras [p], vel alia ratione in alcalinas ſiue calcareas, gypſeas, argillaceas et vitreſcibiles, ſtricte ſumtas [q] diſtinguunt. Has quidem diſtinctiones, ſi examen docimaſticum ſpectes, et ex plurimis terris non niſi quasdam puriſſimas glebas examinandas tibi ſumas, omnino admittendas eſſe iudicamus, in primis, cum ad vſus terrarum, in variis artis operibus deſignandos, preſſe ſpectent. Nobis vero tot et tam diuerſas, quas telluris gremium exhibet, concretas terras examinantibus, hac via progrediendum non eſt. Methodi enim, in hiſtoria naturali aſſumtae, leges id exigunt, vt ex characteribus, ſenſu cognitis, corpora naturalia diiudicentur, quibus eruendis examen adeo moleſtum, quale docimaſticum eſt, haud conuenit, in primis, cum inextricabilis fere mixtorum et concretorum ſeries, experimentis detectos characteres fallaces, et methodo minus aptos reddat.

Ex ipſa vero, quam ſupra exhibuimus, terrae definitione, ad vniverſalem quandam deducimur diuiſionem, qua terras in genuinas, dubias et ſpurias diſpartimur. Genuina terra eſt, quae in aqua ſemper diſſoluitur, et in paſtam plus minus tenacem abit. Dubia appellatur, quae quidem in aqua non diſſoluitur, ſed raſa tantum in paſtam magis vel minus tenacem redigitur, terrae genuinae inſtar cohaerentem. Spuria denique, corpora alia, terrae ſimilia, ſub ſe comprehendit. Ex his genuinas terras primario quidem et vnice forte a nobis diſquirendas eſſe quilibet perſpicit. Sed, cum dubiae, quae lapides inter et terras medium quaſi tenent locum, ob friabilitatem ad terras propius accedant, et has quoque prioribus iungere et accuratius deſcribere, mearum partium eſſe duco. Spurias terras ab hoc opere remouendas, et ad reliquas magis regni mineralis claſſes transferendas eſſe, lubenter quidem conceſſerim, eas tamen non prorſus omittendas eſſe iudicaui, hanc praecipue ob cauſſam, quod tranſitum a terris ad reliqua mineralia indicant, et a multis hiſtoriae naturalis ſcriptoribus terris annumerantur. In earum vero

p) CRAMER in Elem. Art. Docimaſt. Part. I pag. 30 ſqq.

q) POTTIVS *in chymiſchen Unterſuchungen von der* Lithogeognoſia pag. 3.

vero tractatione ita me geram, vt primariis tantum, et iis, quibus ad terras proxime accedunt, affectionibus, in generum diſquiſitione deſcriptis, non niſi paucas ſpecies exempli loco ſubiungam, quamuis inſignis earum copia in auguſtis Muſei Regii receptaculis reperiatur.

Generalioribus his, de differentia terrarum, conceptibus, raritatem et denſitatem, quam in diuerſis glebis adeo euidenter conſpiciebam, ſubnectere penes me erat conſtitutum. Rara nimirum terra eſt, cuius particulae leuiter tantum cohaerent, denſa vero, cuius partes firmius inter ſe connexae deprehenduntur. Rarae terrae vel ab oris flatu diſſipantur, vel digiti, leuiter impreſſi, lineas et ſulcos, in cuticula obuios, oſtendunt, vel etiam exigui momenti virium interuentu in pollinem vel minores fatiſcunt particulas. Omnibus hisce notis a terris denſis diſcrepant, quae non niſi fortiori digitorum impetu vel inſtrumento quodam duro, in maſſas minores diffringuntur magis, ita, vt fragmenta, a particulis, in pollinem redactis, ſatis differant. Licet vero haec declarata diſtinctio ab ipſa friabilitatis, quam terris ſupra, in generaliori earum definitione, adſcripſimus, notione, originem duxiſſe videatur, ea tamen tantis anſam praebet fallaciis, vt inter characteres certos nulla ratione referri poſſit. Eadem enim terrae ſpecies, per cauſſas ſaepe naturales, v. c. impetum aquae, incumbentium ſtratorum molem, aliasque, compacta admodum euadit, quae aliis in locis, vbi particulae terreae, aquis inhaerentes, ex rimis montium lente deſtillant, et alio, minus quidem arcto, modo in ſtratis et venis diſponuntur, rara manet, id quod ex morochti ſpeciebus ſuo loco patebit. Ratio deinde cohaeſionis variis in glebis gradu tantum differt, vt limites difficillime conſtitui queant. Haec ipſa denique diſtinctio, in generibus omiſſa, et in determinandis ſpeciebus aſſumta, vel ex iisdem cauſſis, vel quod totae aliquando terrae manuum ope in maſſas magis compactas rediguntur, nobis ſaepius vt dubia in recenſendis varietatibus non raro adhibenda fuit.

His quoque terrae durae et mollis notio forte annumerari poſſet: ſed, licet denſum inter et durum nulla inueniatur differentia, inter molle tamen et rarum quaedam ſubeſſe videtur, eo in primis ex fundamento, quod rarae terrae tactu quoque aſperae, molles nunquam tales eſſe poſſint: eam vero in praeſenti vlterius non rimabimur, cum alio et commodiori loco reſeruanda ſit. Eadem fere de compactis poroſisque dicenda ſunt terris, in iis namque compactae cum duris et denſis proxime conueniunt, poroſas autem quod attinet, earum natura in inſtituendo terrarum ſiticuloſarum examine luculentius apparebit.

Non

Non ab iis tantum, quae terras conſtituunt, particulis, ſed ab arctiori quoque earundem cohaeſione euenire videtur, quod quaedam glebae graues et ponderoſae, aliae contra leues inueniantur. Hanc igitur notam, cum ſaepe in aequalis magnitudinis maſſis inſigniter differat, indeque internam terrarum naturam prodat, in ſpeciebus terrarum attendendam eſſe exiſtimamus.

Ea nunc, quae macras et pingues intercedit terras, conſideranda venit differentia. Haec non ex tota terrarum materia, ſed ex terrae tantum ſuperficie, ſola tactus ope, deſumenda eſt, vnde ſimul apparet, terrae quoque leuis et ſiccae notiones cum prioribus fere conuenire. Illa igitur terra, quae digitis explorata, aliquem laeuoris, cum vnctuoſitate quadam coniuncti, ſenſum exhibet, vel etiam aliis corporibus applicata, illa quaſi inungit, laeuis vel pinguis appellatur: ſiccae vero ſeu macrae nomen meretur, quae illo laeuore, in omni v. c. veri boli ſpecie facile percipiendo, deſtituitur, et quae, digitis admota, eosdem ſaepius inquinat, nunquam tamen inungit. Antea quidem NEH. GREWII [r] amplectebar ſententiam, qua affirmat, pinguitudinem, vt ita dicam, terrarum et laeuorem, a ſubtilitate particularum, terram quandam conſtituentium, dependentem, non veram eſſe, ſed apparentem. Sed dum perpendo, dari terras maxime ſubtiles, flatu quaſi oris diſſipandas, quae tamen macrae adhuc ſunt, et nec tactui, nec guſtui, pinguitudinis notam imprimunt, mentem mutare cogor. Facile quidem largior, non verum oleum [s], ſed aliud quid, nondum adhuc ſatis perſpectum, pinguitudinem terrae conciliare, ad oleoſi tamen liquoris indolem illud accedere, inde confirmatur, quod terrae pingues, leuiter calcinatae, ſicciores euadunt, et pingue hoc terrarum, dum aquas in cryptis ſubterraneis inquinat, invngendis potius, quam deſtruendis machinis metallifoſſorum inſeruit. Eo vero confidentius, hanc, licet obſcuram quodam modo viſam, differentiam in generibus ordinandis aſſumſi, quo magis terream particularum indolem prodit, ita, vt optimas et genuinas notas, harum rerum gnari, inde colligere poſſint.

Siccae deinde terrae in molles iterum et aſperas diuiduntur. Aſpera vocatur, quae digitis contrita, ſtridorem efficit, mollis e contrario, quae ipſum

r) In Muſeo Regalis Societatis Lond. 1681 fol. Part. III chap. 3 pag. 347: *This and other like ſmooth earths are commonly called* pingues *or fat; abſurdly for* laeues *or ſubtiles. Their ſeeming* pinguitude *proceeding only from the exquiſite fineneſs of the particles, of which they conſiſt.*

s) HENCKELIVS de Appropriatione Chemica pag. 30 ex bituminoſis terris particulas nonnullas pingues per ſpiritum ardentem extrahi docet; ſed ibi de noſtris terris pinguibus ſermo non eſt.

ipſum hunc ſonum non edit. Sed fallax admodum eſt adducta haec diſtinctio, arena namque ſaepe terris admiſcetur, et ſenſus, quem tangendo eas percipimus, ab admixtis magis, quam a verae terrae particulis dependet. Cum interim in diſtinguendis, morochto et tripela, hanc aſſumere debuerimus differentiam, eandem quoque ſuo loco vlterius explicabimus.

His ita conſtitutis, alia nunc dirimenda veniret quaeſtio, ea nimirum, an pingues et vnctuoſae ſiue vnguinoſae terrae vnam eandemque claſſem conſtituant, cum humus, ex paludoſis locis deſumtus, licet vnctuoſus, immo tenax appareat, nullam de reliquo cum noſtris terris habeat convenientiam. Spuria vero haec terra, ex variis, diuerſique generis, particulis compoſita, de animalium, vegetabiliumque partibus multum participat, vnctuoſa inde euaſit, hinc noſtram attentionem in veris diſquirendis terris non exigit.

In lapidibus non inepta quaedam eſt diſtinctio, qua fracti laeues et aſperas oſtendunt ſuperficies, quam ſaepius etiam, in terris denſis diſtinguendis, adhibere poſſemus, niſi paucae tantum modo terrae fractae politam exhiberent ſuperficiem, vtpote quae, vel per attritum illis conciliatur, vel prorſus non obtinetur. Hae inſuper terrae conditiones ex glebae ſuperficie cognoſci, et ad praemiſſas diſtinctiones commode referri poſſunt. Cum vero ipſa haec, tactu viſuque cognita differentia a particularum figura dependeat, videndum omnino eſt, an illa in concretis minimis particulis certo quodam modo determinari poſſit. Pro certo equidem habemus, quasdam terras farinae ad inſtar, ſub pulueris, leuiter cohaerentis, ſpecie apparere, alias porro granoſas, ſcilicet moleculas minimas rotundiores, vel ad rotundam figuram propius accedentes, alias denique lamellas minimas ſeu ſquamas exhibere, ita, vt diſtinctio in terras farinoſas, granoſas et ſquamoſas aſſumi poſſit. Verum enim vero, cum particularum figura non niſi obſcure pateat, et per cauſſas non ſolum naturales, ſed et artificiales ſaepe mutetur, et dubitationes haud definiendas relinquat, omnes hae differentiae, pinguis et macrae, laeuis et aſperae terrae notionibus ſubiungendae erunt.

A diuerſa vero particularum indole dependere videtur, quod terrae quaedam, corpora non nulla, vel digitos, quibus ſubſunt, inquinent, aliae vero non, et quod, in primis ſi duriores ſunt, lineas ducant, vel non ducant. Omnes fere texturae rarioris terrae digitos inquinant, licet ipſa haec inquinatio gradu ſaepe differat: in terris vero duris haec diſtinctio funda-

fundamento non deſtituitur. Licet enim non negemus, a corporum, quibus terrae atteruntur, ſuperficie potiſſimum prouenire, quod aliae terrae lineas ducant, aliae non; ſic enim pingues et admodum politas, nec vlla ratione aſperas ſuperficies, terrae, ſupra eam ductae, nulla exprimere veſtigia ſcimus: attamen, cum communis vitae vſus terras graphicas plurimum commendet, et nos in ipſa earundem materia aliquid inueniamus, quod diſtinctioni anſam praebet, conſueta hac in re via progrediendum eſſe exiſtimauimus.

In inſtituto cum terris examine aqua potiſſimum, vel alius aquae ſimilis liquor, nec acidus nec alcalinus, ſuperficiei glebarum aſperſus, quasdam iis mutationes inducit, quae notas exhibent characteriſticas. Quaedam terrae guttulam aſperſam ſtatim reſorbent, in aliis vero per aliquod temporis ſpatium guttula commoratur, et lente demum abſorbetur. Illae ſiticuloſae, hae non ſiticuloſae dicuntur. Cum vero obſervarem, alias aquam reſorbere ſine eo, quod in ſuperficie multum diffluat, in aliis vero guttulam longe lateque per ſuperficiem diuagari, nouam diſtinctionem, priori ſubordinandam conſtituere volui, ſed fallaciis eandem obnoxiam eſſe cognoui, quod non tantum terrae, textura diuerſae, hanc oſtendant differentiam, ſed eadem ſaepius terra in loco polito guttam cohaerentem prodat, in loco vero inaequali et diffracto eandem diffluere faciat.

Illa vero terrarum differentia firmiori forte nititur talo, qua aliae terrae mutato colore maculam humidam ad tempus retinent, ita, vt ſuperficies earum neutiquam variata, ab attritu rurſum laeuigari poſſit: aliae vero, ſeparatis et eleuatis particulis, inaequalem ſuperficiem oſtendunt, quae, ſi digitis locus aſperſus fricetur, paſtam tenacem exhibent. Inde et eſt, quod primi generis terrae, aquae immiſſae, in pollinem fatiſcant, et difficulter in paſtam cohaerentem et tenacem redigantur, reliquae vero in paſtam vertantur. Licet autem per inſtituta haec experimenta terrarum natura egregie inueſtigari poſſit: notae tamen adeo ſunt obſcurae, vt vix ac ne vix quidem certis et indubitatis regulis accommodari queant. Eadem ratione et illa conſideranda ſunt experimenta, quae ſubtiliſſimas terrarum particulas, in aqua ſolui, non vero omnes ſubſidere, ſed filtra interdum cum ipſo liquore tranſire, alias vero, inter ſe cohaerentes, vt grauiores fundum petere, alias denique firmiter ſibi inuicem iunctas in infima liquoris parte collocari docent.

His probe perſpectis, non ſiticuloſas dictas in tenaces et fatiſcentes diſtinguendas eſſe cenſeo, priores ab aqua affuſa ſenſim ſenſimque in paſtam

ſtam mutantur tenacem, poſteriores aqua affuſa in fruſtula plus minus magna fatiſcunt, et in partes irregularis figurae diuiduntur. Ex his aliae, quas puriores iudico, fiſſae ſtrepitum aliquem, vitro diſſilienti ſimilem, edunt, aliae vero impuriores viſae, ſine vllo ſtrepitu, tantum fatiſcunt.

Dum vero has notas diſquiro, ad eam ſimul animum aduerto, ſecundum quam terrae linguae vel adhaerentes vel non adhaerentes reperiuntur. Lingua enim, ſaliua madida, terrae adhaerere non poteſt, niſi haec ſaliuam reſorbeat, ita, vt terra inde cum lingua coniungatur. Praeter ea vero, quod hic character ſiticuloſae et non ſiticuloſae terrae notionibus affinis ſit, ipſa ſaliuae indoles in variis hominibus et pro temporis ratione, quam maxime diuerſa, hanc notam magis fallacem reddit, quam praecedentes.

Hactenus recenſiti, et ab aſperſa aqua deſumti, characteres, ad alias nos ducunt notas, ab aſperſis acidis prouenientes: cum quibus aliae terrae efferueſcunt, aliae non. Has vero primo quidem intuitu, ad optimas et generibus diſtinguendis ſufficientes affectiones referri poſſe autumaui, in primis cum intimam particularum indolem declarare videantur, multis tamen, in ſpecierum explicatione adducendis experimentis, eo fui deductus, vt efferueſcentiam ad characteres, ſpeciebus ordinandis aptos, referrem. Multae enim terrae, quae natura ſua proxime ad ſe inuicem accedebant, et efferueſcebant, et ipſa hac mutatione deſtituebantur. Dum autem in methodo formanda occupatus, ordines terrarum ex characteribus externis eruere allaboro, ea certe ſigna, quae partes, terris admixtas, non vtique produnt, in conſtituendis generibus adhibere non poſſum. Alias, quae hic occurrunt, fallacias, intactas in praeſenti relinquo, ſi v. c. vna terra cum acido quodam efferueſcit, cum aliis vero non, ſi admoto acido leuis quidem motus oritur, quem tamen efferueſcentiae nomine vix compellare poſſis.

Differentiae, ex ſaporibus deſumtae, in terris puris locum vix habent; ſi enim ſapidi quid diſtincti in terra eſt, tunc omnino ad admixtas potius, quam ad proprias terreſtres particulas, reſpiciendum erit. Praeter ea et apta ſaepius deficiunt vocabula, et exſiccantis, adſtringentis, ſubadſtringentis etc. ſaporis differentiae vix certo definiri poſſunt. Idem iudicium de odore ferendum eſt, cuius quoque nulla in terris examinandis eſt vtilitas, niſi peregrini quidquam admixtum inde percipiatur, quo in caſu terra non ſolum naribus admoueri, ſed inſimul frictione calefieri, aut carbonibus iniecta reſolui debet, eum in finem, vt ſulphureas, vel arſenicales, vel alias prodat particulas.

Ad

Ad colores tandem accedo, qui in terris ita variant, vt differentiae eorum verbis ſaepius vix exprimi queant. Ad has colorum varietates multi in terrarum examine in primis reſpexerunt, ex quo factum eſt, vt neglectis reliquis terrarum affectionibus iterum iterumque deciperentur, aurum, argentum nec non alia metalla terris ineſſe, colorum fallacia ſeducti, audacter nimis aſſerentes. Licet prorſus negare non auſim, ab adhaerente metallo, in primis aere et ferro ſoluto, terrarum colores vix non ſemper dependere. Inſigniter interim in terrarum coloribus ludit natura, aeris enim ignisque vis ſaepius colores adeo mutat, vt terrae humidae, recens effoſſae, exſiccatis iisdem et aeri ad tempus expoſitis, prorſus ſint diſſimiles. Diuerſae porro vnius ſtrati glebae, quoad colores adeo diſcrepant, vt diuerſos haud raro auctores vni eaedemque terrae diuerſos adſcripſiſſe colores inuenias. Nec denique metalli admixtio et miſcelae gradus ex ſolis coloribus certo determinari poteſt. Plura quippe mineralogiae capita, v. c. illud, quod mineras plumbi tractat, ſatis teſtantur, coloribus non eſſe fidendum. Hoc vero de terris in primis valet, in quibus non ad admixtionem, ſed ad leuem tantummodo tincturam reſpiciendum eſt: alias enim omnes, coloribus imbutae glebae, ex numero terrarum noſtrarum eximendae et ad alias mineralium claſſes referendae eſſent. Ex his igitur cuilibet facile patet, a coloribus petitas differentias in generibus non adhibendas eſſe, ſicut et illae in ſpeciebus determinandis non ſufficiunt, ſed in varietatibus tantum enumerandis vtiles ſunt. His euictis, errorem commiſiſſe videri poſſemus, dum in ſpeciebus terrarum enarrandis ad ipſos earundem colores reſpeximus. Cum vero in tanto terrarum numero is, qui requiritur, ordo ſeruari non potuiſſet, ſi omnes colore tinctae terrae varietatibus annumerentur, veniam nos impetraturos ſperamus, in primis, quod inſigni tantum colore ſpectabiles terras, reliquis leuiter tinctis inter varietates relatis, ſpeciebus accenſeri coacti ſumus.

Hanc autem, de differentiis terrarum diſquiſitionem, eam in primis ob rationem praemittendam eſſe duximus, vt alii methodum, quam nunc propoſituri ſumus, perluſtrantes, ipſas vlterius examinare et cum propriis obſeruationibus collatas, accuratius paullo diiudicare valeant. Illi, ad quos in concinnanda methodo reſpeximus, characteres, ex crebriori denique terrarum, quibus auguſtum Muſeum Regium ſuperbit, examine et mutua earundem comparatione originem duxerunt. Non quidem diffitemur, hunc ipſum laborem tantas peperiſſe difficultates, quae ab opere ſuſcepto facile nos deterrere potuiſſent; cum vero terrarum, quae crudae dicuntur, ea ſit copia, vt confuſe et nulla obſeruata regula de-

clarari non poſſit, ipſa rerum dicendarum dignitate commoti, notas, ex indole terrarum deſumtas et methodo adaptatas, in ordinem redigere tentauimus. In naturalibus autem hiſce corporibus, non de organica eorundem ſtructura et ſignis inde prouenientibus, ſed de particulis tantum concretis et vario modo coordinatis, ſermo eſt, a quibus deinde via ad aggregationem ſic dictam particularum ſimpliciorem, immo ad mixtionem ipſam patet, quae ex ſignis externis, vtpote fallacibus, cognoſci non poſſunt, quare vlteriorem eorundem diſquiſitionem tentaminibus phyſico-chemicis relinquimus. Haec quamuis ita ſe habeant, hiſtorica tamen haec noſtra cognitio illis multum praeſtabit vtilitatis, quae deinde hanc quoque ſuis perficere poſſunt obſeruationibus. Noſtra methodus artificialis eſt, quae nullo alio modo perfici et in naturalem conuerti poteſt, niſi obſeruationibus docimaſticis, rite inſtitutis, et cum externa terrarum textura comparatis, notae, noſtris forte certiores, inueniantur.

Sequens vero tabula, methodi, vlterius a nobis declarandae, delineationem ſiſtit:



Prodeunt itaque ſumma et praecipua terrarum genera, quae ſingula vberiorem adhuc et accuratiorem explicationem poſtulare videntur. In hac vero tractatione ad genuinas in primis et dubias terras animaduertendum erit, cum ſpuriae, vt alibi iam dixi, ad nos non pertineant. Omnem quidem operam dedi, vt generum definitiones nec nimis amplae neque conciſae nimis proponerentur, cum vero terrae tantis ſint obnoxiae mutationibus, vt de puriſſimis vix cogitari poſſit, notandum praeſertim

praeſertim eſſe cenſeo, me ad principes ſemper, in quolibet genere definiendo, animum direxiſſe, quod in iis notae primariae melius apparent, quam in aliis, in quibus variae particularum peregrinarum acceſſiones obſeruandae ſunt. Id inſuper in quolibet genere explicando ſuſcepi negotii, vt omnes conſulerem auctores, quos paſſim in Riuinianis excitatos deprehendi aduerſariis, eos vero in primis attento perluſtraui animo, qui accuratiores quasdam deſcriptiones exhibere videbantur. Licet enim certum ſit, quam quod certiſſimum, naturam magis indagandam, quam diuerſas auctorum ſententias colligendas eſſe, diſcrepantes tamen ſcriptorum opiniones, cum ipſis naturae veſtigiis coniunctas, vno, vt aiunt, ore percipere, ingratum forte non erit.

Nullus quidem nego, breuiorem me tabulam exhibere potuiſſe, ſi terras in macras tantum, ſiue calcareas et gypſeas, et in pingues diſpoſuiſſem, ad illas Morochtum et Cretam, tanquam ſpecies primarias, et Tripelam, tanquam ſubordinatam, ad has vero Bolum, Argillam, Margam et Lithomargam, tanquam ſpecies, retuliſſem: ſed vti genera, praeter neceſſitatem coaceruata, nimis confundunt, ſic non minor orta fuiſſet confuſio, ſi pauca genera, paucasque ſpecies, innumeras tamen varietates, et his ſubordinatas plurimas ſubdiuiſiones propoſuiſſem; praeſertim cum ea, quae in tabula nominauimus, terrarum genera, natura ſua admodum diſcrepent. Methodi, optime conſtitutae, ea eſt conditio, vt rerum proponendarum ordines rite ſint collocati, eorum quamuis limites, vt in omnibus hiſtoriae naturalis partibus, ſic etiam in noſtra tractatione ſaepius incerti et ambigui maneant. Dies diem docet, ea, quae nos in praeſenti opere tentauimus, poſteri emendabunt.

GENVS I.
MOROCHTVS.

Morochtus eſt terra genuina, tactu macra et ſicca, ſi per ſe conſideratur, nec copioſam arenam admixtam habet, mollis, ſiticuloſa admodum, ſaepius leuis, non nihil fungoſa.

Haec terra potiſſimum in montium cauernis deprehenditur, vel ex iis ſaepius mediante aqua eluitur, et in varias maſſas cogitur. A plurimis terris macra ſua indole, a Cretis raritate et friabilitate inſigniter differt, in primis vero a Tripela tactu diſtinguitur. Licet enim in quibusdam ſpeciebus aliquid aſperi oſtendat, et nos ſupra characteribus fallacibus mollitiem et aſperitatem annumerauerimus, crebra tamen experientia edocti, per ſigna, a tactu deſumta, aliquid diiudicari poſſe cognouimus,

mus, quod exercitio magis diſcitur, quam aptis exprimitur verbis. Inde et euenit, vt, quamuis alias Morochti et Tripelae ſpecies facile diſcernere potuerim, non nullas tamen inuenerim, de quibus, vtrum ad vnum, an ad alterum genus referendae ſint, dubius haeſi. Ego quidem, aliis deſtitutus notis, hanc admittere fui coactus, vſque dum certior detegatur. Noſtra vero terra, ob ſiticuloſam et leuem indolem, ad Boli quaſdam ſpecies propius accedere, ob puritatem vero et leuitatem, cum non nullis Margis ſatis conuenire videtur; tactu tamen ab vtrisque differt, cum nec pinguis ſit, nec lubrica.

Summa nunc recenſenda veniunt capita eorum, quae in veteribus aeque ac recentioribus hiſtoriae naturalis ſcriptoribus de terris, ad hoc genus pertinentibus, deſcripta inueniuntur. Praecipue vero de Morochto, cuius nomen vt genericum aſſumſi, agendum mihi eſt.

Morochtus ſiue Morochthus, qui ex SALMASII [t] mente Morochtis dicitur, minus apte vero Moroechus PLINII [u] appellatur, lapis quidem a plurimis vocatur, inter terras tamen ob teneram et friabilem ſubſtantiam fuit relatus. Eum namque DIOSCORIDES [x] mollem et facile liqueſcentem, qui character terrae proprius eſt, appellat, eoque lintea dealbari affirmat. PLINIVS [y] vero Galaxiam, Galactiten, et eius ſynonyma, Leucam et Leucographiam, nec non Morochtum minus luculenter deſcribit, quam vt certi quidquam inde colligi poſſit. Mirum itaque videri poteſt nemini, quod imperfectae veterum deſcriptiones commentatorum et recentiorum quoque ſcriptorum produxerint diſſenſum. Ortam exinde litem licet componere non valeamus, diuerſas tamen auctorum opiniones, aliquo ſaltem obſeruato ordine, enumerabimus.

Morochtum, vel natura ſua, vel tritu accedente, lacteum exhibere ſuccum, vno omnes affirmant ore. Id quod hoc modo intelligendum eſſe cenſeo, quod terra haec, humida adhuc, dum eruitur, albicantem fundat ſuccum, vel, indurata iam iam, aqua ſi aſpergitur, lacteum exhibeat humorem, qui dealbandis linteis pannisque inſeruiat. Licet vero inde deduci queat, colorem huius terrae album eſſe debere, pauci tamen ſunt, qui id aſſerunt. DIOSCORIDES [z] in eo deſcribendo nullius meminit coloris, P. A. MATTHIOLVS [a] tamen album colorem eidem tribuit, et Oſteocol-

t) In Plinianis Exercitationibus pag. 541.
u) Pandectarius Medicus, cuius auctor eſt MATTHIAS SYLVATICVS. Alia quoque nomina adducit SALMASIVS loc. cit.
x) Lib. V cap. 100 pag. 692.
y) Hiſt. Nat. Lib. XXXVII cap. 10.
z) Loc. cit.
a) In Commentariis ad hunc locum. edit. Opp. Baſil. 1674 fol. pag. 961.

Osteocollam nostram esse iudicat. PLINIVS porraceum colorem ei adscribit [b], et AETIVS [c] subuiridem dicit, aureum vel flammeum colorem GALENVS [d] proponit. Nigrum in Saxonia inueniri Morochtum asserit ANSELMVS BOETIVS DE BOODT [e], et hunc quoque lacteum prodere succum affirmat: quam ob rem incognitam nunc hanc terram, vt luteam, nigram et viridem describit LEMERY [f]. Ex lacteo vero succo facile comprobari potest, Morochtum ad hoc, quod nunc descripsimus, terrarum genus pertinere, quam sententiam suo iam tempore defendit CONRADVS GESNERVS [g].

Sed alia quoque terrarum vel lapidum nomina hac occasione silentio praetermittenda non sunt, cum notabilem admodum cum Morochto veterum alant conuenientiam, quamuis et in his veteres eorumque commentatores inter se non conueniant. Galactites itaque et Melitites, Galaxia, Leuca, Leucographia, et Leucographis hic loci examini submittenda sunt.

Galactites, ex mente DIOSCORIDIS [h], vel ob lacteum, quem praebet, succum, vel ob vberiorem lactis prouentum in nutricibus, quem efficit, ita dictus, vere lapis non est. Ex ipsa namque eius sententia cum aqua teri potest, et pyxide plumbea propter lentorem recondi debet. Ob lacteum, quem exsudat humorem, cum Morochto conuenit, sed cinerei coloris est et gustu dulcis, quod de Morochto non asseruerunt. A succo lacteo nomen quod acceperit, GALENVS [i] testatur, ad saporem vero eius cinereumque colorem quod attinet, cum DIOSCORIDE conuenit [k], licet ex dictis non appareat, quam ob caussam ille suffitui inseruire possit [l]. AETIVS [m] cum his duumuiris consentire videtur, inconstans tamen, mox enim subuiridem, vt Morochtum, mox Leucographide albidiorem eum appellat. Sufficit nobis, cinereum colorem a plerisque auctorum huic terrae tribui [n].

PLI-

b) Vid. SALMASIVM loc. cit. pag. 541.

c) Tetr. I Serm. 2 cap. 16 pag. 67, cui accedit IOH. IONSTON Not. Regn. Miner. Tit. 2 cap. 4 art. 3 pag. 53.

d) In Libro de Simplicibus Medicamentis, GALENO adscripto, edit. CHARTERII Tom. XIII pag. 995. Sed in libro de Simpl. Med. Facultat. Lib. IX cap. 2 n. 3 Moroxum cum Galactite et Melitite coniungit, coloris vero non meminit, sed in Aegypto nasci et splendorem linteis conciliare asserit.

e) De Lapidibus et Gemmis Lib. II cap. 228.

f) In Diction. p. 358.

g) In Descriptione Montis Pilati pag. 6 b. edita in Collect. de Omni Rerum Fossilium Genere Tiguri 1565, 8.

h) Lib. V cap. 100. ORIBASIVS Medicin. Collect. Lib. XIII sub nom. Lapis. IONSTONVS loc. cit. Tit. 2 cap. 4 art. 3 pag. 52. IO. IAC. WECKER in Antidotario Speciali Lib. I Sect. 6 pag. 72.

i) De Simpl. Med. Facult. Lib. IX. cap. 2 n. 2.

k) De Simpl. Medicament. pag. 995.

l) De Medicam. facile parabil. ad Solonem. cap. 51.

m) Tetr. I Serm. 2 cap. 17.

n) MATTH. SYLVATICVS in Pandect. Medic. cap. 412 et 417. BOETIVS de Lap. et Gemmis

PLINIVS [o] licet Galactitem inter lapides recenſeat, et ſmaragdum, albis venis circumligatum, a quibusdam hoc nomine inſigniri aſſerat, eum tamen in ore liqueſcere, et tritum lactis ſucco et ſapore notabilem eſſe, monet. Elegans Plinii explanator SALMASIVS [p], dum SOLINVM, atrum colorem Galactiti adſcribentem, perſtringit, in eo quidem aſſenſum meretur, quod Synephitim, ſynonymum, quod in quibusdam codicibus additur, in Smectidem mutet, cum DIOSCORIDES [q] lentorem, hoc eſt, tenacitatem quandam, Argillae puriſſimae ſimilem, eidem tribuat: an vero PLINII verba: *Galactites ex vino colore lactis eſt*, mutari debeant *in Galactites ex Nilo colore lactis eſt*, vt SALMASIVS propoſuit, valdopere dubito, eam in primis ob rationem, quod AETIVS [r] hunc lapidem in medicos vſus in vino conteri poſſe affirmat, et natalis eidem in Nilo locus vix concedi queat, licet ex Aegypto afferatur. Ex hactenus itaque dictis cuilibet patet, Galactitem veterum ad terras potius, quam ad lapides referendum eſſe, et ad hoc, quod deſcripſimus, terrarum genus, ad Morochtum nimirum, pertinere, niſi quis ob quendam lentorem, et Smectidis ſynonymum, pinguibus magis quam macris terris eum accenſere vellet.

Eadem fere de Melitite veterum ferenda eſt ſententia, quem plurimi ex nominatis hactenus auctoribus [s] cum Galactite conuenire affirmant, notata tantum ſaporis diuerſitate, qui in Melitite mellis dulcedinem imitatur, quem tamen et alii in Galactite deprehendi aſſerunt. Vnicus, quantum inuenire potui, IMPERATVS [t] ſaponaceum et ſebarium lapidem appellat. Nec adeo certa eſt ea, quae inter has terras intercedit, differentia, cuius BOETIVS [u] meminit, ita differens: *Morochtus lacteum ſuccum edit, absque mellis dulcedine, deinde neque albus, neque cinereus eſt: Galactites vel albus, vel cinereus, lacteum ſuccum absque mellis ſapore emittit. Melitites vario colore, lacteum ſuccum, ſed melleo ſapore promit.* In his namque omnibus lacteus adeſt ſuccus, vel aſperſa ſaltim aqua inde educitur, color tamen et ſapor inſigniter variant, et modis quidem vix definiendis. Veritati propius accedere videntur, quae paullo poſt profert [x], Morochtum ſcilicet, Galactitem et Melititem nihil aliud eſſe, quam Margam induratam, cum haud paucae, ſi non omnes, ex Morochti ſpeciebus arcto cum Margis

Lib. II cap. 229. DE LAET. de Gem. et Lap. Lib. II cap. 18 pag. 141, et MARBODAEVS, Poeta Gallus:

Hunc lapidem, cineri ſimilem, Galactida dicunt.
Lactis dat ſuccum tritus lactisque ſaporem.

o) Hiſt. Nat. Lib. XXXVII cap. 10.
p) Exercit. Plinian. cap. 7 pag. 96, 97.
q) Loc cit. τὸ κολλῶδες ipſi ineſſe dicit.
r) Loc. cit.
s) GALENVS de Simpl. Medicam. Facult. Lib. IX cap. 2 n. 2, liber, GALENO tributus, de Simplic. Medicam. pag. 995. PLINIVS Hiſt. Nat. Lib. XXXVI cap. 19. DIOSCORIDES Lib. V cap. 100. AETIVS Tetr. I Serm. 2 cap. 14. WECKERVS Antidot. Spec. Lib. I Sect. IV pag. 71. IONSTON loc. cit. Tit. 2 cap. 4 art. 3 pag. 55.
t) Hiſt. Nat. Lib. XXV cap. 6.
u) Loc. cit. Lib. II pag. 202.
x) Loc. cit. pag. 203.

Margis nexu iungantur, in primis, ſi teneritatem particularum componentium reſpicias.

Galaxiam DIOSCORIDES[y] cum Morochto pro vno eodemque habet; PLINII[z] vero Galaxia, a quibusdam Galactites dicitur, et, vt lapis albus, intercurrentibus ſanguineis aut candidis venis notatus, deſcribitur.

Leuca et Leucographia PLINIO[a] Galactitis ſunt ſynonyma. Leucographida vero DIOSCORIDI[b] idem ac Morochtus ſignificat. Quaedam enim ex his terris, induratae paululum, cum lineas albas ducant, nomen inde obtinuere. Mirum vero videri debet nemini, quod PLINIVS Leucographim herbis annumeret, et ſimiles eidem facultates tribuat, quas DIOSCORIDES Morochto adſcribit, cum ipſe, ſe neſcire, quid ſit Leucographis[c], libere profiteatur.

Ex variis his, et maximam partem dubiis, veterum aeque ac recentiorum deſcriptionibus, ſatis patere arbitror, nos, an hae eorum terrae, ad hoc vel aliud terrarum genus, in primis ad Margas puriores pertineant, pro certo affirmare non poſſe, vti et ea, quibus inſigniuntur, nomina, tractationi noſtrae minus recte conueniunt, praeſertim cum recentiores aliis vocabulis vſi fuerint. Recenſitis itaque terris, cum Morochto a veteribus commutatis, etiam ea nunc terrarum, ad noſtrum genus proxime accedentium, nomina atque deſcriptiones, quatenus ab auctoribus variis recentioribus adducuntur, eodem vt diſquiramus modo, neceſſe eſt. Sunt vero hae terrae: Lac Lunae, Agaricus mineralis, et Oſteocolla.

Lac Lunae ſiue Lac lunare primum hoc nomine venit GESNERO[d], quoniam ab incolis Heluetiae, qui terram hanc in ſpeluncis altiſſimorum montium inuenerunt, *Mommilch* ſiue *Mondmilch*, appellabatur, cum Morochto veterum fere conuenire eandem ait, AGRICOLAE et ENCELII ſententias de Morochto veterum, in Germania reperiundo, in rei argumentum afferens; ſequentes vero potiſſimum characteres accurate ſatis euoluit: *Subſtantia eſt fungoſa, friabilis, alba, leuiſſima;* et paulo poſt: *alba, ſpumoſa, aquae mixta albo lactis colore eam inficit, inſipida eſt, ſiccat ſine morſu, nulla in ea aſperitas, et tota cum ſaliua mandentis liqueſcit.* Id interim ipſi concedere non poſſumus, quod Lac Lunae immaturum et crudum odore carere, concoctum vero et perfectum

y) Lib. V cap. 100.
z) Hiſt. Nat. Lib. XXXVII cap. 10.
a) Loc. cit.
b) Loc. cit.
c) Hiſt. Nat. Lib. XXVII cap. 11. Conf. CHIOCCI Muſ. Calc. Sect. III pag. 275 ſeqq.
d) In Deſcriptione Montis Pilati pag. 66, et de Figuris Lapidum pag. 50.

ctum ſuauiter odoratum fieri aſſerat, cum in omnibus, hactenus viſis, glebis, eam tantum, quae ratione puritatis deprehenditur, differentiam, inuenire potuerimus. Licet vero lapidem, terram hanc noſtram, dicant GESNERVS [e] et M. V. RANOVWIVS [f], ambigit tamen ille et dubitando eam ad terras magis referri deberi concedit. Hunc potiſſimum ſequuti ſunt: BOETIVS [g], WORMIVS [h], AMBROSINVS [i], et CAROLVS NICOLAVS LANGIVS [k], quorum poſterior Lac Lunae in variis cauernis Heluetiae conquiſiuit. Illud enim terram appellat poſt lapidum, per aqueos vapores, ſale exhauſto reſolutionem reſiduam, quae ſit alba, levis, friabilis, parum viſcoſa, ſaporis ſubdulcis, odoris expers, cum acidis omnibus efferueſcens, in ſpiritu vini vero non ſolubilis. In pharmaceuticis poſtmodum officinis Lac Lunae receptum fuit, licet non ſemper terrae, GESNERI deſcriptioni reſpondentes, impuriores potius, ſaepius arenoſae, dummodo colore albo praeditae et tactu ſiccae ſint, vendantur. IO. DAN. MAIOR [l] ſequentem eius exhibet deſcriptionem: *Eſt terra nitidiſſima, mollis, fungoſa, tenera, friabilis, facile in aquis reſolubilis, quas auidiſſime imbibit, interdum cum ebullitione et ſtrepitu, easque lacteo colore tingit, odoris fere omnis, ſaporis vero penitus expers, ſublimati inſtar.* BOECLERVS [m] et CHRISTIAN. IOH. LANGIVS [n] genuinam quoque eius deſcriptionem ex GESNERO aliisque afferunt. WOODWARD [o] ad Steinomargam, DALE [p] illud ad Margam candidam officinarum refert. Quatenus vero a Margis diſcrepet, et ſupra declarauimus, et alia occaſione fuſius indicabimus.

Agaricus mineralis, ſeu foſſilis, nomine tantum ab antecedente differt. Teſtis eſt GESNERVS [q], qui, poſtquam in deſcriptione Lactis Lunae, ſubſtantiam illi fungoſam tribuerat, addit, *quam fungum petraeum dixeris, vel Agaricum ſaxatile.* Qua denominatione, regno vegetabili propria, vel certe inſigni ſimilitudine commotus, CASPAR BAVHINVS [r], Agaricum, qui in ſpeluncis montium Heluetiae reperitur, plantis, a ſe deſcriptis, adiunxit. Agaricus officinarum in primis fungus laricis dicitur, licet recentiores botanici, in fungorum ordinibus et generibus accuratius diſponendis occupati, alium huic voci ſenſum tribuant, id, quod ex

e) Loc. cit.
f) Nat. en Konſt Kabinet. 2 Deel pag. 216. Vid. IO. CAROL. ROSENBERGII Roſa Nobilis Iatrica Animadu. XI pag. 30 de Lacte Lunae, edit. Argent. 1624, 12mo.
g) De Lapidibus et Gemmis Lib. II pag. 203.
h) In Muſeo Sect. I cap. 4 pag. 6.
i) Conf. ALDROVANDI Muſeum Metall. pag. 666.
k) Idea Hiſt. Nat. Lap. Figurator. Heluet. cap. 3, extat in Miſc. Nat. Curioſ. Decad. III Ann. 9 et 10, et in App. pag. 210 et ſeqq.
l) Diſſertat. de Lacte Lunae Kilonii 1667, 4to cap. 2 § 1.
m) Cynoſura Mat. Med. continuata Tom. II. pag. 884.
n) Lection. Mat. Med. Edit. Oper. Lipſ. 1704 fol. pag. 353.
o) Method. Foſſil. pag. 4.
p) Pharmacolog. pag. 23.
q) Tract. de Figuris Lapidum pag. 50.
r) In Pinace Theatr. Botanic. pag. 375.

ex ſcriptoribus materiae medicae et botanices clarius perſpici poteſt. In praeſenti tantum monere liceat, noſtram hanc terram, ob inſignem levitatem et ſubſtantiam, agarico vegetabili vel omnibus fungis ſimilem, ita appellatam fuiſſe, VT IMPERATVS[s], et qui hanc terram ſub eo nomine in recentiorem materiam medicam introduxit, GEOFFROI[t] declarant.

Oſteocolla[u], ad hoc quoque, de quo hactenus diximus, terrarum genus, pertinere videtur. Ab ὀστέον os et κόλλα gluten nomen ſortita eſt, vel quod oſſa fracta conglutinare dicitur[x], vel quod cum oſſibus fractis ſeu diaphyſibus oſſium quandam habet ſimilitudinem[y]. Si ramuli arborum vel earundem radices[z], in montibus arenariis, noſtrae inhaerentes terrae, tali cruſta cinguntur[a], quae ſubſtantiam terram inter et lapidem mediam, vel omnino terream, plus minusue arenoſam refert, tunc foſſile tale arboreſcens generatur, quod varia ſaepius ſub ſpecie harum rerum perſcrutatoribus occurrit. Nucleus enim ille vegetabilis, vel prorſus putreſcit, et tunc, aut ſpatium vacuum relinquitur, aut alia, ſimiliue terra repletur; vel nucleus ipſe remanet: in vtroque vero caſu externe cruſta arenoſa, lapideam, tuberculorum more concretam, ſubſtantiam referens, accreſcit. Inde et factum eſt, vt plurimi Oſteocollam ad lapides retulerint[b], licet terreſtris ſubſtantia, ſaepius vel ſola adſit, vel vt pars primaria ſaltim conſiderari mereatur. Radices, quae baſin quaſi, noſtrae terrae formandae exhibent, ex populo ſaepius ſunt[c], minime tamen negare vellem, et radicem tuſſilaginis, in eiuſmodi locis deprehenſam, et alias forte vegetabilium partes, huic concreto naſcendo occaſionem praebere, cum aqua per ſabulum, filtri ad inſtar, tranſiens, ſubtiliſſimam tantum terram noſtram, et cum ea plus minusue inſignem arenae copiam adducat. Oſteocollam Morochto veterum adiunxit MATTHIOLVS[d]. Stelechites vero, ſiue Oſteocollus lapis, quem ASSALTVS[e] deſcripſit, a communi noſtra Oſteocolla omnino differt. Siſtit enim truncos arborum petrefactos. Ipſe praeter ea Oſteocollam, in variis Germaniae locis erutam, ad noſtram accedentem, deſignat[f]. Naturae

s) Hiſt. Nat. Lib. V cap. 41 pag. 167.

t) Tr. de Mat. Med. Tom. I de Foſſilibus Sect. II cap. 2 de Margis pag. 72.

u) Synonyma eius vide in KLEINII Nomenclatore Lithologico pag. 61.

x) CHARLETON in Exercitat. de Foſſilibus pag. 22.

y) VALENTINI Hiſt. Simplic. Reform. Lib. I pag. 22, 45; et CHR. IO. LANGIVS in Lect. Mat. Med. Edit. Oper. pag. 319.

z) IMPERATVS Hiſt. Natur. Lib. XXIV cap. 26 pag. 705.

a) Vid. Obſeruatio *in den Breſlauiſchen Sammlungen zur Natur und Medicin Geſchichte, ſechſte Verſuch* pag. 1975.

b) WORMIVS in Muſeo Sect. II cap. 6 pag. 53.

c) Philoſophical Transactions An. 1745 num. 476 obſ. VIII pag. 377, vbi modus colligendi, et varia experimenta, cum Oſteocolla inſtituta, recenſentur.

d) Comment. loc. cit. pag. 961.

e) In MERCATI Metallotheca Vaticana Arm. IX cap. 28 pag. 277.

f) Loc. cit. pag. 278.

turae itaque rei conſentaneum eſſet, Stelechites nomine ligna petrefacta, cuiuscunque demum ſint ſubſtantiae, inſignire, quoniam receptum hoc vocabulum, a στέλεχος, truncus, deriuatur, Oſteocollam vero noſtram ad terrea referre concreta, cum duritiem lapideam vix obtineat, licet interdum cruſta lapidea obducatur. De oſſibus calcinatis, quae nonnunquam ex terris eruuntur, vt vnicornu foſſile officinarum, et quae ſubſtantia ſua proxime ad hanc noſtram accedere videntur terram, plura commemorare non conuenit, cum ex animali regno tantum ad minerale tranſiuerint, ipſa quoque figura raro vel nunquam Oſteocollam aequent.

Prolatis itaque veterum et recentiorum ſcriptorum, de variis, ad noſtrum potiſſimum genus ſpectantibus ſententiis, facillimum erit diiudicatu, vtrum in vnica hac et generaliori idea ſubſiſtere, et ad ſpecies tranſire debeamus, an vero ex adductis paſſim characteribus, genera quaedam inferiora ſtabilire poſſimus. Rara, fungoſa et ſiticuloſa indoles huic terrarum generi prae reliquis propria eſſe videtur, licet in aliis quoque terris haec illaue harum affectionum, aliis, in Morochto non detegendis, iuncta inueniatur. Attamen tres adhuc ſunt notae, quae vel ſuperioribus accenſeri, vel ad ſpecies referri poſſunt.

Leuitas terrae noſtrae a rara et fungoſa eius indole prouenire videtur: dependet enim, partim a ſubtilitate particularum, partim a minima earundem cohaeſione, quae vero variat, ſi terrae huic arena admixta deprehenditur, vel ſi particulae ita nondum ſubtiles redditae ſunt, vt in tota gleba ſummam raritatem oſtendant. Sed, cum leuitas inſignis in quibusdam terris inueniatur, quae tactu pingues, hinc ad Margas referendae ſunt, leuitatem hanc, notis, ſpeciebus potius, quam generibus diſtinguendis aptis, annumerandam eſſe cenſui.

Propriam eſſe his terris, cum acidis efferucſcentiam, per inſtituta, cum plurimis glebis experimenta, perſpiciebam: cum vero aliae inſimul occurrerent, quae omni iure ad hoc genus transferendae erant, nullam tamen cum acidis efferueſcentiam exhibentes, et hunc characterem, quem generi noſtro proprium iudicaueram, deſignandis tantum ſpecierum differentiis adhibere coactus ſum.

Diuerſam denique figuram, in ſpumoſa, lamellata et ramoſa hac terrarum ſuperficie, notare ſuſcipiebam, in primis cum ipſa haec diuerſitas cuilibet primo ſtatim occurrat intuitu, ſed, omnibus fruſtra tentatis, hanc notam ſpeciebus modo ordinandis conuenire, intellexi.

GENVS II.

GENVS II.
TRIPELA.

Tripela eſt terra genuina, tactu macra, aſpera, rara, admodum ſiticuloſa, quae facile in pollinem conteritur, et digitos inquinat.

Tripolitana olim dicta fuit haec terra, quod optima quaedam eius ſpecies circa Tripolin Barbariae inueniebatur. Minime vero opus eſt, vt ex iis locis adhuc afferatur, cum vbique in Europae prouinciis, ſimilis terra iisdem vſibus apta, reperiatur; inde tamen germanica vox *Trippel* originem duxit, quae deinde huius generis denominationi anſam dedit.

Ipſum vero hoc terrarum genus maxime dubium me reliquit, partim, quod minime purae, ſed ex variis mixtae eſſe videantur, partim, quod certos ſatis Morochtum inter atque Tripelam limites determinare non potuerim, praeſertim cum praeter ea, quae terris caſu admiſcentur, et arena tenuiſſima et ſubtiliſſima forte humi pars iuncta, ſpuriam quaſi hanc noſtram terram efficiant. Externa vero eius facies, et ſingularis admodum viſa materies, qua facile a reliquis terris diſtingui poteſt, me compulere, quo minus aſſumtum hoc a variis auctoribus genus, ſilentio praeterire potuerim.

Et, poſt Morochtum quidem adduci oportet hoc terrae genus: raritas enim leuitasque in multis glebis tam inſignis eſt, vt, niſi aſperitas notabilior paulo inueniatur, ad Morochtum plane referri potuiſſet. Sunt ex Morochti ſpeciebus nonnullae, quae, quod arenam admixtam habent, aſperiores videntur, ſed, ſi hae lotae et depuratae examinantur, mollitiem, Morochto adſcriptam, optime exhibent; ſemper tamen Tripela aliquam in tenuiſſimo quoque puluere aſperitatem oſtendit. Haec vero in cauſſa eſt, cur haec bina genera, ſibi inuicem ſubordinata, ſeiunxerim. Quibusdam interea in glebis adeo fateor me dubium fuiſſe, vt ad Morochtum retulerim, quae Tripelae alii accenſere voluiſſent.

Licet vero Tripela digitos inquinet, et denſiores quoque et duriores glebae inueniantur, quae lineas ducant, in eo tamen a Creta diſtingui poteſt, quod haec aquam transmittat, noſtra vero terra in aqua diſſolvatur.

Tripela ad argentum et alia metalla, nec non ad gemmas et vitra perpolienda aptiſſima eſt, ex minoribus namque conſtat moleculis, durioribus tamen et ſubtilibus valde. Communis vero vſus, Tripelae ab aliis terris differentiam, incerta ratione docet, in primis, cum inter Morochti

rochti quoque ſpecies quaedam ad laeuigandum aptae inueniantur, et Creta omnis, niſi craſſioribus arenae granis remixta ſit, eundem vſum praeſtet. CHARLETONVM ſi conſulas, is equidem aſſerit[g]: aliam Tripelam terreae eſſe ſubſtantiae, et Ochram exprimere, aliam vero lapideam eſſe, et cum coemento conuenire; Tripelam tamen adeo duram, vt cum lapide confundi poſſit, non inueni, niſi illas glebas, quae in aqua reſolui nequeunt, aſſumas, de quibus inferius inter terras ſpurias agam, quae, licet ad lapidis naturam proxime accedant, quod cultro radi poſſunt, ad polienda alia corpora quoque adhibeantur.

Quoad colorem Tripelae admodum inter ſe diſcrepant. Ex albo enim, qui Morochto puriori proprius magis eſt, in luteolum, vel etiam in fuſcum et non nihil virideſcentem, immo etiam in coeruleum interdum declinat: his tamen ipſis colorum diuerſitatibus non ſemper ſpecies, ſed ſaepius varietates tantum indicantur. Nec dubium eſt, diuerſam hanc terrarum tincturam marti eſſe adſcribendam, in primis, cum vſtione earum color plerumque in rubicundum quodammodo tranſeat, ita, vt illae, quae colore magis flauo praeditae ſunt, maiorem martis copiam, quam aliae albidiores continere videantur.

Efferueſcentia cum acidis in Tripela, vt in Morochto, fallax eſt, quapropter eandem ad genus terrae noſtrae ab aliis diſtinguendum adhibere non potuimus, ſpecierum tantum differentias hac methodo declaraturi.

Tripelis, de quibus hactenus dixi, quoque accenſeri poſſe arbitror glebam ſeu terram Alanam, quae a regione Alana, nunc Wallachia dicta, in qua magna eius copia effodiebatur, nomen ſortita eſt. In deſcribenda hac terra auctores ita a ſe inuicem diſſentiunt, vt eius natura ex eorum obſeruationibus determinari vix poſſit, cum ſigna ratione coloris et ſubſtantiae diuerſiſſima tradant. Bolo Armeno eam ſimilem iudicauit PAVLVS AEGINETA[h], ALDROVANDVS[i] et alii Tripelam, vel ad mentem PLINII, Exhebenum Zoroaſtris nominant. CHIOCCVS[k] hanc terram, vt ſubduram, intus nitentem, exterius colore cinereo et pallido conſpicuam atque aſperam deſcribit. IONSTONVS[l] eam inter adoptitias Ochras refert: MOSCARDVS[m] albi, nonnihil luteoli coloris eſſe aſſerit, et linguae quodammodo adhaerere ait. KENTMANNVS[n], dum ad Bolum luteum eam retulit, ad illam forte proprietatem reſpexit, quod digitos

g) De Foſſilium Generibus pag. 3.
h) De Remediis Lib. VII cap. 3 Tit. γγ.
i) Muſ. Metall. pag. 239.
k) Muſ. Calceolar. Sect. II pag. 131.
l) Notit. Regn. Mineral. Tit. II cap. 1 pag. 11.
m) In Muſeo pag. 166.
n) Nomenclat. Foſſil. pag. 2 edit. Geſn.

digitos maxime inquinet. MERCATVS [o] denique Alanam terram pro Tripela non habet, ſed ex fuſco luteam terram, Vmbrae ſimilem, ex Wallachia apportari pronunciat, quam ob inſignem tantum in febribus malignis curandis praeſtantiam cum Bolo Armeno, eadem, vt PAVLVS AEGINETA, ratione coniungit. Varias tamen ob cauſſas, CHIOCCI potiſſimum deſcriptionem, qui et aſperitatem et colorem Tripelae vulgaris illi adiudicat, aſſumere, hancque terram coniecturando Tripelae ſubnectere placuit.

GENVS III.
BOLVS.

Bolus eſt terra genuina, tactu pinguis et lubrica, ſiticuloſa valde, quae difficulter in paſtam abit, digitos, dum iis tractatur, inquinans.

Bolus olim ex forma dicebatur, vt GALENVS monet [p], quibus ALDROVANDVS, de Bolo Armeno loquens, haec addit [q]: *Itaque ad euitandam aequiuocationem notandum eſt, quod haec vox*, bolus, *ſimpliciter prolata ſignificet illam rubricae ſpeciem, qua inauratores ſiue pictores ſuis operibus aurum inducunt: Bolus vero, penultima correpta, fruſtum cuiuscunque rei deſignat. At βῶλος graecis, et gleba latinis, terram pinguem et in puluerem ſolubilem indicat. Quare ſecundum Columellam omnis gleba refringitur et in puluerem ſoluitur, hinc optimo iure Iſidorus terram ligatam glebam, et ſolutam puluerem appellabat.* Ex WORMII ſententia [r] quaedam terrae Boli nomine forſan inſignitae fuerunt, quod artificum miniſterio, vt vires ſuas felicius exſerant, ab omnibus impuritatibus et fecibus liberatae, et in maſſas figurarum variarum redactae ſint. Saepius igitur terris lotis et praeparatis potius, quam natiuis hoc Boli cognomen datum fuit, vti in officinis album et rubrum potiſſimum oſtendunt, quibus alii luteum quoque addunt.

Ex his, vt certiſſimum ſequeretur, omnes illas terras, quae vel rubro vel alio quocunque colore praeditae, lotura a ſabulo plus minus depuratae, et in maſſas variae formae redactae, non quidem ſigillo inſignitae, ad illud tamen ſuſcipiendum adaptatae reperiuntur, ad Bolos eſſe reducendas. Cum vero de Bolis, hoc modo conſideratis, nihil certi proponi

o) Metallothec. Vatican. Armar. I Alanam glebam cap. 6 pag. 14, et Tripelam cap. 20 pag. 20 deſcribit.

p) De Simpl. Medicament. Facultat. Lib. IX. Conf. A. M. BRASAVOLAE Examen Simplicium Medicamentorum, Venetiis 1545, 8 pag. 575.

q) Muſ. Metall. Lib. II cap. 18 pag. 269.

r) Muſ. Lib. I cap. 4 pag. 12.

proponi poſſit, ex adductis praeter ea variorum auctorum deſcriptionibus et vlteriori quarundam glebarum examine, diſtincta et peculiaris terrae bolaris vel Boli notio enaſcatur, omnino operae pretium eſſe duximus, vt notis ſuperius additis, et nunc accuratius paulo conſiderandis, huius terrae conceptum, ab Argilla potiſſimum et aliis diuerſum, exponamus.

Plurimi materiae medicae ſcriptores, Bolum minime arenoſum, ſplendentem, adſtringentem, et linguae firmiſſime adhaerentem optimum iudicarunt [s], id, quod differentiam ab Argilla, cum qua proxime conuenit, aliquo modo indicare videtur. A praecedentibus igitur terris tactu macris, nec adeo lubricis Bolus facile diſtingui poteſt. Licet enim nonnunquam farinoſam talem ſubſtantiam referat, quam in Tripelis inuenimus, aſperitate tamen, quae Tripelae adeo propria eſt, prorſus deſtituitur.

Ad limites, Bolum atque Argillas intercedentes, quod attinet, illi certe exigui admodum apparuere, ita, vt ſaepius dubitauerim, num forte Bolos et Argillas ſub vno et eodem genere comprehendere poſſem, cum vero et magnam ſpecierum copiam eſſe cognoſcerem, et accuratos ſatis characteres, Bolum ab Argilla diſtinguentes, conſpicerem, conſilium mutaui, et has terras a ſe inuicem ſeiungendas eſſe, animum confirmaui. Argilla enim nunquam adeo ſiticuloſa eſt, vt Bolus, neque hic in paſtam tenacem, qualem Argilla praebet, facile cogitur, quod quidem ſequenti experimento omnium optime demonſtrari poſſe opinor. Si digito, ſaliua vel alio liquore madido, ſuperficiem Boli teris, humiditas iterum iterumque applicata reſorbetur, detritus tamen terrae puluis in paſtam facile conuerti non poteſt: ſi vero Argillam ſimili ratione tractas, parum tantum humoris reſorbetur, et in apice digiti paſtam tenacem relinquit. Concedo quidem, ex omni Bolo, ob multam aſperſam aquam, paſtam formari, et eum ideo a Margis differre, vt infra oſtendam, in glebis tamen exſiccatis modo declaratum experimentum ſaepius inſtitui poteſt. Boli vulgares in primis, raritate ſua conſpicui ſunt et friabilitate, nonnullae vero denſiores glebae in Bolorum ſpeciebus inueniuntur, quae obiter conſideratae ad margas referri poſſent, niſi aqua emollitae in paſtam abirent, cum Marga, aqua admiſta in pollinem fatiſcat, quae diſtinctio, licet in determinandis terrarum generibus ſaepius diſquiſitu ſit difficilis, curioſe tamen obſeruari meretur.

GENVS

s) HERMANN. in Cynoſ. Mat. Medic. Tom. I Part. III pag. 134. DALE in Pharmacol. Lib. I Sect. 2 pag. 19. GEOFFROY Mat. Med. Tom. I Sect I cap. 3 pag. 72, 73.

GENVS IV.
SMECTIS.

Smectis eſt terra genuina, tactu pinguis et lubrica, non ſiticuloſa, tenax et compacta, quae in paſtam abit, et aquae admiſta et agitata ſaponaceam indolem prodit.

Diu dubitaui, an terrarum ſpecies, huc pertinentes, quae multa cum Argillis communia habent, ab iis ſepararem, et proprium inde genus conſtituerem, quoniam vero ſaponaceam indolem eminentiori gradu iis adſcribendam eſſe inuenerim, et glebas hac ratione ab Argillis diſtinctas obſeruauerim, naturalis haec diſcrepantia poſtulat, vt huic terrae peculiarem inter genera locum aſſignem.

Σμήγματα apud veteres medicos erant medicamenta deterſoria, a σμήχειν abſtergere, pulueres ſcilicet ſicci, qui cuti non vnctae inſpergebantur, ad eam detergendam [t], vnde σμηκτὴς γῆ aut σμήκτρις dicitur, terra detergendi vi praedita [u], pinguis nimirum et ſaponacea terra, quae quidem in paſtam tenacem abit, ſed cum aqua agitata, dum in ſpumam eleuatur, quam Argilla vulgaris non praebet, ſaponaceam quandam indolem oſtendit. Haec, cum interdum alba magis ſit, quam reliquae Argillae, a non nullis ad Galactitem relata fuit [x], quam rem, quod adeo dubia eſt Galactitis idea, certo definire haud poſſumus, licet ob ſpumam vel ſuccum, quem glebae exhibent, album, dicta haec ſententia aliquo modo defendi poſſet. Albus hic Smectidis color in cinereum interdum, vel in virideſcentem vergit, et non raro ſtrias aliorum colorum interſperſas, imo ipſum nigrum colorem, exhibet. Terrae huius ſubſtantia non tenera ſemper et mollis eſt, ſed compacta ſaepius, dura et ponderoſa, ita, vt non raro ad lapidis duritiem accedere videatur: dubito tamen, an hac ratione in Steatitem ſiue Graphium album mutetur. Saponaria nec non fullonia ſiue fullonum terra vocatur, quoniam ob pinguem et ſaponaceam naturam, linteis et pannis mundandis inſeruit, et maculas in primis pingues et tenaces ſoluit, vt mediante aqua poſſint extingui.

Cimolia praeter ea terra, quae a Cimolo, maris Cretici inſula, ita dicta fuit, cuius rura cretoſa OVIDIVS vocat [y], huc omnino referri meretur, licet omnes ferme nunc excitandi auctores ob colorem album Cretam eam appellauerint. Smectidis enim ſiue Smectridis nomen, quod HIPPOCRATES habet, et quod deterſoriam terram ſignificat [z], GALENVS

t) IO. GORRAEVS in Definit. Medic. Lutet. Par. 1564 fol. pag. 423.
u) A. FOESIVS Oeconom. Hippocr. Francof. 1588 fol. pag. 576.
x) Vid. ſupra pag. 41, 42.
y) Metamorph. Lib. VII.
z) Vid. Edit. Oper. R. CHARTERII Tom. XI Libr. de Fiſtulis cap. 2 pag. 142.

NVS et EROTIANVS per terram Cimoliam explicant [a]. PLINIVS duo genera huius terrae, candidum et purpuriſſum deſcribit [b], DIOSCORIDES vero eandem argillaceam albam et rutilantem, tactu frigidam dicit, et optimam illam iudicat, quae inhaerentem habet pinguitudinem [c].

Accuratam huius terrae deſcriptionem exhibuit PITTON DE TOVRNEFORT, his verbis [d]: *La terre Cimolée eſt vne craye blanche, aſſez peſante et ſans goût, rempli de petit ſablon, qui ſe fait ſentir ſous la dent; cette craye eſt friable, mais elle ne s'echauffe, ni ne bouillonne point, quand on l'arroſe auec de l'eau; elle ſe font ſeulement et deuient aſſez gluante: ſa ſolution, qui eſt griſatre, n'altere point la teinture du tourneſol, et ne ſe remue point auec l'huile de tartre; l'Eſprit du ſel repandu ſur la terre Cimolée fermente à froid, de même que toutes les matieres pierreuſes.*

Ex quibus cognoſcimus, illam impuram et maxime ſabuloſam eſſe, nec cum ſaponaceae indolis ſit, Cretam appellari poſſe. Addit inſuper vſum in pannis purgandis et reſoluendis humoribus, ſaponis virtuti reſpondentem. Nec in omni inſulae ambitu rubram vel rubentem terram, quam ſupra citati auctores adducunt, deprehendit, licet eam in profundis ſtratis forte reperiri concedat.

GENVS V.
ARGILLA.

Argilla eſt terra genuina, tactu pinguis et lubrica, non adeo ſiticuloſa, ſpiſſa et denſa, quae cum aqua in paſtam tenacem et manibus obſequentem reſoluitur.

Argilla ἄργιλος ſeu ἄργιλλος ab ἀργὸς albus dicta eſſe videtur, licet enim terra noſtra colorum varietate inſignis ſit, in album tamen praecipue vergit. Optimae namque Argillae, quae fictilibus in primis vaſis conficiendis apta ſunt, album colorem obtinent. Candidam et nitidiſſimam Argillam λευκάργιλον leucargillam nonnulli vocarunt, quae tamen forte ad Margas propius accedit, cum in Megarico agro, in humida et frigida terra ea vtebantur [e]. Ab ἄργος ſterilis vel piger alii hoc nomen deriuant, quoniam ob tenacitatem, et eam, quam continet, pinguedinem, nutriendis plantis inepta eſſe videtur. Argillam ab Argis vocari, apud quos primum vaſa ex ea confecta fuerunt, IO. IAC. MANLIVS auctor eſt [f].

Supra

a) Vid. Edit. Op. A. FOESII Francof. 1595 fol. Sect. VI de Fiſtulis pag. 161.
b) Hiſt. Nat. Lib. XXXV cap. 17.
c) Lib. V cap. 167.
d) Relation d'un Voyage du Leuant. Amſterdam 1718, 4to. Tom. I pag. 56 b.
e) PLINIVS Hiſt. Nat. Lib. XVII cap. 7.
f) Comment. in Luminare mai. Sect. XV cap. 43.

Supra vero exhibita Argillae definitio ad eam proxime accedit, quam BAIERVS exhibet[g]: *Argilla eſt gleba ponderoſa, pinguis veluti et vnctuoſa, tenax et ductilis, quamdiu humida exiſtit, ſiccata vero duritiem acquirens, nec facile debiſcens.* WORMIVS[h] *Argillam* dicit *terram tenacem, quae in partem quamcunque ducta non abrumpitur, neque exſiccata debiſcit.* Tenacitas igitur, ſiue quod ab aqua in paſtam firmiter cohaerentem reſoluatur, ſignum Argillae, quo ab aliis terris diſtinguitur, eſt certiſſimum, licet variae Argillae ſpecies, hanc mutationem quod attinet, gradu inter ſe differant. Sic enim pergit WORMIVS: *Utuntur ea figuli et plaſtae, et nobiliores tenuius duci poſſunt, aliae minus, viliſſimae eae ſunt, quae ad opus lateritium ſumuntur.* Omnis itaque gleba, quae ſufficienti aquae copia applicata, in paſtam abit, nec in fiſſuras irregulares vel lamellatas diſſilit, ſed ſpongiae inſtar eouſque fugit, donec digitis fingi poſſit, Argilla appellari meretur, id, quod optime cognoſcitur, ſi digito humido trita, aquae parum fugit, ſed in paſtam ſtatim tenacem, digito adhaerentem, conuertitur. DALE[i] de Argillis aſſerit, eas in ore detentas e ſeuo quaſi conſtare videri, quae forte nota Argillam a macris, non vero a pinguibus terris ſatis diſtinguit.

Pleraeque quidem Argillarum differentiae in ſpecierum enumeratione tradentur, a re tamen non prorſus alienum eſſe arbitramur, ſi figulorum ſic dictam Argillam et venarum, nec non lutum vulgare in hoc capite paululum conſideremus.

Argilla figulorum, ſeu lutum fictile, *Tœpffer-Thon*, pinguis admodum et tenax eſt, et reliquis praeſtantiores glebas in hoc genere ſiſtit. Alba optima quidem eſt, non ſemper tamen pura deprehenditur, quoniam martiales partes, non qua tales, ſed ochraceae tantum admiſcentur. Ex colorum igitur differentia magis vel minus Argillam figulinis vaſis conficiendis aptam eſſe, cognoſci poteſt. Argilla pura figulorum per ſe nunquam in vitrum mutatur, ſed dura fit et quaſi lapidea, vt quotidiana figulorum experientia teſtatur, diuerſa interim eius eſt durities[k]: an vero auctior ignis gradus requiratur, ſi in vitrum fuſco viride, ſemiopacum diffluere debeat, vt CRAMERVS[l] habet, dubium adhuc videtur.

Argilla venarum, *Letten*, *Berg-Letten*, in maſſis effoditur Argillae ſimilibus, ſed maxime impuris, quae in cryptis ſubterraneis ab aquis conge-

g) In Oryctographia Norica cap. 3 pag. 12.
h) In Muſeo Sect. I cap. 3 pag. 2.
i) Pharmacolog. Lib. I Sect. II pag. 20.
k) POTT *von der* Lithogeognoſia. *Abhandl.* 3 pag. 35.
l) Element. Art. Docim. Part. I pag. 31.

congeruntur, atque varia metallorum ramenta, aliaque mineralia, in primis arenam, ſecum vehunt, et, quod facile vitreſcunt, ad fictilia vaſa inde paranda, adhiberi non poſſunt. Figuli itaque Argillas ex locis, vbi cuniculi ſunt, in quibus minerae, in primis arſenicales inueniuntur, quarum partes cum hac Argilla concreſcunt, deſumtas, ignem non ferre dicunt, *ſie wollen im Feuer nicht ſtehen.* Silentio quoque praeteriri non debet, hanc Argillam reſpectu loci ſimul diſtinguendam eſſe. Argilla enim purior figulorum, vt plurimum vel ſemper in ſtratis poſita deprehenditur, haec vero Argilla venarum, per aquas ſubterraneas ex ſtratis huc deducitur, et ita vel exhalationibus vel comminutis minerarum partibus inquinatur.

Lutum ſiue Bolus furnarius, *Leimen*, eſt terra tactu quoque pinguis, et, praeter colorem obſcure luteum, quoad tenacitatem non nunquam cum Argillis conuenit, ſaepius tamen arenam ſubtiliſſimam ita habet interſperſam, vt, dum tenacitatem non adeo inſignem exſerit, extendi admodum non poſſit. Dicta haec terra copioſas martis particulas continet, quod experimenta chemica, quorum ope ferrum ex luto producitur, teſtantur. STAHLIVS ſequentia de differentia proponit[m]: *Ille enim limus reuera arenoſae veluti ſubtiliatae eſt proſapiae; vnde vitreſcit, quod fabri ferrarii ſciunt, eundem ferro caementando aſpergentes*, Eiſen zuſammen zu ſchweiſen. *Propterea ſunt portiones eius tenerrimae, velut purior prima terra Beccheriana, mixtionibus aptiores: cum e contra lutum pingue, vitreſcentiae refractarium*, Letten, fetter oder langer Thon, *diuerſo modo ſeſe habeant.*

GENVS VI.
MARGA.

Marga eſt terra genuina, tactu pinguis et lubrica, non adeo ſiticuloſa, quae aquae immiſſa in lamellas irregulares dehiſcit, et tandem in paſtam, ſed minus tenacem reſoluitur.

Marga et veteribus pinguis iam terra dicta fuit. PLINIVS[n], qui terram terra emendare dementiae opus eſſe dixerat, affirmat, in Britannia quidem et Gallia ſufficientem certe ob rationem Margam ſteriliori terrae admiſceri. *Spiſſior* enim inquit, *vbertas in ea* (Marga) *intelligitur, eſt autem quidam terrae adeps et velut glandia in corporibus ibi denſante ſe pinguitudinis nucleo.* Maiorem frugum vbertatem in Marga poſitam eſſe, IOANNES HARDVINVS[o] per vocabulum ſpiſſior indicari monet, quod

m) Spec. Beccherian. Part. I Sect. I pag. 74.
n) Hiſt. Natural. Lib. XVII cap. 6.
o) In Interpretatione huius loci Vol. II pag. 53. Edit. Pariſ. 1723 fol.

quod ex antea dictis patere arbitratur, ex iis vero, quae ſequuntur, colligi poſſe autumo, ſpiſſum, pingue et denſatum de ipſis Margae glebis praedicari deberi.

PLINIVS porro [p] diuerſas indicat ſpecies, a colore albam, ruffam, et columbinam, ab admixtis argillaceam, tophaceam et arenaceam, a tactu aſperam et pinguem, dictas, de quibus reſpectu fertilitatis agrorum plura profert, et 1) albam tophaceam, 2) ruffam, quae capnomargos vocatur, 3) candidam, gliſſo-vel gliſchromargam, 4) columbinam, quam Gallia ſuo nomine eglecopalam appellat, recenſet. IMPERATVS [q] *Margam, ſeu, ſi mauis, Aphronitrum, terrae pinguedinem* dicit, *in ipſis arenae lapidumque viſceribus collectam, haud aliter ac animalium pinguedo reperitur in corporis ipſorum partibus.* GEORGIVS AGRICOLA [r] Margae nomen a medulla, germanice *Marck* deducit, et varias eius differentias, a coloribus, tactu et figuris petitas, exponit. Omnes igitur pingues glebae, quae vel in terrae ſtratis inueniuntur, vel inter fiſſuras ſaxorum poſitae reperiuntur, Margae appellari poſſent, praeſertim cum haec denominandi ratio inter metallifoſſores noſtros vſu iam ſatis inualuerit. Hi enim non tantum varias terras argillaceas, ob admixtas minerarum partes, vel alias a vera Argillae indole parum recedentes, ſed et Morochti et Tripelae illas ſpecies, quae aliquid pinguis admixti habent, Margam, ſeu terram margaceam, *Mergel, Mergel-Erde* appellant. Sed, cum veram Margae ſignificationem hoc loco proponere debeamus, haec certe terra ad pingues vel tactu lubricas amandanda erit, vtpote quae hanc ob rationem quam proxime ad Bolum et Argillam accedit. Argilla et Bolus in paſtam abeunt, licet illa magis, hic minus tenacem offerat: Marga vero, tactu quidem pinguis, in aquam immiſſa, non in paſtam tenacem, ſed rariorem et quaſi in pollinem fiſſa reſoluitur. IO. IAC. WAGNERVS [s] Margam terram pinguem dicit, quod magis ſub lamellarum forma inuenitur, et durior eſt Argilla. Verum quidem eſt, Margas, cum raro in magnis ſtratis, ſed in maioribus potius aliarum terrarum interſtitiis, vel in fiſſuris montium inueniantur, duriores eſſe, at hae duritiei differentiae ad certos limites determinandos vix ſufficiunt. Vera Marga, in aquam immiſſa, in lamellas finditur, et vel ſine, vel cum ſtrepitu aliquo dehiſcit, ita, vt interdum vitri, calore nimio diſſilientis, vel ſubito refrigerati, ideoque fracti ſonum edat; Argilla vero et Bolus in aqua quaſi emolliuntur.

Margas itaque terras ſubtiliſſimas, puriſſimas, minus arenoſas eſſe, glebae noſtrae docent. Ob molecularum igitur ſubtilitatem dictae hae terrae

p) Loc. cit. cap. 7 et 8.
q) Hiſt. Nat. Lib. I cap. 18 pag. 21.
r) De Nat. Foſſil. Lib. II pag. 578.
s) Hiſt. Nat. Heluet. pag. 202.

terrae Morochto non raro respondent, ita, vt disquisitio terrarum, tactu macrarum et lubricarum, quae in confiniis horum generum deprehenduntur, difficillima sit. Quam etiam ob caussam multi auctorum Margam et illud terrae genus, quod nos Morochtum diximus, pro vno eodemque habent genere [t]. IMPERATVS, qui, vt supra proposuimus, Margam, tanquam terram pinguem descripserat, alio loco [u] eam calci similem esse monet, quod ex multis phaenomenis, calci vel lapidibus calcinatis propriis, declarat, et reliquos, praeter album, colores tantum aduentitios esse asserit, acrimoniam vero calcis in ea non reperiri contendens. Ex his vero, ab eo prolatis, non sine ratione colligimus, hanc alteram eius Margae descriptionem, Morochto magis, variis accedentibus terris mutato, quam Margae conuenire. CRAMERVS deinde [x] Margas ad apyras terras refert, et eas Cretas partim impuras dicit, quae forsitan sunt Morochti species, Cretae similes, partim terras singularis prorsus indolis Margas appellat, quae duriores paulo, grysei aut flaui coloris reperiantur, et effossae, liberiori aurae expositae, in puluerem dehiscant. De quo tamen, cum nulla gleba inter nostras sit, quae per se sine aqua aspersa dehiscat, certi quicquam constituere nolo, licet negare non ausim, eas magis terras, Margae nomine esse insigniendas, quas AGRICOLA [y] Goslarienses appellat, cineritiam et candidam, quarum formae speciem metallorum imitari videntur. De his enim asserit: *Vtramque acre frigus in tenuissimas bracteas diuidit, tametsi cineritia, antea quam vim frigorum acceperit, ex crustis crassis constet.* CRAMERVS denique [z] quasdam terras, quae margaceae vocantur, ad vitrescentes, et in specie ad Bolos et terras, plerumque sigillatas dictas, refert. De his tamen dubitatio quaedam enata est, an Argillae et Boli, si puriſſimae sunt, ad Margas accedant? De Argillis quidem hoc non facile asseri poterit, quoniam in illis semper, etiamsi puriſſimae sint, pastae tenacitas, siue gluten illud naturale, si gleba humectato digito fricatur, obseruatur, in induratis vero quibusdam Bolis, in primis in iis, qui tenerioris sunt et subtilioris texturae, naturalem quendam ad Margas, immo Lithomargas transitum statuendum esse existimo. Argillae tandem et Margae discrimen ex agricultura cognoscimus, cum haec fertilitatem augeat, illa vero sterilitatem inducat.

Pertractatis igitur terrarum genuinarum proprietatibus, dubias quoque recensere animus est, quae ab omnibus quidem auctoribus inter terras referuntur, licet ex eo, quod in aqua non dissoluantur, ad lapidum

t) MERCATVS in Metallothec. Vatican. Arm. I cap. 19 pag. 20. VALENTINI in Hist. Simpl. Reform. Lib. I cap. I § 9 pag. 3.
u) Lib. cit. cap. 21 pag. 24.
x) Element. Art. Docim. Part. I pag. 34.
y) Loc. cit. pag. 579.
z) Loc. cit. pag. 31.

dum magis naturam accedere videantur. Sex igitur huc vſque deſcriptis generibus, de Creta, Graphio et Lithomarga acturi, tria alia ſubiungimus.

GENVS VII.
CRETA.

Creta eſt terra dubia, tactu macra et denſa, quae lineas ducit, aquam affuſam citiſſime quidem reſorbet, non vero reſoluitur, ſed eam filtri inſtar transmittit, et cultro raſa pollinem tenuiſſimum exhibet.

Haec terra a maris mediterranei inſula, Creta olim, nunc Candia appellata, nomen traxit. Omne illud terreum concretum, quod inſigni candore praeditum, eodem colore reliqua tingit corpora, vulgo ſic appellatur, quamuis varii ſcriptorum ad ſubſtantiam magis, quam ad colorem reſpiciant, et omnes fere terras, quae aliis corporibus proprium ſibi colorem impertiuntur, Cretas appellent. Sic CHARLETONVS [a] ſex vel ſeptem Cretarum differentias, varietate colorum conſpicuas, recenſet, et WORMIVS [b] tam latam eius exhibet definitionem, vt omnia fere terrarum genera ſub illa comprehendi poſſint. *Creta*, inquit, *eſt terra, quae ad expoliendum, mundandum, fricandum, illiniendum et colorandum vſurpatur*. Cui quidem definitioni, ab vſu deſumtae, noſtram ſupra exhibitam praeferendam eſſe cenſemus.

Ea Cretae eſt denſitas, vt dubitari poſſit, an non potiori iure lapidibus, quam terris annumerari debeat, praeſertim cum in aqua vix ac ne vix quidem reſoluatur, nec emolliatur. Non nullae quidem reperiuntur glebae, quae imperfectam quaſi Cretam, aqua emolliendam, exhibent, illae tamen ad Morochtum magis, quam ad Cretas referendae ſunt; genuinae ſiquidem glebae aquam fugunt non emollitae. Tanta vero cum ſit Cretae cohaeſio, vt inter digitos tandem, in minores partes diffracta, in pollinem mutari, et ita cum aqua in paſtam minus tenacem redigi queat, ego quidem Cretae peculiarem inter terras dubias locum conſtituendum eſſe putaui, licet alii, pro ſua quisque opinione, Cretas ob duritiem, vel lapidibus interſerere, vel ob friabilem indolem Morochto ſubiungere velint. In methodo certe naturali medium quaſi inter terras et lapides tenere debent.

Creta vero, cum macra ſit terra, a Morochto tam parum abeſt, vt in pollinem contrita, vix ab illo diſtingui, et facile inde cum praecipuis eius

a) De Foſſilium Generibus pag. 2.

b) Muſ. Sect. I cap. 3 pag. 3.

eius ſpeciebus, quae cum acido efferueſcunt, in vnam claſſem referri poſſit, in glebis ſolidis tantum ab eo diuerſa. Inſigni hac, qua pollet, denſitate, ad lineas corporibus inducendas, quam maxime apta reddi-tur, in primis, ſi corpora, quae eas recipiunt, non adeo polita et lu-brica, ſed poroſa et aſpera parum inueniantur. Ea enim, quae attingit, corpora, non quidem polline ſubtiliſſimo, ſuperficiei adhaerente, inqui-nat, particulis potius denſis, attritu fortiori aliis corporibus impreſſis.

Hic lineas ducendi modus, ob quem Creta noſtra, Graphium al-bum a non nullis cognominata fuit, cum aliis quoque terris, vt cum Graphio et diuerſis eius ſpeciebus, inſtitui poteſt. Quam ob rem hic quoque diu ambiguus haeſitaui, vtrum Cretam ad illas, an vero illas ad Cretam referrem: cum vero Cretam tactu macram, illas e contrario terras duras, tactu pingues, inuenerim, haec a ſe inuicem ſeiungenda eſſe credidi, in primis, cum peculiarem quandam in hac noſtra Creta in-venerim proprietatem, quod nimirum aquam quaſi per filtrum transmittat.

Cretam vero alcalinam eſſe terram, non efferueſcentia tantum cum acidis, ſed alia quoque experimenta [c] demonſtrant, licet varii generis acidis ſaturata in cryſtallos mutari non poſſit, ſed in facie ſuperiori ſa-linam cruſtam, in fundo vero ſpiſſum magma exhibeat.

GENVS VIII.
GRAPHIVM.

Graphium eſt terra dubia, tactu pinguis et lubrica, quae lineas ducit, et cultro ita radi poteſt, vt puluis vel tenuiſ-ſima eius ramenta cum aqua in paſtam quandam, minus vero tenacem, redigantur.

Glebae, quae Graphium noſtrum ſiſtunt, in aqua non diſſoluuntur, ad dubias inde terras referri merentur. A Creta in eo differunt, quod tactu lubricae ſint, nec digitos facile inquinent, a Lithomarga, quod lineas ducant. Ad tria vero, tanquam inferiora genera, Graphium forſitan reduci poteſt, Steatitem ſcilicet, ſiue Graphium album, Rubri-cam et Nigricam, quae, licet ratione interioris miſcelae, coloris et aliarum qualitatum multis inter ſe differant modis, et in vlteriori ad alias mine-ralium claſſes progreſſu, partim ad lapides, partim ad ferri mineras pro-pius accedere videantur, ob illas tamen, quas in definitione tradidimus, notas, vno ſub genere comprehenſae a nobis traduntur.

Steatites

c) Vid. CASP. NEVMANNI Praelect. Chemic. Berolin. 1740 Part. V cap. 15 pag. 1541.

Steatites PLINII [d], *a ſingulorum animalium adipe numeroſa* ita denominatus, ad hoc magis genus, cum a lapide propius abſit, quam ad Smectidem ſiue terram ſaponaceam referri debet [e], quam etiam ob cauſſam terras, ad ſubordinatum hoc genus pertinentes, Steatitem appellauimus, cum tactu lubricae pingues et ſaponaceae inueniantur.

Graphium ſeu lapidem album *in fruſtula ad delineandum apta ſecari poſſe* aſſerit IMPERATVS [f] et materiem ipſi adſcribit, *quae celerrime in aqua ſoluitur, nec igne indureſcit, ſed acrem ſaporem more calcis recipit.* Dicti vero hi characteres, vt proprii, noſtrae terrae non conueniunt, ſed maximam potius gypſi ſimilitudinem oſtendunt. Pergit enim: *Vſus eſt in deſignando ſuper impreſſionibus fruſtulorum gypſeorum in modum.* Magis ad hanc terram accedit ollaris lebetum lapis, a CRAMERO [g] deſcriptus et ad apyros lapides relatus, qui a quibusdam Creta Cimolia, Creta Hiſpanica, vulgo Creta Veneta [h] vocatur. Dicit enim, *is quidem ad tactum perfecte ſapones refert, plerumque eſt ſemidiaphanus, mollis, pondere mediocris, acie cultri facillime figurandus.* Concedo quidem, ita terram noſtram indurari poſſe, vt, ſuperficie licet lubrica et ſaponacea, lapidis tamen duritiem referat, cum vero cultro figuras ſibi inducere patiatur, terrarum naturam magis oſtendere, et a lapide ollari gradu differre, ex notionibus, in definitione expoſitis, facile apparet. Color eius albus plerumque eſt, ſed alias quoque coloris ſpecies aſſumit, ita, vt interdum quodammodo fuſca et cinerea inueniatur, magis tamen in virideſcentem colorem vergat.

Rubrica, Graecis *μίλτος* dicta, Germanice *Rœtelſtein*, Graphii genus alterum conſtituit, et illam WORMIVS [i] optimam iudicat, quae rubicundiſſima, ſpiſſa, grauis, ſibi toti concolor eſt, et cuius vnica mica, ſi diluitur, plurimum humoris, in ſimilitudinem ſanguinis diffundit. Sed, cum noſtra Rubrica in aqua non diſſoluatur, rubrum forſitan Bolum, quo pictores vtuntur, vel arte factam Rubricam intelligit.

Diuerſa eſt Rubrica, teſte PLINIO [k] rubra ſcilicet, minus rubens et inter has media, hanc vero Sinopin appellat, et paulo poſt Rubricam addit,

d) Hiſt. Nat. Lib. XXXVII cap. 11.

e) Vid. WOODWARD Meth. Foſſil. p. 3 ſoap earth not. 6 * Steatitem dixit.

f) Hiſt. Nat. Lib. IV cap. 42 pag. 132.

g) Element. Art. Docimaſt. Part. I pag. 35.

h) WOODWARD loc. cit. French markingſtone et not. 7: *This probably is the Morochites of Pliny: and the Morocthus, Galaxia and Leucographis of Dioſcorides*, qua in re errare videtur, nam ita pergit: *It is unctuous to the Touch, as the former is* (locutus eſt de terra ſaponaria) *but harder and nearer approaching the Conſiſtence of Stone. The french call it Craye de Brianſon.* Hanc Cretam LEMERY Diction. des Drogues ſimples pag. 532 ad Talcum refert, licet duriorem minus ſquamoſam dicat, habet vero albam et viridem. Vid. quoque POMET Hiſt. Generale des Drogues Part. III Lib. IV cap. 15 pag. 105.

i) In Muſeo Sect. I cap. 3 pag. 4.

k) Hiſt. Nat. Lib. XXXV cap. 6.

addit, ſub qua fabrilem intelligit. MERCATVS [l] in Sinopica aeque ac fabrili tres differentias, a PLINIO indicatas, quaerit, ſed Sinopicam cum Bolo Armeno conuenire ait; Sinopicam igitur molliorem, fabrilem denſiorem eſſe iudicat. TOVRNEFORTIVS [m] terram Sinopicam, a variis auctoribus deſcriptam, Bolum, circa Sinopin olim effoſſum, fuiſſe aſſerit, quem cum Bolo Hiſpanico pro vno eodemque habet, licet ſententiam ſuam nullis argumentis confirmet. Viridem tamen aliam terram hic inueniri potuiſſe, non negat, cum CHALCONDYLAS minerarum cupri, ibidem inuentarum, mentionem faciat.

Sed differentia, quae inter Sinopicam atque fabrilem Rubricam intercedit, vlterius adhuc conſideranda eſt. Illa perfectior, calculorum expers, et colorem iecinori proprium aemulatur [n], haec minus perfecta et priori inferior, varietate tamen colorum inſignis eſt [o]: Illa praeter ea in Cappadociae licet effoſſa ſpeluncis, Sinopis ſeu Sinopica terra aut Rubrica dicta fuit, quoniam depurata in Sinopem vrbem deferebatur et vendebatur [p]. MATTHIOLVS [q] Sinopicam Rubricam falſo cum Bolo orientali confundi monet, etiamſi hoc ex virium tantum differentia, minime vero ex characterum conſideratione concludat. IMPERATVS [r] Rubricam haematitem a quibusdam dictam, Graphium rubrum ſeu Rubricam fabrilem appellat, ita eam deſcribens, quod, *licet in extrema ſuperficie humectetur, humectatusque melius ſignet, non tamen ideo in aqua ſoluatur, ſed remaneat integrum.* CRAMERVS [s] fabrilem ſic dictam Rubricam ad ferri mineras refert, quoniam magnam ferri copiam reconditam obtinet, mollem tamen dicit eam et tactu ſaponaceam, vt cultro radi et figurari poſſit. Quibus certe notis terram tactu pinguem, marte tinctam deſignat. BECCHERVS inſuper affirmat [t], Rubricam, in ſpiritu ſalis ſolutam, omni colore extracto in communem album limum mutatam fuiſſe. Bolum, qui a marte ſibi adiuncto ruborem contraxit, induratum in Rubricam mutari, cum veritate conuenire videtur, talem certe Rubricam molliorem WOODWARD [u] adduxit et DALE [x], Bolum Bohemicum, *Deutſchen Rothſtein*, appellat, et in Rubricis enumerandis terras bolares quoque recenſet [y], vti a plurimis bolares terras ad Rubricas referri videmus,

l) Metalloth. Vatican. Arm. I cap. 4 et 5 pag. 13, 14.
m) Relation d' un Voyage du Leuant. Tom. II pag. 94 b.
n) Vid. FALLOPIVS de Metall. ſeu Foſſil. cap. 38 pag. 395 edit. Opp. Francof. 1584 fol. qui pro ſubſtantia vel imagine hepatis, vt DIOSCORIDES habet, colorem hepatis animaduertendum eſſe cenſet, et aliam adhuc notam proponit, quod linguae nimirum firmiter adhaereat.
o) LEMERY Dict. pag. 468.
p) DIOSCORIDES Lib. V cap. 102.
q) In Comment. ad h. l. edit. Opp. pag. 937.
r) Hiſt. Nat. Lib. IV cap. 42 pag. 133.
s) Element. Art. Docimaſt. Part. I pag. 260.
t) Phyſic. Subterr. Lib. I Sect. III cap. 5 num. 10 pag. 174.
u) Method. Foſſil. pag. 2 not. 6.
x) Pharmacol. Lib. I Sect. II pag. 19.
y) Loc. cit. pag. 23.

mus, licet in aqua diſſoluantur, et ad noſtrum, hac ratione genus, non pertineant.

Genuina vero, quam deſcribimus, Rubrica in variis glebis ita differt, vt in duriorem et molliorem diuidi recte poſſit. VALENTINI[z], qui Rubricam fabrilem deſcribit, et duriorem lapidoſam a molliori Anglica diſtinguit, hanc quidem frictione non comminui, cultro tamen radi poſſe monet, quibus ea de cauſſis ad noſtram Rubricam accedit. Illi denique, qui in iconibus delineandis Rubrica vtuntur, molliorem igne indurari poſſe aſſeuerant. Aliam duritiei cauſſam WOODWARD[a] exponit, ſicut namque color et maior minorque eius grauitas a ferri admixtione dependet, ita quoque denſitatem maiori vel minori particularum ferri copiae adſcribendam eſſe iudicat, hac tamen in re magis ad terreſtrium particularum quantitatem et arctiorem nexum, quam ad tingentes ferri particulas, vt reſpiciamus, oportet.

Maxima tandem in glebis noſtris diſcutiendis difficultas exinde oritur, quod factitiae ſaepius natiuis immiſcentur, ita enim CRAMERVS *ex flauo ſedimento, quod in aluminis et vitrioli confectione excutitur*, arte Rubricam praeparari ait[b].

Nigrica, Germanice *Schwartze Kreyde*, a MERRETTO Nigricum nominata fuit[c], et a Rubrica non niſi colore differre videtur[d]. CRAMERVS[e] Cretam nigram, improprie ſic vocatam, ad ſchiſtum et in ſpecie ad ardeſiam tegularem refert. Ardeſia vero raſa non pollinem nigrum, ſed tenue tantum ſabulum praebet, et lineas quidem ipſi, in laminas vel tabulas redactae, ardeſiae inducit, non vero in chartis, vario colore praeditis, deſcribit. Nigrica vero noſtra eodem modo colorem nigricantem, ſubcinereum chartae, vti Rubrica rubrum, inducit. Et, quamvis hanc noſtram terram ex lapidum numero eximamus, eam tamen, vt dubiam terram proponimus, atque ob ſimilitudinem ſchiſto nigricanti ſubiungi poſſe, lubentes concedimus.

His ita perluſtratis, de Pnigite veterum, varie ab illis deſcripta, quaedam ſubnectere liceat, in primis, cum illud a ſcopo noſtro prorſus alienum non ſit. A Pnigeo, vico Libiae Mareotidis appellatur, vel vt IONSTONVS habet[f], a *πνίγω*, ſuffoco, quoniam adeo glutinoſa eſt, vt de-

z) Hiſt. Simpl. Reform. Lib. I cap. I § 12 pag. 7.
a) Loc. cit. pag. 3 not. 10.
b) Loc. cit.
c) CHARLETONVS de Foſſilibus pag. 2.
d) Plumbum nigrum Offic. DALE in Pharmacol. Lib. I Sect. II pag. 25 recenſet, vtrum vero hanc noſtram terram, an molybdaenam intelligat, dubium relinquitur.
e) Loc. cit. pag. 30.
f) Notit. Regn. Mineral. Tit. 2 cap. I pag. 12.

deglutientem ſtrangulet. DIOSCORIDES [g] hanc terram colore Eretriae fere ſimilem, hoc eſt, albam vel potius cineream eſſe aſſerit, quae grandioribus glebis conſpicua, manum admotam refrigeret, et tactu linguae vſque adeo glutinoſa ſit, vt penſilis maneat, in quibus PLINIVM [h] aliosque ipſi [i] aſſentientes inuenimus.

Quoniam vero GALENVS [k] atram eandem, perinde vt Ampelitidem viſcidam tenacem dicit, et colore tantum a Cimolia, cum qua alias convenit, differre aſſerit, plurimi etiam ex veteribus aeque ac recentioribus [l] hunc magis, quam illos ſecuti ſunt. AGRICOLA [m], qui nigram Pnigiten quoque adducit, duo eius genera deſcribit, ita differens: *Molle, quod ſiccum ex ſe lineas producit; durum, quod tum, cum madefactum fuerit; eſt vero terra modice pinguis, rara, modo mollis, modo dura, nigra et acris.* Ex qua deſcriptione patet, illum non tantum Nigricam noſtram, ſed forte etiam glebam molliorem bolarem, nigro colore imbutam, intelligere. In eius tamen partes non tranſit IMPERATVS [n], quippe qui DIOSCORIDIS ſententiam amplectitur, ſecundum quam Pnigites pro terra gleboſa, tactu frigida, linguae adhaerente, habetur, quae cuncta in Nigrica, quam AGRICOLA deſcripſit, non inueniuntur. WORMIVM [o] deinde, ſi audias, hanc terram pinguem, ſpiſſam, mollem, nigram, adſtringentem et acrem, ſapore vitriolum referentem dicit, ſimulque arbitratur, vitriolum flaui coloris ex ea exſudare. Poſt ea hanc terram madefactam nigras lineas inducere, et Cretam inde appellari affirmat, pondus praeter ea compoſitum eſſe, et a metallo, ſcilicet ferro, quod terra continet, dependere autumat. Negandum interim non eſt, in hac characterum diuerſitate certum decerni non poſſe [p], num haec veterum terra, ad Nigricam potius noſtram, quam ad Boli ſpecies vel Vmbram pertineat, in primis, cum non ſatis conſtet, vtrum veteres duplicem terram, ſub vno eodemque genere deſcripſerint, an, id quod magis probabile videtur, alter eam, vt mollem, alter vt induratam diſquiſiuerit.

GENVS IX.
LITHOMARGA.

Lithomarga eſt terra dubia, tactu lubrica, quae cultro radi poteſt, lineas tamen non ducit, neque colore ſuo alia corpora

g) Lib. V cap. 169.
h) Hiſt. Nat. Lib. XXXV cap. 16.
i) ORIBASIVS Med. Collect. Lib. XIII Tit. 7ϖ. WECKERVS in Antidot. Spec. Lib. I de Terra Sect. IV pag. 38.
k) De Simpl. Medic. Facult. Lib. IX cap. 1 n. 4.
l) AEGINETA de Remed. Lib. VII cap. 3 ſub Tit. 7ϖ. 10. A. SARRACENVS Schol. in Dioſcorid. Lib. V cap. 177 pag. 124. MOSCARDVS in Muſ. Lib. II cap. 97 pag. 165. MERCATVS Metalloth. Vat. Arm. I cap. 14 pag. 18.
m) De Nat. Foſſil. Lib. II pag. 582.
n) Hiſt. Nat. Lib. IV cap. 20 pag. 118.
o) In Muſeo Sect. I cap. 3 pag. 5.
p) Vid. CHIOCCVS in Muſeo Calceolariano Sect. II pag. 128.

corpora inquinat, et in pollinem redacta, cum aqua in paſtam minus tenacem mutatur.

Margam in aqua dehiſcere, et in ſquamulas vel lamellas findi, ſupra indicauimus: eiusdem quoque indolis Lithomargam eſſe, ex ſuperficie lubrica concludere poſſumus. At a terrarum indole in eo recedit, vt compacta admodum inueniatur, et aquae particulas in ſinum ſuum vix admittat. Lithomarga vero, vi vocis conſiderata, ex duplici ratione ita appellari poterit, vel, quod in fiſſuris montium ſiue lapidum inueniatur, vel, quod duritiem lapidis quodam modo imitetur, et ita nos dubios reddat, vtrum ad lapides, an ad terras illam referre debeamus. Secundum priorem nominis explicationem multi etiam mollem ſubſtantiam, intra fiſſuras lapidum deprehenſam, Lithomargam vel Steinomargam dicunt, vt AGRICOLA[q] *Hanc*, inquit, *liquidam noſtri metallici vel hodie vocant Steinomargam, id eſt medullam ſaxi, quae ipſa reperitur, cum in venulis commiſſurisque ſaxorum, dum maxime in ipſis includitur ſaxis, ſaepiusque eſt dura.* VALENTINI[r] et WOODWARD[s] agaricum mineralem ſub hoc genere comprehendunt, CRAMERVS[t] *Steinmarck*, lactis lunae ſynonymon habet, et eo nomine terras quoque albas, flaueſcentes, priore ponderoſiores deſignari addit. BOCCONE[u] terras molles, in lapidum cauis deprehenſas, Lithomargas dixit.

Ad alteram vero vocis ſignificationem quod attinet, ex qua nimirum terrena haec maſſa lapidis duritiem aemulatur, eam priori anteferendam eſſe cenſemus. Terra enim, quae in fiſſuris montium reperitur, nouo generi, a loco conſtituendo, non ſufficit, ſed, vel ad Morochtum, vel ad Argillam venarum, vel ad Margam, pro varietate propriae ipſi ſubſtantiae, reducenda eſt. Verum enim vero, cum illam, a loco, in quo terra reperitur, deſumtam denominationem reiiciamus, ipſa forte eius, ad lapidis denſitatem accedens, durities, non ſatis idoneam exhibebit ideam, cum illa ab accedentibus producatur cauſſis, dum ipſe Morochtus, Argilla vel Marga ita ſaepe condenſari queant, vt ſub molliorum lapidum formis inueniantur. Fateor equidem, diu iam animo ſcrupulum huncce inhaeſiſſe, ſed, cum glebae ad manus ſint, quae ad lapides referri non poſſunt, et ad Margam aliaque terrarum genera propius accedunt, ab omnibus tamen his genuinis terris, ratione duritiei, a Creta vero et Graphio in eo, quod lineas non ducant, maxime differunt: has omnes, peculiari hoc ſub genere comprehenſas, exhibere volui, liberum

q) De Natur. Foſſil. Lib. II pag. 578.
r) Hiſt. Simpl. Reform. Lib. I cap. 1 § 9 pag. 3.
s) Method. Foſſil. pag. 4 not. 20.
t) Element. Art. Docimaſt. Part. I pag. 47.
u) Ephemer. Nat. Cur. Cent. I et II Obſ. 2 pag. 5.

rum cuiuis conceſſurus, num vnam alteramue harum terrarum ſpeciem ſupra expoſitis generibus adiungere velit.

Haec itaque ſunt, quae de genuinarum aeque ac dubiarum terrarum generibus obſeruata fuere, ad ſpurias nunc terras recenſendas accedimus. In limine ſtatim tractationis monere liceat, ſpurias haſce terras in genera quaedam diſponi haud potuiſſe. Ipſa namque earum definitio docet, varia ex aliis mineralium claſſibus deſumta corpora, quae in maſſas vel ſubſtantiam, terrae ſimilem coaluere, et ideo non propriam terrarum indolem, ſed aliquam tantum ſimilitudinem oſtendunt, in numerum earum referenda eſſe. Non nego quidem, plurima ex his ad alia regni mineralis capita ablegari, et in opere noſtro omitti prorſus potuiſſe, non nullae tamen, eaeque validae ſatis ſunt, quae me mouent, rationes, vt breuem quandam illarum hiſtoriam ſubnectam, primaria huius argumenti capita magis indicaturus, quam ampliore ſermone explicaturus.

In dubiis licet terris explicandis occupatus, ſaepius eas cum aliis regni mineralis corporibus inſignem habere conuenientiam, iam propoſuerim, illa tamen earum tantum ad lapides tranſitum complectebatur, et recenſitae ibi terrae veras adhuc terrarum notas exprimebant: reſtat, vt illa terrarum confinia nunc conſideremus, quae in omnes ferme reliquas mineralium claſſes extenſa reperiuntur, in primis, cum varia diſquirenda ſuperſint, quorum in hoc opere mentionem vt faciamus, neceſſe eſt. Ochra v. c. et Vmbra curatius nunc deſcribendae erunt, idque eo maiori iure, cum veteres aeque ac recentiores ſcriptores has terras ſaepius cum genuinis coniunxerint, etſi multum ab earum natura deflectant. Non nullae praeter ea corporum mineralium ſpecies ab hiſtoriae naturalis ſcriptoribus terrae vocantur, quamuis vere tales non ſint, vt terra Puteolana ſulphurea, terra foliata BOCCONIS et aliae. Iis igitur, qui has quoque terras cognoſcere cupiunt, ſatisfacturi, breuiter tantum, cum ad verarum terrarum genera reduci nequeant, eas indicare ſuſcepimus. In his vero recenſendis veniam nobis dabunt accuratiores hiſtoriae naturalis indagatores, quod latiores paulo terrarum conſiderationi poſuerimus limites, aliisque breuitate, aliis autem aliqua rerum explicatione, vt placeamus, operam dederimus.

HVMVS, ſiue terra ruralis, *gemeine Erde*, *Damm-Erde*, illa potiſſimum dicitur, quae in vitae noſtrae commodum colitur, et omni plantarum incremento inſeruit, inſignis nimirum illa moles, quae longe lateque per campos et arua expanditur, quam quotidie pedibus noſtris calcamus, et ideo omnes terram communem appellamus. Deſcriptae a nobis

nobis in ſuperioribus terrae, cum nullas vel pauciores particulas contineant, ex quibus plantae ſuum nutrimentum et augmentum capere poſſint, ſteriles omnes dicendae ſunt, iis vero, aliae dum particulae admiſcentur, quae a plantae poris reſorberi poſſunt, fertiles eae redduntur, et terra hac demum ratione praeparata, ruralis ſeu Humus appellari meretur.

Ad illas vero, quod attinet, partes, quae primigeniae ſic dictae terrae hunc in finem admiſcentur, ipſa earum varietas et diuerſus applicandi modus fuſius certe et accurate ſatis hoc in loco recenſeri non poteſt: in genere itaque monemus, reſolutas vegetabilium et animalium partes, in deſtructione corporum liberiores redditas, plurimum ad nouam corporum euolutionem conferre. Omnia quidem a putredine deſtructa corpora aliquam terrae primae copiam deponunt, quae ad reliquas terrae partes accedunt, ex his tamen ſolis plantarum incrementum prouenire nequit, niſi perpetuus quaſi partium oleoſarum et ſalinarum circuitus ſubtiliores eas, et ad nutrimentum plantis exhibendum, aptiores reddat.

In fertilitate terrarum igitur, ad vnguinoſam illam ſubſtantiam, quae ex terra rurali per aquam eluitur et inſpiſſata colligitur [x], attendendum eſt, quae vero ſola et per ſe conſiderata eandem vix ac ne vix quidem praeſtat. Ipſae namque eius partes, cum ſpiſſae nimis et tenaces ſint, nec a ſubtiliſſimis plantae poris ſugi, nec vlterius in iis perfici poſſunt. Haud parum deinde aër ad hanc terrarum fertilitatem confert, quippe qui, vt menſtruum, oleoſas ſalinasque partes reſolutas ſuſcipit, attenuat, miſcet, praecipitat, et eas vel terrae gremio tradit, vel ipſis, in ſuperficie plantae reperiundis poris, per vaporis vel roris guttulas applicat. Inde et eſt, quod illi, qui ſterilitatem terrae variis admixtis rebus emendare tentant, non fimum ſolum et alia corpora, quae viſcidam illam, vnguinoſam et ſpiſſam praebent materiem, ſed et cineres, calcem viuam et margaceas vel potius calcareas terras apponant, eum in finem, vt apta inde terra euadat, ſubtilioribus, quae a plantarum radicibus reſorberi poſſint, partibus recipiendis. Probe hanc fertilis terrae praeparationem perſpiciunt prudentes hortorum cultores, dum eam variae plantarum indoli accommodare ſtudent, arenam, lutoſam terram, fimum variorum animalium, et alia plura, humo vulgari admiſcentes, ex quo fit, vt terra calidior, frigidior, ſiticuloſa vel non ſiticuloſa eueniat, et ita variis plantarum ſpeciebus nutriendis inſeruiat.

Non inutilem certe, neque ſuperuacaneum laborem ſuſciperet is, qui in artificiali hac, terrarum indolem emendandi, methodo vlterius elaboranda, crebrioribusque experimentis ſtabilienda, operam ſuam collocaret,

x) Vid. IO. ADAM. KVLBEL Diſſ. de cauſſa fertilitatis terrarum, Dreſd. 1740, 4.

ret, in primis, cum multa adhuc in plantarum cultura abſcondita lateant, quae ex phyſicis tantum principiis declaranda, induſtrium et clare doctum virum poſtulant. Amplum nimis et a praefixo nobis ſcopo alienum eſſet, ſi vlterius hisce indicandis inhaerere vellemus; nulla enim Humi ex certis et propriis ipſi notis deducta definitio exhiberi, et ipſae, infra recenſendae ſpecies, ob innumeram varietatum, quae in iis reperiuntur, copiam, vix conſtitui poſſunt. Quae vero veteres potiſſimum auctores de differentia ſoli, de emendatione terrarum in vſum agriculturae et reliquis huius argumenti capitibus in medium protulere, ea omnium optime IMPERATVS[y] congeſſit, recentiorum vero obſeruationes hinc inde diſperſae deprehenduntur.

SALINAE TERRAE conſiderari nunc debent. Omnes enim, vario modo inter ſe mixtae terrarum partes, ſalium matrices appellari merentur, dum ea praeditae ſunt indole, vt ſolutas ex aliis corporibus et aëri inhaerentes ſalium particulas, in primis vniuerſale illud acidum in ſe recipiant, et pro admixtarum partium diuerſitate eas varie mutent. Hac certe, vel non adeo diſſimili ratione vitriolum, alumen, ſal commune, nitrum, borrax, et ſi quae alia adhuc ſunt ſalia, generantur, immo, ſi ab his ad prima generationis ſalium initia progredimur, ſimilem certe modum deprehendemus. Nam curioſus rerum naturalium ſcrutator STAHLIVS[z] ſatis abundeque iam docuit, particulam terreſtrem primigeniam cum aquoſo halitu intime mixtam, prima ſalium ſtamina exhibere, quae quidem, dicta ab eo, miſcela per vapores tantum perfici poteſt, quorum nimirum ope ſubtiliores redditae ſalium particulae in auras euehuntur et iterum praecipitantur, id, quod ex iis ſimul, quae ſupra propoſita fuere[a], clarius adhuc cernere datur.

Eouſque vero in noſtra, quam nunc ſuſcepimus, diſquiſitione exſpatiari nobis non licet, vt minimarum et elementarium quaſi terrae particularum mixtionem reſpiciamus, maiores tantum et concretas ex iis moleculas conſideraturi, quae ſalium ramenta ſuſcipere, fouere et ad artefactam vſque ſeparationem retinere valent. Nec characteres quidem deficiunt, qui ſalia continentes terras a ſe inuicem diſtinguunt, ita namque vitriolica terra volatilem et nauſeoſum odorem, ſtipticum vero et adſtringentem in lingua ſenſum producit, tomento inſuper albo et virideſcente, a ſpiculis ſalinis ortum trahente, referta eſt; aluminoſa, ſalibus adhuc vacua, nigra, ſaepe ſplendens et denſa apparet, impraegnata vero dehiſcit, gryſei coloris eſt et lanuginoſa euadit. Sed omnes hi characteres non

y) Hiſt. Nat. Lib. I cap. 3 ſeqq.

z) *In dem Beweiſe von den Saltzen, daß dieſelben aus einer zarten Erde mit Waſſer innigſt verbunden beſtehen. Halle* 1723, 8, in primis cap. 7 et 8.

a) Vid. Oper. noſtr. Cap. II pag. 23 not. a.

non ita comparati esse videntur, vt pro firmo satis haberi possint fundamento, cui generum aeque ac specierum distinctiones definitionesque tuto satis superstrui queant, et, licet inutiles prorsus non sint, salium tamen magis, quae terrae insunt, quam recipientis ea matricis naturam ostendunt. His tandem et illud accedit, quod terrae non nullae, secundum externas quasdam notas diiudicatae, generationi cuiusdam salis aptae esse videantur, cum tamen ipsis experimentis tentatae, nihil salini prodant [b]. His rebus ita comparatis, terras hasce salinas, cum generis notio incerta admodum sit, lubentes in praesenti relinquimus, easque illi historiae mineralium capiti, quod salium naturam exponit, vt commodiori loco inserendas esse putamus.

Metallicae sic dictae terrae, vt verae terrae considerari nequeunt, licet earum formam saepius induere videantur, et verae terrae notas obiter consideratae ostendant. In duas vero classes dispesci possunt, ita, vt aliae quasi solutae, aliae in pollinem tantum comminutae reperiantur. Priorum classem Ochra in primis constituit, quae, quod a veteribus aeque ac recentioribus scriptoribus ad terras relata fuit, et multas praeter ea terras suo colore tingit, accuratius paulo a nobis disquirenda erit, quo scriptorum de ea dissensus, et vera eius indoles melius inde cognosci possit.

OCHRA. Graecis Ὀχρη, Ὀχρα, Germanis *Ocher*, *Ocker*, *Berggelb*, *Silbergelb*, ab omnibus ferme auctoribus, tanquam massa, terrae similis, colore luteo insignita, adducta fuit, qui vero sit coloris illius lutei gradus, an crocum imitetur, an pallidus magis dici debeat, de eo veteres iam dissentientes inuenimus. Sic enim BRASSAVOLA [c]: *Optimi et praestantissimi interpretes ὀχρὰ pro pallido semper interpretari videntur, Arabes tamen colorem croceum interpretati sunt, nam* SERAPIO, GALENI *verba adducens, croceo colore ad rubedinem vergente, interpretari videtur, et* AVICENNA *inquit, rubro colore ad cineritium vergente, tamen vocabulum ὀχρὰ non interpretantur ad vnguem, sed opus est pro ipso vel pallidum aut luteum exponere.* Sententiam tamen huic plane contrariam fouet CLAVDIVS SALMASIVS [d]. Cum vero a colore hanc nostram terram nomen traxisse certum sit, quaelibet terra, luteo colore praedita, licet ille interdum in aureum, interdum in pallidum magis vergat, Ochra a variis auctoribus appellatur.

At

b) Terram talem spuriam nitrosam, quam *Schalck* dicunt, adducit PETRVS ALBINVS *in der Meisnischen Berg-Chronica* pag. 174. Dresd. 1590 fol.

c) Exam. Simpl. Med. pag. 576, seq. vbi de colore Boli Armeni differit.

d) In Exercitationibus Plinianis in CAI. IVL. SOLINI Polyhistora Trai. Rhen. 1689 fol. pag. 812, vbi denominationes colorum, apud veteres vsitatas, expendit. SIMON IANVENSIS in Clau. Sanit. fol. 41, et MATTH. SYLVATICVS Op. Pandect. fol. 158 Ochrae mellinum, id est, sub citrinum colorem tribuunt.

At non de colore tantum, verum de ipſa qnoque terrae huius natura et propriis ipſi affectionibus acriter admodum dimicatum eſſe legimus, quam tamen litem recenſere magis, quam componere animus eſt. DIOSCORIDES [e] namque, Ochram leuiſſimam, omnino luteam, ſaturatam, non lapidoſam friabilem laudat, et MATTHIOLVS [f], qui commentaria in eum conſcripſit non contemnenda, terram eandem adducit, *quae in plumbi fodinis aureo colore reperitur, quam ob rem, qui rerum cauſſas perſcrutantur, arte etiam Ochram ex plumbo iſto conficere, quae coloris nitore foſſitiam ſuperat.* Notandum tamen, eum hoc loco de plumbi tantum Ochra diſſerere. PLINIVS Ochram ex Rubrica fieri, et factitiam terram, Rubricam ſcilicet exuſtam eſſe, aſſerit [g], dicit enim, *ex ea* (loquitur autem de Rubricae ſpeciebus) *fit Ochra, exuſta Rubrica in ollis nouis, luto circumlitis.* Contraria vero haec ratione explicanda eſſe THEOPHRASTVS docet, dum ita ſtatuit [h]: *Ex Ochra combuſta fit Rubrica, ſed peior. Cydiae inuentum hoc fuit, qui tabernae incendio id animaduertit, cum vidiſſet Ochram ſemiuſtam rubeſcere, ponunt enim in caminis ollulas nouas, luto circumlitas, quae, cum canduerint, excoquunt. Quo autem magis in caminis arſerint, eo nigriorem et carbonibus ſimilem efficiunt.* Recenſita haec THEOPHRASTI ſententia a plurimis fere aſſumta fuit. AGRICOLA enim [i] ſequentem Ochrae exhibet notam, quod, cum candeat, et aceto reſtinguatur, purpureum acquirat colorem, quod tamen in plurimis eius ſpeciebus et ſola ignis ope, et aſperſa aqua obtineri poteſt. BAIERVS [k] ſequentes Ochrae characteres adducit, quod luteo nimirum colore et virtute adſtringente conſpicua ſit, et igne in primis exuſta, ruborem contrahat.

Locus inter ea, ex PLINIO ſupra citatus, multos ſcriptorum confudit, quorum alii eius verbis inhaerent [l], alii contra eadem emendare tentant [m]. Cum vero Rubrica exuſta nunquam in Ochram veram, qualem nos aſſumimus, mutari poſſit, aut PLINIVS errorem commiſit, aut verba eius ſic legenda ſunt et ordinanda: *Fit, Ochra exuſta, Rubrica in ollis nouis luto circumlitis.* Vel: *et ea*, ſcilicet Rubrica, *fit Ochra exuſta in ollis nouis, luto circumlitis.* Qui horum verborum poſitus ipſum PLINII textum, non ita, vt SALMASII explicatio, inuertit, et rei naturae magis conuenire videtur.

FAL-

e) Lib. V cap. 99.
f) Comment. in h. l. pag. 933.
g) Hiſt. Nat. Lib. XXXV cap. 6.
h) Lib. de Lapid. pag. 11 ex Verſ. Forlandi.
i) De Natura Foſſil. Lib. II pag. 583.
k) In Oryctographia Norica cap. 2 pag. 14.
l) ISIDORVS HISPALENSIS Lib. XIX cap. 17, et CARDANVS de Subtilit. Lib. V, MERCATVS in Metalloth. Vatic. Arm. I cap. 16 pag. 19 magis adhuc errat, dum *vaſe fimo oblito* ponit.
m) Vid. SALMASII Plinian. Exercit. pag. 813: *In ſcriptis*, inquit, *libris ita legitur: Quoniam maxime ſorbentur picturis. Naſcitur autem et in ferrariis metallis, Ochra ex ea fit exuſta Rubrica, et porro lege et diſtingue: Quoniam maxime ſorbentur picturis. Naſcitur autem et in ferrariis metallis. Fit ex Ochra exuſta in ollis nouis, luto circumlitis.*

FALLOPIVS porro terram noſtram in natiuam et factitiam diſtinguit [n]. Factitiam veterum eam eſſe iudicat, quae ſecundum PLINII opinionem ex Rubrica conficiebatur, et quae hactenus a nobis fuſius tractata fuit, factitiam vero eam, quae a recentioribus in Germania ex plumbo confecta, recenſetur, duplicem eſſe ſtatuit, ſua tamen natura non diuerſam. Natiua ipſi quoque duplex eſt, quae non in metallis ſolum naſcitur, ſed etiam in propriis venis [o] deprehenditur.

Antea vero quam in vlteriori Ochrae conſideratione progrediamur, pauca de Sil veterum dicenda ſunt, cum illi ſub eo quoque vel Ochram ipſam, vel aliquam eius ſpeciem intellexiſſe videantur. Sil proprie limum nominari, in argenti et auri metallis natum, et Atticum optimum eſſe PLINIVS [p] habet, et alio loco illud [q] difficillime teri aſſerit. Antiquos praeter ea Sil ad politionem operum adhibuiſſe VITRVVIVS auctor eſt [r]. Nominatam hanc terram flauam eſſe, et cum Ochra valdopere conuenire, optime monet IMPERATVS [s]. Omnis enim vel argillacea, vel alius generis terra, Ochra admixta tincta, hoc nomine inſigniri potuit.

Sed relictis his, cum plura iam ſupra de Ochra dicta ſint, eo nunc animus dirigendus eſt, vt veram huius terrae ideam tradamus. Et hoc quidem multis obnoxium eſt difficultatibus, cum ex ipſa vocis origine praeter luteas vix aliae terrae ſub hoc nomine comprehendi debeant, licet luteus hicce color ita diuerſus reperiatur, vt aureum, flauum, croceum, pallide luteum, et alios varios intermedios complectatur, croci inſuper et calcis nomen, quo chemici in primis vtuntur, ambiguum admodum ſit, veterum denique nomina vaga, vt plurimum a coloribus mutuata, commode aſſumi et noua ratione explicari nequeant, aliud tandem nomen, quod terrae noſtrae conueniat, inueniri non poſſit, Ochrae vocabulum, quod diuturno iam vſu inualuit, retinere et accuratius definire placuit.

Acidas vitriolicas particulas in tractibus ſubterraneis, per montium rimas tranſeuntibus, ferri in primis et cupri mineras arrodere, earumque ramenta vel ſola vel aliis terreſtribus partibus iuncta ſibi admiſcere, et diuerſo inde modo diſpoſita reperiri, experientia docuit [t]. Vnde integri terrae tractus, metallorum coloribus, eorumque ſaepius ſolutionibus virideſcentibus, flaueſcentibus, coeruleſcentibus et rubris tinguntur, immo partes, ſpumidarum faecum inſtar (*Guhr*) e fiſſuris cuniculorum emer-

n) De Metallis ſeu Foſſilibus cap. 35 pag. 383.
o) Vid. AGRICOLA de Natura Foſſil. Lib. II pag. 583. De differentiis Ochrae quoque videatur ENCELIVS de Re Metallica cap. 20 pag. 118.
p) Hiſt. Nat. Lib. XXXIII cap. 12.
q) Loc. cit. cap. 13.
r) Vid. IMPERATVS Lib. IV cap. 25 pag. 121.
s) Lib. cit. cap. 5 pag. 107.
t) STAHLIVS in Spec. Beccheriano Part. I Sect. II pag. 183.

emergunt, vel alia et diuerſa prorſus facie ſeſe in venis et mineris oſtendunt.

Metallum igitur, per vitriolicum acidum ſolutum, arroſum, vel ſi mauis, deſtructum, quod ſub terrae tinctae ſpecie conſpicitur, Ochra dicitur [u]. Haec vero, quae abſolute nimis poſita eſſe videntur, vlteriorem explicationem poſtulant. De eo enim dubitandi adhuc locus ſupereſt, vtrum vera tantum quaecunque metalla, vel an non etiam ſemimetalla quaedem, vt minerae cobalti, cruſta rubella conſpicui, *Kobalt Beſchlag*, huc referri debeant [x]. Licet autem eorum ſententiam non prorſus reiiciam, qui latiorem Ochrae ſignificationem eam ob cauſſam ferendam eſſe ſtatuunt, quod in his aeque ac illis natura ſimili operetur modo; ferri tamen, cupri et forſitan plumbi mineras, tali modo arroſas, et terrae ſpecie conſpicuas, hoc nomine, vt proprio, inſigniendas eſſe putauerim. Nec illae terrae, quas aquae medicatae vel ſalia alia, chemica arte tractata, in fundum deponunt, pro Ochris habendae ſunt, cum illae potius, in quibus ferri vel cupri arroſi colores conſpiciuntur, prae reliquis hanc appellationem mereantur.

Ex omnibus hiſce, quae huc uſque a nobis diſputata fuere, accurate inter ſe collatis, certiſſimum eſſe videtur, eas Ochras, quae tantum metalli arroſi vel exſoluti continent, vt igne illud inde elici iterum poſſit, aliis potius regni mineralis claſſibus, quam terris annumerandas eſſe. Cum interim verae non nunquam terrae ab ipſis Ochris ſuos ſaepe colores mutuentur [y], ita, vt illae, quibus pictores vtuntur, Ochrae ad Bolos vel Argillas pertineant, in eo me vituperandum non eſſe exiſtimo, quod ſingulas harum terrarum ſpecies, debito vnamquamque loco inſerere operam dederim.

Ea vero, quae nunc de ferri Ochra allata fuerunt, eodem forte modo de Rubrica aſſeri potuiſſent, quippe quae colorem quoque ſuum a ferro accipit [z], ſed cum ferri particulae magna in copia ipſi non inſint, et additamento tantum facto [a] aliqua et minor quidem ferri quantitas educi poſſit, ob duritiem inſuper Rubrica in aqua non diſſoluatur, locum illi inter terras dubias, inter Graphia nimirum, aſſignare nulli dubitauimus.

MINERAE COMMINVTAE, *Mulm* metallifoſſoribus dictae, non raro metalla eorumque mineras pollinis forma nobis ſiſtunt, adeo vt terras ſaepius aemulari videantur. Ita v. g. argentum, minera in primis eius

u) Vid. CRAMERI Element. Art. Docimaſt. Part. I pag. 259, 267.

x) Has quoque Ochris accenſet LINNAEVS in Syſtem. Nat. edit. Stockholm. 1748 pag. 205.

y) CRAMER. loc. cit. pag. 260 Ochram impuram vbique in Margis, Argillis et Bolis inueniri aſſerit.

z) CRAMER. loc. cit.

a) STAHLIVS in Opuſc. chemico-phyſic. medic. pag. 368.

eius vitrea vel nigra, pollinis inſtar reperta, *mulmichtes Silber* appellatur, ob mineras nimirum eas, varias ob cauſſas friabiles factas, quae aquarum impetu abripiuntur, et in tales terris ſimiles maſſas concreſcunt. Sed, cum iam ſupra ea, quae has inter et veras terras obſeruatur diuerſitas, fuſe ſatis fuerit indicata [b], de iis in praeſenti, plura vt differamus, opus non eſt, tunc demum illas adducturi, ſi terrae quaedam ab earum particulis inquinatae occurrant, vt Argilla venarum: vera namque metalla, aurum in primis et argentum, quarum praeſentiam non nulli in luteis, fuſcis et albis terris aſſumſerunt, quod per docimaſticum ſic dictum examen ea probari non poſſit, figmentis tantum annumeranda eſſe arbitramur.

Eodem, quo metallicas particulas terris interſperſas conſiderauimus, modo, vel ſulphur verum, vel bitumen, vel aliae flammam facile concipientes partes terrarum interſtitiis inhaerentes, tractandae ſunt. Glebas itaque illas, quae copiam inſignem harum particularum continent, ita, vt ex illis vel ſulphur, vel bitumen verum educi poſſit, ad terras ſpurias ſiue potius inflammabilia ſic dicta corpora remittimus, licet ſaepius terrarum nomine exhibeantur: quodſi vero terrae inueniantur, quae quasdam tantum particulas inflammabiles contineant, et praeter ea verae cuiuſdam terrae characterem exprimant, illas, vt ordo poſtulat, in ſpecierum enumeratione recenſere non dubitauimus.

In genere monendum eſſe autumo, dicta haec corpora, quatenus ad naturam terrae accedere videntur, probe a ſe inuicem diſtinguenda eſſe. Alia enim flammam facile concipiunt et alunt, ſulphureae inde nominatae terrae, alia, quae inflammabile olim obtinuerunt principium, quod vero nunc diſſipatum, obſcure fuſcum vel nigricantem in iis reliquit colorem, a quo tinctoriae ſiue Vmbrae appellantur, alia, vt priora, inflammabilia quidem ſunt, ipſa tamen eorum haecce proprietas non a minerali ſolum principio pendet, ſed illi ſimul, quae a vegetabilibus accedit, materiei adſcribenda eſt, vnde caeſpitoſae ſiue Turfum vocantur. Non equidem nego, corpora huc pertinentia, eorum eſſentiam ſi ſpectes, parum a ſe inuicem differre, ita, vt iure quodam adſtrui poſſet, ea vel nulla diſtinctione opus habere, vel ſi diſtingui debeant, plures diſtinctiones admittere: cum vero plenius eorum naturam declarare fuſiori in praeſenti ratione non liceat, pauca tantum et potiora, quae operi huic inſeri poſſunt, momenta, accuratius paulo recenſeri poſſe putaui, ſi communi illi et vbiuis receptae eorum diſtinctioni inſiſterem.

SVLPHVREAE TERRAE ſunt, quae vel ſulphur verum, quod ex acido vitriolico et pingui ſiue oleoſo principio componitur, vel alias in-

b) Vid. ſupra pag. 24, 25, 26

inflammabiles partes, ſiue phlogiſton, eminentiori gradu continent. Inflammabiles partes, ſi prima earum elementa curatius rimari velis, ex regno minerali originem ducunt, ex eo ad vegetabilia et animalia corpora tranſeunt, reſolutis deinde iisdem, ab aëre, aqua et terra recipiuntur, et ex hiſce ad minerale regnum denuo ablegantur. Terrae, quae verum ſulphur continent, colore gryſeo, cinereo vel flaueſcente conſpicuae ſunt, ipſa earum textura friabilis, et pondus, in ratione ad molem, exiguum eſt. In non nullis, ſi accenduntur, ſulphuri propria flamma, coerulea nimirum, apparet, ipſa deinde ſublimatio et ſolutio cum lixiuio alcalino inſtituta, ſulphureum principium adeſſe docet. In aliis accenſis odor grauis, ſulphur quidem, ſed inuolutum nimis prodit, quales ſunt terrae bituminoſae, quae ſaepius carbones foſſiles in ſe continent, haud raro iis ſimillimae inueniuntur.

Suſceptae huic de terris ſulphureis diſquiſitioni, quaedam de Ampelitide terra veterum, vt adiungamus, rei ratio exigit. Illa enim PLINIO teſte [c], *bitumini eſt ſimillima. Experimentum eius, ſi cerae modo accepto oleo liqueſcat, et ſi nigricans colos maneat toſtae.* In Cilicia terram eſſe, quae coctione lenteſcit, qua vites loco viſci obliniunt, THEOPHRASTVS habet [d], DIOSCORIDES [e], qui terram hanc in Seleucia Syriae naſci aſſerit, et Ampelitidem eam ſiue Pharmacitin appellat, nigram in primis laudat, piceae longos carbones referentem, modice aſſuloſam, aequabili ſplendore, quae detrita accepto oleo ſtatim eliqueſcit, vitioſa vero ipſi eſt ea, quae candida, in liquorem non reſoluitur. Ex quibus ſignis haud infelici coniectura colligit MATTHIOLVS [f], Ampelitidem terram parum a gagate lapide, ſiue a carbone foſſili differre. Ampelitis vero de vitibus vocatur, non quod caeteris terris ad alendas vites ſit praeſtantior, ſed quod vitibus illita vermes in illis naſcentes perimat [g]. Pharmacitis vero dicta fuit, quod medicam praeſtet virtutem [h]. Terra haec ab omnibus, vt nigra et bituminoſa deſcribitur, et ad inflammabiles iure ſuo pertinet, licet, id quod POMET aſſerit [i], ſulphure vero et ſale nitroſo non ſcateat, inſignem tamen bituminis copiam obtinet. Quam etiam ob cauſſam IONSTONVS [k] eandem *terreae limoſitati* admiſceri monet, in lutum vero ab aqua effuſa reſolui non poſſe concedit.

VMBRA, Germ. *Vmber*, Vmbrica ſeu Vmbria terra quoque dicta fuit. CHARLETONVS eius, de Creta differens, mentionem facit [l], Vmbriam

c) Hiſt. Nat. Lib. XXXV cap. 16.
d) De Lapidibus pag. 10.
e) Lib. V cap. 172.
f) Comment. ad loc. cit pag. 968, ſed non conſentire videtur I. ANT. SARRACENVS in Scholiis ad loc. cit. Vide quoque MERCATI Metalloth. Vatican. Arm. V cap. 8 pag. 87.
g) GALENVS Simpl. Medic. Lib. IX cap. 1.
h) MATTHIOLVS loc. cit. pag. 967. PLINIVS loc. cit.
i) Hiſtoire de Drogues Part. III Lib. III cap. 6 pag. 87.
k) Notit. Regn. Miner. Tit. II cap. 3 pag. 31.
l) De Foſſil. Gener. pag. 2.

briam vero et Vmbricam diſtinguere videtur, quamuis notas non ſatis diſtinctas et euidentes proponat. Ab Vmbria, Italiae regione, quae nunc Ducatus Spoletanus dicitur, et vbi copioſe eruitur, vel ab vmbra, quam pictores hocce nigricantis vel obſcure fuſci coloris pigmento iconibus inducere ſolent, nomen traxiſſe videtur. POMET[m] hanc terram teneram, friabilem, vel rutilantem, vel gryſeam eſſe affirmat, priorem alteri praeferendam eſſe iudicans. Nulla igitur ratione vſitata recentioribus vmbra cum Creta Vmbrica PLINII[n] comparari poteſt, quippe *quae veſtibus poliendis aſſumebatur*, et Cimoliae terrae, ſiue Smectidis, ſpecies eſſe videtur.

Noſtra quidem terra vt plurimum in amplis ſtratis poſita deprehenditur, in primis iis in locis, vbi arbores olim aliaque vegetabilia, in magnos aceruos congeſta, lutoſa vel calcarea terra admiſta, varias easque peculiares ſubeunt mutationes. Interueniens namque et ſtagnans aqua putreſcit, et variis deinde modis ſubducta iterum corruptam et exſiccatam maſſam relinquit. Ex quo fit, vt vitriolica vel martialis materia, cuius praeſentiam pyritis in hiſce locis prouentus demonſtrat, euoluatur, et nouum inflammabile et metallicum forte corpus generetur, ita tamen, vt bituminoſa, ſpiſſa et lenteſcente eius parte, ob nimiam exſiccationem euaporata, terra ſicca, friabilis et omni lentore deſtituta reperiatur. Quod quidem eo facilius contingere poteſt, cum ſabulum, quod non raro talia vegetabilium ſtrata tegit, inſignem caloris gradum foueat, qui terram inſimul ſubtus poſitam maxime exſiccare valet.

Ex omnibus hiſce patet, vegetabilia potiſſimum, neque putrefacta quidem, neque combuſta, ſingulari tamen modo mutata, huius terrae baſin conſtituere, et alia, terrarum in primis ſpecies, iis interſperſa eſſe.

Hae terrae, attento examini ſi ſubiiciuntur, aſperſam aquae guttulam, vel prorſus non, vel difficulter abſorbent, hoc ipſum vero experimentum, cum non raro multis obnoxium ſit fallaciis, alterum illi, vt ſubiungatur, neceſſe eſt. Terra nimirum, igne tractata, candentibus ſi prunis imponitur, grauem ſparſit odorem, et contentum in ſe inflammabile principium manifeſtat, vel, ſi per deſtillationem diſquiratur, bituminoſi quidquam obtinetur, vel retortae collo, aut ſulphur verum, aut conueniens illi inflammabile adhaeret. In examine vero hoc chemico inſignis quaedam diſcrepantia notari meretur, in aliis enim maior, in aliis minor partium inflammabilium copia deprehenditur, in quibusdam hae partes, vt nimis diſperſae, prorſus abeſſe videntur.

TVRFVM,

m) Loc. cit. Lib. V cap. 7 pag. 114.

n) Hiſt. Nat. Lib. XXXV cap. 17.

TVRFVM, seu Turfa, terra caespitosa, siue caespes combustilis, Germanis *Turff*, a praecedenti terra parum etsi differat, plurimi interim scriptores, an ad vegetabile, an ad minerale regnum referri debeat, vt haesitarent, effecit. Haec ipsa vero, post MART. SCHOOCKIVM [o], CAROL. PATINVM [p], et ROSIN. LENTILIVM [q], cum a IO. HARTM. DEGNERO [r] potissimum accurate satis descripta inueniatur, fusius ab aliis explicata repetere nolo, sed in eo tantum ero occupatus, vt propriam terrae nostrae indolem quodam modo describam.

Turfum temperatioribus et frigidioribus praesertim in regionibus, earumque paludosis locis deprehenditur, dum aquae stagnantes, omnia corpora vegetabilia et mineralia, quaecunque demum in venas seu strata turfaceae terrae congesta fuerunt, singulari modo mutant et inflammabilia reddunt. Vnguinosi quid aquae marinae inesse, et peculiare bitumen amaritiem eius, quae omni etiam sale educto remanet, efficere MARSILIVS [s] euictum dedit. Non aqua autem marina tantum, sed reliquae etiam stagnantes, dulces sic dictae, aquae, dum putrescunt, vnguinosi quidquam exhibent, quod ad inflammabilis prouentum symbolam quasi suam, eamque primariam, confert, et princeps quidem caussa est, quae congesta in stratis turfaceis vegetabilia aeque ac mineralia ad inflammabilem indolem disponit. Negare interim non sustinemus, optimas Turfi glebas magnam mineralis bituminis copiam sibi admistam habere.

In vilioribus Turfi speciebus, vegetabilia, vt lignum fossile [t], arundinis aliarumque plantarum palustrium et repentium radices, hic magis intricatae, praecipuam earum partem constituunt, quibus praeter ea in aliis stratis calcareae, in aliis lutosae et pingues terrae adiunguntur, quae, cum reliquas, Turfum constituentes particulas, arctius nectant, id efficiunt, vt inflammabile non nimis cito deflagret et dissipetur. Martiales tandem vitriolicae, et aliae forte ex regno minerali prouenientes partes, vt in plurimis aliis, ita in nostra quoque terra non desunt, diuerso tamen modo variis in locis illis admiscentur.

Innumeras ferme Turfi varietates esse, ex modo dictis haud operose colligi potest; ex quibus illae praestantiores sunt reliquis, quarum superius stratum molle, leue et porosum est, et vegetabilium magis quam bituminis indolem exhibet, inferius vero durum, densum et ponderosum, mineralis

o) Tract. de Turfis seu Cespitibus bituminosis, Groening. 1658, 12.
p) Traité des Turbes combustibles, Paris 1663, 4.
q) Obseruatio de Turfis, seu Cespitibus, foco Batauorum instruendo seruientibus, in Ephemerid. Nat. Curios. Vol. I Obs. 115.
r) Diss. Physica de Turfis, Trai. ad Rhen. 1729, 8.
s) Histoire physique de la Mer, à Amsterd. 1725 fol. Part. I pag. 7, 11, Part. II pag. 22, 26, 37.
t) Lignum fossile Vmbriae WORMIVS in Museo Lib. II cap. 16 pag. 169 describit.

mineralis magis ſubſtantiae eſſe deprehenditur. Illa igitur, quam PLINIVS [u] deſcribit, terra, dum de Cauchis, ſeptentrionali populo, ita diſſerit: *captum manibus lutum, ventis magis, quam ſole ſiccantes, terra cibos et rigentia ſeptentrione viſcera ſua vrunt*, cum parnm terrae genuinae, in ſignis vero inflammabilis principii copia, illi ineſſe videatur, forte ad noſtrum genus referri poteſt.

Limites inter lapides et terras vix conſtitui poſſe, ſupra [x] iam iam monuimus. Licet vero, vt eo felicius in opere peragendo progrederemur, omne id, quod aquam inquinat, terram, quod eam puram relinquit, lapidem appellauerimus, ſaepius tamen corpora, ex omnibus propriis iisdem notis terrae nomine inſignienda, adeo compacta ſunt, vt aquam difficulter in interſtitia ſua admittant. Quam etiam ob cauſſam terras in veras et dubias diſtinguendas eſſe poſuimus. Sed, cum et dubiae propius ad terras accedant, et ſummis terrarum generibus annumerandae ſint, pauca nunc de terrarum ad lapides tranſitu monenda eſſe duximus, eum in finem, vt omnis terrarum ad reliquas mineralium claſſes relatio dilucidius paulo perſpiciatur, ita rem noſtram acturi, vt primo Arenas tanquam comminutas lapidum partes, denſas deinde ſeu ipſos lapides annotemus.

ARENA ex lapidibus comminutis, eodem fere modo vt terrae plurimae, oritur. Sic enim ARISTOTELES [y] arenae ortum deſcribit, quod *ſit ſaxum in parua minimaque perfractum, quod ictu fluminum frangitur.* Ipſa vero lapidum differentia facit, vt alii in maiores, alii in minores et tactu vix diſtinguendas partes diffringantur, vnde certa illa orta eſſe videtur differentia, vt Arenam, per ſe conſideratam, in glaream, arenam et ſabulum diſtinguant, glareae craſſiores, arenae tenuiores hiſce, et ſabulo minimas partes adſcribendo. Id, quod in omni fere diſtinctione contingit, hic quoque obſeruari meretur, adducta nimirum nomina a non nullis promiſcue vſurpari. Sabuli potiſſimum tanta eſt cum terris conuenientia, vt multas pollinis terreſtris partes contineat. Nec illa, a loco deſumta Arenae diſtinctio, in foſſilem, fluuiatilem, et marinam a MERCATO [z] propoſita, commode adhiberi poteſt, eam in primis ob rationem, quod minimae lapidum moleculae, vndarum impetu leuiſſimis partibus liberatae, varie in variis locis congeruntur, et vel maris et fluminum littora, vel arenoſa inter terras decurrentia ſtrata efficiunt. His igitur cauſſis permoti, omiſſis omnibus diſtinctionibus illas tantum Arenae ſpecies indicabimus, quae ſubtilitate ſua ad terras proxime accedere videntur.

LAPI-

u) Hiſt. Nat. Lib. XVI cap. 1.
x) Pag. 20, 21, 22.
y) In Problem. Sect. 33.
z) Metalloth. Vatic. Arm. I cap. 21 pag. 21.

LAPIDOSAE terrae eodem fere modo conſiderandae ſunt. Appellamus vero hoc nomine concretiones quasdam ſingulares, quae ad vera lapidum genera referri nequeunt, et terris inſuper denſiores inueniuntur. Variae enim terrae, temporis ſucceſſu, ſubtiliſſimo, qnod eas coniungit, glutine indurato coaleſcunt, et per varias concurrentes cauſſas ſenſim ſenſimque indurantur, ita, vt curioſis naturae indagatoribus tales ſaepius glebae offerantur, quae in intermedio quaſi ſtatu deprehenſae, mutationis corporum naturalium euidentia ſatis oſtendunt exempla, quae itaque in parte hiſtorica notanda tantum, in phyſica vero curatius paulo pertractanda ſunt.

Haec, quae in pertractatis nunc terris ſpuriis de terrenorum corporum ad alia mineralium genera tranſitu monuimus, ab inſtituto noſtro non prorſus aliena eſſe videntur, in primis cum haud paucos futuros praeuideamus, qui non nulla harum terrarum genera aut ad terras veras, aut ad alia regni mineralis capita referenda eſſe putabunt, idque eo magis, quod certi, qui naturae producta accurate ſatis definiunt, limites determinari vix poſſunt, ipſa potius naturalia corpora gradu quaſi ſibi inuicem ſuccedere videntur. Rebus his ita comparatis, cuilibet, qui integrum minerarum ſyſtema proponit, liberum relinquimus iudicium, ſi corpora quaedam ad terras reiicere, vel in aliis potius doctrinae capitibus enumerare velit.

CAPVT

CAP. III.

DE TERRARVM SPECIEBVS.

Quanquam in ſimpliciſſima terrarum compoſitione et indole diſquirenda, plures, quam quas ſuperius in generum deſcriptione propoſuimus, ideas, ex certis et eſſentialibus, ſic dictis, notis eruere vix valeamus, nondum tamen eo iam peruenimus, vt diuerſae tantum terrarum varietates proponi nunc poſſint. In tanto namque tamque inſigni terrarum, quae nobis ordinandae reſtant, numero, varias adhuc et accidentales deprehendimus differentias, quae, vt alias terras inter ſpecies referamus, alias vero varietatibus tantum annumeremus, efficiunt.

Facile quidem concedimus, deſumtam a loco natali differentiam, ad quam multi in definiendis terrarum ſpeciebus tantum reſpicere ſolent, nihil valere: praeditae enim iisdem notis terrae, ex diuerſis admodum locis ſi eruuntur, vnico atque eidem generi et ſpeciei annumerandae ſunt, nec ad varietates commode referri poſſunt, ſed diuerſa tantum indiuidua ſiſtunt. Attamen, ſi in diuerſis locis particularum terrenarum diſpoſitio ita mutatur, vt illa, characteribus ſenſu cognoſcendis, deſcribi queat, tunc gleba quidem, ſi parum ab alia differt, ad diſcrepantes vnius ſpeciei varietates, ſi vero differentia magis conſpicua inueniatur, ad ſpecies diuerſas vnius generis ableganda erit.

Illas vero glebas prae reliquis diuerſis ſpeciebus annumerandas eſſe putauerim, quae, cum quoad maximam ſui partem illa inprimis terra con-

ſtent, cuius generici dicti characteres expoſiti fuerunt, vel aliam praeter ea terram, vel alias regni mineralis particulas admixtas habent. Haec enim differentia, quae ex characteribus, viſu ſaepius vel aliis ſenſibus cognoſcendis, patet, et in medico aeque ac domeſtico terrarum vſu attendenda eſt, eo me commouere non potuit, vt dictis hiſce differentiis inter varietates tantum locum relinquerem, praeſertim, cum admixta haec peregrina non tantum odorem et ſaporem, ſed terrarum quoque colorem mutent, et differentiam ſpeciebus diſtinguendis aptam exhibeant.

Non equidem ignoro, quam fallaces hae notae in aliis naturae regnis inuentae fuerint, et lubens largior, in regno minerali et in terris praecipue eosdem ita ſaepius fallere, vt raro ad ſpecies, magis vero ad varietates deſcribendas adhiberi debeant. Ex omnibus his colorum in primis differentias, vt in animalium integumentis et florum petalis, ita in terris et mineralibus maxime variare obſeruamus. Licet igitur ab accuratiorum hiſtoriae naturalis indagatorum norma hac in re recedere nolim, in eo tamen omnes mecum conſentient, diuerſos plane et admixtarum partium diſcrepantiam indicantes colores in veris ſpeciebus, gradu vero tantum differentes in varietatibus determinandis inſignem afferre vtilitatem.

Non vero diuerſae tantum terrarum compoſitiones concretionesque, ſed gradu quoque diuerſi generum characteres ſpeciebus ſtabiliendis commodam dabunt occaſionem. Quis enim non perſpicit, duas glebas, ad vnum idemque genus pertinentes, ob ſimpliciorem terrarum naturam ſimiles prorſus vix eſſe poſſe. Sic enim terra, tactu pinguis, vel valde pinguis et lubrica eſt, vel accuratiori examine inſtituto, inter pingues tantum locum meretur, vt in Argillis poſtea apparebit. Omnes igitur haſce terras, cum gradu euidenter differant, et in vſu quoque oeconomico eo reſpiciendum ſit, ad vnicam tantum ſpeciem referre non poſſum. Iuvat hanc diuerſarum ſpecierum diſpoſitionem ipſa particularum admixtarum differentia, quae huius potiſſimum diſtinctionis fundamentum eſt, licet non ſemper tam clare, vt in antecedenti exemplo, appareat, ſed tantum obſcure ſaepius cognoſcatur. Interim et hic eadem, vt in colorum differentia determinanda ratione, diuerſae admodum glebae ſpeciebus conſtituendis, parum a ſe inuicem diſcrepantes, varietatibus ſubordinandis inſeruient.

Eo vero magis ad gradu diſtantes haſce differentias, accuratius conſiderandas, commoti fuimus, quo maior terrarum crudarum copia nobis examinanda tradita fuit, nullumque praeter ea damnum in hiſtoricam terrarum cognitionem redundat, ſi terram quandam inter diuerſas recenſeamus

ſeamus ſpecies, quam alius naturae ſcrutator ſubordinatis tantum varietatibus inſerendam eſſe autumat, vti nulla certe noxa terris noſtris inde extimeſcenda eſſet, ſi quis inferiora a nobis conſtituta genera ad ſpecies interdum proximi generis reduceret. Cum enim limites in omnibus corporibus naturalibus non ſatis certi proponi queant, hic diſſenſus, in aliis quoque hiſtoriae naturalis partibus non facile euitandus, in ſimpliciſſimo quaſi corporum naturalium genere, in terris nimirum, nec euitari nec adeo reprehendi poterit.

Siſtimus itaque ampliſſimum terrarum Regii Muſei catalogum, nullam enim earum annotauimus, quae non in eodem, hoc, quo nunc proponitur, ordine diſpoſita inueniatur. Cum enim in glebis, ſemel iterumque examinatis, errores euitari vix potuiſſe, libere profiteri non erubeſcamus, longe certe facilius hallucinari potuiſſemus, ſi alias, ab hiſtoriae naturalis ſcriptoribus imperfecte ſaepius deſcriptas, terras inſerere voluiſſemus. In quarto deinde, quod terras ſigillatas exhibet, capite multae quidem occurrunt terrae, quas in hoc quoque ad ſua quamque genera, ſpecies et varietates referre potuiſſemus, ſed cum plurimae earum lotae ſint, vel ad ſigillum ſuſcipiendum praeparatae reperiantur, incertis ſignis hac quoque in re inhaerere noluimus, ſed noſtra de harum terrarum natura ſententiam, in ſequenti capite commodius, vt opinamur, proponi poſſe iudicauimus.

Nec de exiguo admodum crudarum glebarum numero conqueri facile quis poterit, cum certiſſime ſim conuictus, in nullo hactenus rerum naturalium muſeo tantam crudarum glebarum copiam deprehendi, quantam nunc comparatam exhibemus. Et licet ab iis, qui in terrarum ſcrutinio ſollicite verſantur, non nullas adhuc et a noſtris ex parte diſcrepantes ſpecies commemorari poſſe lubenter concedamus, maxime tamen dubitamus, an tales glebae, quae generum diſpoſitionem confundunt, immo plane euertunt, in medium produci poſſint, ita, vt noſtra ſpecierum deſignatio, niſi methodus ipſa diſplicuerit, terris, in muſeis ordinandis, vt norma inſeruire queat.

Sequens vero erit terrarum, in hoc capite proponendarum, ratio, vt generis nomen ex praecedente capite repetatur, et earum, quae ad hoc genus pertinent, ſpecierum deſcriptio exhibeatur. Singulas nimirum ſpecies praefixis numeris maioribus indicabimus, varietates vero, quae occurrunt, numeris minoribus inſignitas addemus, in omnibus deinde notas in glebis noſtris conſpicuas, et in denominatione expreſſas declarabimus, et ſynonyma ab auctoribus adducta adiungemus. Obſervationes

vationes tandem, quas ſpeciebus et varietatibus interdum ſubnectam, ea tradent, quae de ſitu, geneſi, inueniendi modo atque occaſione, viribus medicis et aliis, terram concernentibus, momentis, vel ex meis obſervationibus cognoui, vel in aliis ſcriptoribus notata inueni. Haec omnia vero, lectorem ad ipſos auctorum libros, vt fontes, ablegaturus, breviter tantum indicabo, ſententias denique atque opiniones, ab aliis aſſumtas et defenſas, ne ipſa ampla oratione moleſtus ſim, dirimendas atque diiudicandas mihi non ſumam, ſed, quae circa phyſicam aeque ac medicam terrarum cognitionem monenda erunt, ſeparatim tradam, et additis rationibus confirmare tentabo.

De natali terrarum loco adhuc animaduertendum eſt, eum, et inſigniter quidem variare, ita, vt ſaepius per aliquot annorum, quin immo per ſeculorum decurſum, terrarum, olim quibusdam in locis viſa, ſtrata, vel prorſus deficiant, vel alia noua, vel leuiter tantum mutata appareant. Haec vero, aliaque plura, cum repetito examini ſubiici non poſſint, id tantum ex iis indicare debui, quae in ſubiectis diſquiſitioni terris ipſemet obſeruaui, vel auctores iam olim propoſuerunt, vel quae recentioribus temporibus ſcriptae amicorum litterae me docuerunt.

MOROCHTVS.

CAP. II. GEN. I.

I. Morochtus leuis, cruſtoſus, poroſus, cum acidis effervescens.

Haec prima ſpecies vera et vnica eſſe videtur, quae ad genus noſtrum iure quodam referri meretur. Eſt vero illa lac lunae verum officinarum. Medulla ſaxorum, quae ſtenomarga AGRICOLAE[a]. Agaricum minerale IMPERATI[b]. Particulae terrae calcareae cum aqua per rimas et poros lapidum ad cryptarum ſuperficiem ducuntur, ibique omni aqua expulſa leuiſſime cohaerent, ita, vt haec noſtra terra ex duriori lapide in ſpeluncis propullulare quaſi videatur: hinc cruſtoſam, poroſam, ſpumoſam vel aliam figuram obtinet, prout cryptarum parietes vel aliae conditiones eandem definiunt. Sequentes eius varietates exhibemus:

I. Morochtus ſpumoſus et cruſtoſus.

Vocatur a GESNERO[c] lac lunare ex ſpeluncis montis fracti, nomine vero lactis lunae a WAGNERO[d] hoc modo deſcribitur: *Materia eſt alba, fungoſa, leuiſſima, vt ſatis magna moles exiguum quid ponderet, inſipida, tenera ac fluida, dum in commiſſuris ſeu fiſſuris ſaxorum adhuc nidulatur, exſiccata autem eſt friabilis. In ſpelunca humida rupis excelſae, quae eſt in montis fracti ſeu Pilati ſupremo cacumine Alpenacum verſus, quae ab incolis* das Monloch *appellatur, reperitur.*

Fuſiori

a) De Nat. Foſſil. Lib. II pag. 578.
b) Hiſt. Nat. Lib. V cap. 41 pag. 167.
c) In Deſcript. Mont. Fract. pag. 66. et de Figurat. Lapidib. pag. 50.
d) Hiſt. Nat. Heluet. pag. 340.

Fusiori oratione hanc terram prosecutus est CAROL. NIC. LANGIVS [e], cuius summa tantum capita, ob rei dignitatem notare hic liceat: Mons fractus, ob adiacentem famosum Pilati lacum mons Pilati quoque dictus, in ditione Subsyluaniae positus reperitur, et ob cauernam, quae, cum lacte lunae abundet, lunaris, *das Monloch* nominatur, maxime celebris est. Haec cauerna, in praerupto angulo, quem duae altissimae rupes mox infra summum montis cacumen efformant, locum obtinuit, amplus satis in eam patet aditus, qui in spatiosam deinde caueam terminatur. Interna cauernae superficies ab omni parte, et plurimis quidem in locis ad pedis vnius crassitiem, lacte lunae obducta est, quae, sicut constanti semper aquarum lapsu absumitur, ita perpetua nouae materiae destillatione reparatur. Citatus insuper auctor in hac aeque ac alia cauerna obseruauit, lac lunae, ostio cauernae proximum aerique magis expositum, facillime iterum lapidis induere naturam, elegantissimasque sistere figuras. Hoc, an a nitro aereo, quae auctoris est sententia, deriuandum sit, vlteriori aliorum disquisitioni relinquimus; solam forsan exsiccationem ad phaenomenon hoc declarandum allegari posse existimantes.

II. Morochtus porosus, cochleis refertus, Deckweilienſis, ditionis Tigurinae, nomine terrae calcareae niueae nobis transmissus.

III. Morochtus porosus, prorsus niueus, et purissimus, ex incerto loco.
Nihil talcosi continet, licet ad terras talcosas, infra describendas, ob albedinem et splendorem nitentem propius paulo accedere videatur.

IV. Morochtus porosus, in cauis pororum ochraceo colore insignitus.
α) Lac lunae Stockhornii in ditione Basilienſi repertum GESNERI [f].
Est substantia lacti lunae quoad omnes eius conditiones simillima, sed pori glebae copiosi, Ochrae colore tinguntur. Cum hac gleba conueniunt:
β) Morochtus siue lac lunae ex Italia missum.
γ) Morochtus seu lac lunae Eperiense ex Hungaria.

V. Morochtus spumosus et crustosus, tactu asperior, ex speluncis montium Valesiae.

II. Morochtus globulosus, crustosus et ponderosus, cum acidis efferuescens.

Glebae hae crustis obductae, instar aetitis et volutando quasi natae esse videntur, compactae quidem sunt et lapidi similes, in terram tamen nostram tritu facile resolui possunt.

I. Morochtus, nomine Margae crustosae et globulosae Iauorienſis, traditus.
Crustae diffractae cum omnibus acidis efferuescunt, spiritu nitri vero, veluti sal aquae iniectum, penitus dissoluuntur.

II. Gleba dura, compacta, sistens globi irregularis, per medium dissecti, vnam partem, in cuius medio est terra compacta alba, in cinereum vergens colorem, quae ad Lithomargae naturam accedit, illa vero, quae exterius superinducta est crusta, vt mollioris substantiae, Morochti naturam ostendit.

III. Gleba irregularis, pallida, cum acidis efferuescens, lapidosa, nomine osteocollae ex agro Tigurino, prope Silam posito, missa.
Haec ex partibus globosis quasi coalita esse videtur, si vero quis hanc speciem post osteocollas inferius ponere vellet, nos quoque contradicentes non esset habiturus.

III. Mo-

e) In Idea Hist. Nat. Lap. Figur. Heluet. cap. 3 extat in Misc. Nat. Curios. Dec. III Ann. 9 et 10. Append. p. 210 sqq. Conf. etiam SCHEUCHZERI *Natur-Geschichte der Schweitz I Theil* p. 15. *II Theil* p. 183.

f) De Lapid. Figur. p. 50.

III. Morochtus albus, ponderoſus, cum acidis efferueſcens et friabilis.

* Terra Anglica alba, vulgo dicta, poliendo argento apta, forte iam lota. Hanc plumbum continere, primo intuitu ſuſpicabamur, inſtituta vero experimenta eius praeſentiam non declararunt.

IV. Morochtus cylindraceus, arenoſus, cum acidis effervescens.

Hoc nomine nobis venit oſteocolla officinarum [g]. Vario quidem et diuerſo modo huius terrae concretiones diſpoſitae conſpiciuntur, ita, vt vel magis vel minus ramoſae inueniantur, vel, vt haec terra lapidoſae ſubſtantiae meditullium occupet, vel exteriori tantum illius ſuperficiei adhaereat, vel ſola denique terra in cylindri formam compacta deprehendatur: ſed cum omnes hae differentiae accidentales ſint, ex permultis oſteocollis optimas tantum et ſpecioſas adducturi ſumus.

I. Oſteocolla Maslenſis, quae foſſile arboreſcens Masleaſe DAV. LEONH. HERMANNI [h].

α) Gleba elegans, craſſa, nucleum fungoſum, a radice tuſſilaginis forte prouenientem, continens, terra copioſa, et cruſta denſa lapidea, arenoſa, tuberculata inducta.

β) Gleba minor, ex duabus partibus coalita, praecedenti ſimilis. Additae ſunt:

1. membrana et
2. medulla huius oſteocollae, partes ſcilicet radicis exſiccatae, quae ibidem forte inuentae fuerunt.

γ) Glebae quaedam, quoad totam earundem ſubſtantiam arenoſae admodum, cruſta vix diſtinguenda conſpicuae.

δ) Glebae duae, in quibus terrae appoſitio et cruſtarum teneriorum, Ochra leuiter tinctarum, luculenter ſatis obſeruari poteſt.

ε) Huc refero glebam, quae cum acidis non efferueſcit, et RIVINO oſteocolla Maslenſis vitrificata dicta fuit.

Siſtit cylindrum irregularem atque depreſſum, cuius cauum, quod igne mutata fuit gleba, intus cruſta vitrea obductum deprehenditur, exterius cruſta arenoſa adhaeret.

II. Oſteocolla Leocenſis HELWINGII [i].

Haec nucleo vegetabili deſtituitur, caeterum ſimilis I. α.

III. Oſteocolla Stolpenſis ex Boruſſia.

Cruſta lapidoſa interius et terra noſtra et nucleo vegetabili repleta eſt, exterius vero copioſam terram adhaerentem habet. Eruitur dicto loco ex monte arenoſo, et mox ramoſa, mox non ramoſa deprehenditur.

* Gleba denſa, puriorem Morochtum ſiſtens.

Scaturiunt enim prope montem aquae, quae hanc ſimul terram albam, teneram, a ſabulo depuratam emittunt.

IV. Oſteocolla Nucerana, ſiue de Nocera, ex Italia ad nos translata.

Haec longe purior, non adeo arenoſa eſt, et cylindros compactos albos, in ſuperficie tuberculatos exhibet. Praeter hos, vt in praecedenti, accepimus

* terram compactam albam puriorem, quae vel a natura ita producta, vel lota eſt.

In

g) Vid. ſupra Cap. II de Oſteocolla p. 45.
h) Maslographia Part. II cap. 3 p. 189.
i) In Lithograph. Angerburgica p. 43.

In Vmbria Nuceranae aquae, quae inter ſalutares referuntur, a variis auctoribus laudantur: circa ſcaturiginem harum aquarum terra noſtra alba, quae oſteocollae ſaepius formam induit, copioſe effoditur, et ab arena admixta lauando purgatur [k]. Optimam huius terrae deſcriptionem affert ALOYSIVS DELLA FABRA [l]: *che e di color bianco, molle, legiera, ſuccoſa, friabile, vntuoſa, e che toccata con la lingua s' aderiſcha, attachi, come colla, et finalmente poſta nell'aqua mandi fuori ampolle con bollimento a modo di calce.* Eius vero virtutes abſorbentes, dulcificantes, vt vocant, et alexipharmacas, tum citati auctores, tum alii plures deſcribunt.

V. Oſteocolla Goldbergenſis, denſa et compacta, parum arenoſa, externe tuberculis inſignita.

VI. Oſteocolla magna, magis lapidoſa, cuius caui diameter pollicis ſuperat magnitudinem, et rami procerioris arboris partem ſiſtit.

Cum hac concreuit alia minor gleba, praecedenti ſimilis, videtur Polonicae eſſe originis.

VII. Oſteocolla minor, cruſta lapidoſa, denſiſſima tecta, intus nucleo et terra puriori praedita.

VIII. Oſteocolla flaueſcens, lapidoſa, lamellata, radicem cauleſcentem tricipitem exhibens.

IX. Oſteocolla ſaxatilis phalloides.

Hoc nomine veniunt duo cylindri caui, lapidoſi, quorum alterum orificium imperuium eſt.

α. Gleba lamellata, alba.
β. Gleba denſa, obſcurior.

X. Morochtus cinereus, argillaceus, cylindricus, cum acidis efferueſcens.

Terram hanc, ſub nomine Argillae gryſeae, in cylindros ſolidos et pertuſos, ſimplices et ramoſos concretae, miſſam, & alias, oſteocollam ex pago Glaronenſium dictam, ob aliqualem cum antecedentibus conuenientiam hic addere volui. Tegulae, quae ex hac terra conficiuntur, pluuiam et tempeſtates non ſuſtinent.

V. Morochtus arenoſus cum acidis efferueſcens.

Primum hic locum meretur Terra Melitenſis, quae a Melita maris mediterranei inſula, Malta nunc dicta, denominatur, variis inſuper nominibus inſignitur. Dicitur enim, Terra ſancti Pauli [m], Lapis ſancti Pauli [n], Pietra di ſan Paolo [o], Gratia di ſt. Paolo [p], Creta Melitenſis [q]. Licet omnis fere terra Melitenſis alba ſit, prae reliquis tamen illa in magno pretio habetur, quae ex ſpecu diui Pauli, vulgo grotta di ſt. Paolo dicta, eruitur. Cauerna haec a valentiſſima ciuitate noua, la

k) SYLVIVS BOCCONE Muſeo di Fiſica e di Eſperienze Venetiis 1697. 4. Obſeru. X p. 64.

l) Ex libello del Bagno di Nocera nell Vmbria, impreſſo per Gaetano Zanobi 1689. Vid. Eius Diſſertat. Phyſic. Medic. Ferrariae 1712, 4. Diſſ. II de Nucerana terra minerali p. 33 conf. etiam appendix huius diſſertat. De Tartaro Terrae Nuceranae p. 47 ſqq.

m) MERCATVS in Metalloth. Vatican. Arm. I cap. 12 p. 17.

n) ANDR. CAESALPINVS de Metallic. Lib. I cap. 12 p. 34.

o) MATTHIOLVS in Dioſcoridem p. 966 edit. Opp.

p) ALDROVANDVS in Muſ. Metall. Lib. II cap. 11 p. 253 et CHIOCCVS in Muſ. Calceolar. Sect. II p. 130.

q) ALDROVANDVS l. c. et IOH. ANT. SARRACENVS Comment. de Peſte cap. 6 p. 207.

la Valetta, octo leucis Italicis diſtat [r]. Terra vero ipſa interdum lapidis inſtar dura eſt, interdum mollior, digitis conterenda, quod ALDROVANDVS iam annotauit [s]. Hinc etiam IMPERATVS [t]: *Terra*, inquit, *Melitenſis non diſſoluitur ſua ſponte, quare medio inter terras et lapides loco cenſeri poteſt: etenim, quod digitis conteratur, et in pulueren conminuatur, facit vt inter terras, quod aqua non diſſoluatur, inter lapides referatur.* TVDECIVS [v] eam ſequentem in modum deſcribit: *Mollis eſt adeo, vt ſecuribus inſtar Argillae pro conſtruendis domorum et moeniorum muris, in varias figuras leui labore fingi poſſit, vbi tamen ſufficientem pluuiae vel putealis aquae copiam imbibit, in duriſſimum, acutam ferri eludens aciem, mutatur ſaxum, ita, vt aedificia in vtraque vrbe, ex ſolida quaſi petra exſculpta eſſe videantur, tempeſtatibusque expoſita duriora euadant.* Aquam, dum per intima corporum penetralia tranſit, duritiem iis conciliare, compertum equidem eſt, num vero aqua, per terrae moleculas in aere libero percolata, idem praeſtet, merito dubitamus, aliam forte huius phaenomeni rationem in phyſica tractatione expoſituri; in primis cum experientia conſtet, in hac inſula aliam quoque terram duriorem, fere lapideam, erui, et vtramque aliquam arenae ſubtilioris aeque ac craſſioris copiam commixtam oſtendere. Inde vero neutiquam terram noſtram ad dubias terras et ſpeciatim ad Cretas reducendam eſſe opinamur, cum vera gleba mollioris ſit indolis, et vaſa, quae aquam aliosque liquores continent, nec transmittunt, quod de Creta ſupra aſſeruimus, ex duriori et lapidoſa illa terra efficiantur [x]. Nolim tamen terrae ipſius materiam, ad terrarum ſigillatarum, de quibus infra dicemus, normam diiudicari, quod illae lotae et alio modo praeparatae ſunt [y].

Omnes, qui hanc terram crudam et minus praeparatam deſcribunt, auctores, eandem tactu aſperam dixerunt, alii igitur, qui mollem, ſuccoſam et facile friabilem eam appellant, de ſigillata praecipue loqui videntur, quam differentiam CHIOCCVS [z], iamiam attendit. Cur vero MERCATVS [a] eandem pinguem dicat, me ignorare profiteor, praeſertim, cum nullum auctorem, ſibi aſſentientem, in rei probationem excitare poſſit; forſan igitur partem, ſubtiliſſime tritam et lotam deſcripſit, quae a prima et naturali indole artis ope prorſus receſſit. Minime acrem eam eſſe ipſi cognouimus, licet quodam modo exſiccantem et adſtringentem virtutem exſerat, id quod alii inſuper teſtantur [b]. Coctam

r) THOM. BARTHOLINVS Hiſtoriarum anatomicarum et medicarum Cent. VI Hiſt. l. p. 196 conf. etiam IOH. FRIED. BREITHAVPTS *Beſchreibung der Helden-Inſel Malta* p. 153.

s) Loc. cit.

t) Hiſt. Nat. Lib. V c. 45 p. 171.

v) Miſcell. Natur. Curioſ. Dec. l. An. 10 Obſeru. 119 p. 288.

x) BARTHOLINVS loc. cit. et Epiſt. Med. Cent. I epiſt. 53 p. 223.

y) WORMIVS in Muſ. Lib. I Sect. I c. 4 p. 6.

z) In Muſ. Calceolar. loc. cit.

a) In Metalloth. Vatican. loc. cit.

b) CAESALPINVS loc. cit. CHIOCCVS loc. cit.

Coctam tamen hanc terram calcis acrimoniam aſſumere IMPERATVS [c] monet.

Inſignem praeter ea ratione coloris inuenio auctorum diſſenſum, ſubalbidum, album, candidiſſimum, plurimi terrae noſtrae adſcribunt [d], alii album in cinereum vergentem dicunt [e], alii tandem croceum vel ſubflauum de ea praedicant [f]. Terra noſtra alba quidem eſt, ſed, cum martialis Ochrae puncta interſperſa prae ſe ferat, nec candida prorſus dici poteſt, obſcurior autem quodam modo eſſe videtur, ita tamen, vt cinereum non habeat colorem. Aliam etiam terram rubentem vel ſubflauam in Melitenſi inſula deprehendi, glebae ſigillatae quaedam, ſuo loco adducendae, confirmare videntur, ſed haec a vera terra Melitenſi, in primis ab ea, quae ex cauerna diui Pauli eruitur, plane diuerſa et pinguior paulo vel tactu lubrica eſt, nec dubitari denique poteſt, alienas ſaepius terras, ſigillis Melitenſibus inſignitas, ſplendidum terrae Melitenſis nomen accepiſſe. Genuinam hanc noſtram terram varii auctores cum aliis veterum terris comparare ſolent. MATTHIOLVS eam Samiae ſimilem dixit [g], ad Meliam terram referunt CAESALPINVS [h] et poſt eum HERMANN CONRINGIVS [i], nec non CHIOCCVS [k]. Lemniae Melitenſem ſubſtitui poſſe, ENCELIVS [l], WECKERVS [m], et IOH. RENODAEVS [n] aſſerunt, quibus tamen characteres vtriusque terrae contrariantur, in primis cum noſtra acidum reſorbeat, Lemnia vero acria tantum inuoluat.

Ad vſum, huius terrae quod ſpectat, multi eum prorſus eximium et alexipharmacum praedicant, cum omnibus fere terris talem adſcripſerint, inde mirum nemini eſſe poteſt, quod huic plures adhuc adiudicatae fuerint virtutes, vtpote quae ex benedictione ſancti Pauli magis efficax reddita fuerit [o]. Laudatur itaque contra peſtem [p], venena [q], in primis contra morſum ſerpentum et canis rabidi [r], nec non contra alios morbos [s]. Sed, num praeter acidum abſorbendi et exſiccandi, leniterque ad-

c) Hiſt. Nat. Lib. V c. 37 pag. 164.
d) IMPERATVS loc. cit. MATTHIOLVS loc. cit. MERCATVS loc. cit. IONSTON. Notit. Regn. Mineral. Tit. I c. 1 p. 11. WORMIVS loc. cit. MOSCARDVS in Muſ. Lib. II cap. 90 p. 165. BARTHOLINVS in Epiſt. loc. cit. KIRCHERVS in Mund. Subterran. Lib. VII Sect. II c. 4 p. 359. LEMERY Dict. de Drogues ſimpl. p. 540.
e) CAESALPINVS loc. cit. et ex eodem CONRINGIVS in Diſp. de terris Th. 76. CHIOCCVS loc. cit. CHARLETON. de var. Foſſil. gener. pag. 4.
f) IONSTON. loc. cit. BARTHOLINVS in Epiſt. loc. cit.
g) Loc. cit.
h) Loc. cit.
i) Loc. cit.
k) Loc. cit.
l) De Re Metallica Lib. II cap. 28. pag. 137.
m) In Antidotar. Spec. Lib. I Sect. IV pag. 35.
n) De Mat. Medic. Lib. II Sect. I c. 3.
o) CONRINGIVS loc. cit.
p) SARRACENVS loc. cit.
q) Contra venena fungorum in primis commendat MERCATVS loc. cit.
r) Conf. omnes fere hactenus citati auctores.
s) Ad ſanguinis ſputum commendat CAESALPINVS loc. cit. Ad eundem morbum, febres peſtilentiales, et vermes infantum CHIOCCVS loc. cit. et alii plures.

adſtringendi vires alias adhuc obtineat, iure quidem meritoque dubitamus. Ad diros hoſce morbos profligandos terrae ſane ſigillatae adhibendae non ſunt, illae enim, vt melius in formas cogi queant, gypſo adulterantur [t]. De gloſſopetris, quae in hac terra inueniuntur, earundemque virtute DALE [v] legi poteſt. Hodierni huius loci incolae, BARTHOLINI [x] ſententiam confirmantes, nobis quidem perſuadere ſtudent, terram, in cauerna diui Pauli reperiundam, non imminui, licet a tot ſeculis in medicos vſus effoſſa inde fuerit: ſed locus cancellis circumſeptus, cuilibet aditum non permittit, terras deinde et lapides ſine euidenti particularum acceſſione, neque augeri, neque creſcere poſſe experientia docet, et rei natura oſtendit. Vaſa quaedam ex lapide ſeu terra Melitenſi formata inter Regii Muſei ornamenta aſſeruantur. Eſt itaque nobis:

I. Morochtus Melitenſis Diui Pauli.

II. Morochtus albus, purior, ſub nomine Boli, ex Lithuania miſſus.
Haec terra parum arenae admixtae oſtendit.

III. Gleba, priori ſimilis, nomine Cretae tophaceae exhibita, quae in locis paludoſis Helſingiae, Oſtrogothiae etc. reperitur, et Suecis *Blecke* vocatur.

IV. Morochtus ex valle Plauenſi prope Dresdam, vulgo *Plauiſche Grund* dicto.
Haec terra magis arenoſa eſt, et aſpera, magisque friabilis.

V. Gleba ex lapillis durioribus et Morochto conflata, ex pago Mollis Glaronenſium, qua ad vaſa ferrea et aenea expurganda vtuntur.

VI. Morochtus arenoſus, argillaceus, Moenchenſteinii prope Baſileam effoſſus.

VII. Gleba lapidoſa, lamellata, irregularis, ex eodem loco deſumta, quae terrae in lapidem mutationem oſtendit, paſſim inſperſae ſunt teneriores lamellae ſelenitidis.

VI. Morochtus leuis, continuus, ex albo cinereus, cum acidis non efferueſcens.

Gleba haec plures ſupra de Morochto declaratas notas exhibet, ſed praeter ea, quod omnes, eam conſtituentes partes, continuo nexu inter ſe cohaereant, cum acidis non efferueſcit, ſed ferme Argillae inſtar in ea diffluit, coloris quidem albi eſt, in cinereum tamen paulo vergentis. Quis eius natalis locus ſit, non conſtat, nomine lactis lunae tamen inſignitam inuenio.

VII. Morochtus leuis, lamellatus, cum acidis non effervescens.

Haec terrae ſpecies medium quaſi genus Morochtum inter et Tripelam conſtituere videtur, et, quod vſum attinet, pro Tripela plerumque aſſumitur: ſed cum inſignem eius inuenerim leuitatem, et aſperitatem, non talem, qualem in Tripela cognoui, obſeruauerim, ad Morochtum retuli, aliorum iudicio relinquens, ſi eam Tripelis magis adnumerare velint. Ex cauernis montium non eruitur, ſed impetu aquarum in ſtrata lamellata diſpo-

t) SARRACENVS loc. cit.
v) Pharmacolog. Sect. II pag. 50.
x) Loc. cit.

diſpoſita reperitur. Ad eam accedere videtur Tripela d'Auuergne, cuius POMET [y] meminit, quae in folia et lamellas diuiditur, et minoris eſt pretii. Noſtrae terrae varietates ſunt:

I. Morochtus leuis, lamellatus, Bilinenſis ex Bohemia.
Hic tactu aſperior eſt.

II. Morochtus leuis, lamellatus, ex tractu Glashuttenſi.
Is aliquid argillacei admixtum habet, molliorem inde nactus texturam.

III. Morochtus leuis, lamellatus, quodam modo flaueſcens.
Prope Laun, in circulo Saazenſi Bohemiae, in magnis ſtratis effoditur, et Tripelae ſubſtituitur.

VIII. Morochtus ponderoſus, durior, cum acidis non effervescens.

I. Lac lunae ſpurium officinarum.
Cum verum lac lunae, quale ſub ſpecie prima deſcripſimus, rarius occurrat, in officinis pharmaceuticis alias terras albas, tactu macras, ſubſtituunt, ex quarum numero haec noſtra eſt. In huius tamen medicae terrae ſelectu eo in primis reſpiciendum eſt, vt cum acidis efferueſcat, quae nota de lacte lunae ab omnibus auctoribus praedicatur.

II. Lac lunae Sienenſe ex Italia.

III. Terra alba, tenera, praeparata, *weiſſer Eſchel* dicta.
Haec et praecedens terra, licet, in pollinem contritae, lotae nec adeo ponderoſae eſſe videantur, cum de reliquo ad ſpeciem noſtram proxime accedant, huc relatae fuerunt.

IX. Morochtus arenoſus, cum acidis non efferueſcens.

Huc pertinet:

I. Nihil album ſpurium.
Spurium hoc dicimus nihil album, cum pompholyx, ſiue proprie ſic dictum nihil album, ex metallis ignis ope producatur [z]; cui, in quibusdam officinis pharmaceuticis, terra, noſtrae ſimilis, non absque graui negligentiae nota, ſubſtituitur.

II. Terra Harthenſis.
Haec, vt praecedens, magnam Morochti copiam, arenae interſperſam, habet, illa tamen denſior eſt, et quodam modo purior.

III. Terra arenoſa, alba, digitos inquinans, ex venis in Soſa prope Eybenſtock.
Haec maxime dura et quaſi lapidea eſt, cum vero friabilis quodam modo ſit, et digitos inquinet, terris eam annumerandam eſſe putaui.

IV. Terra arenoſa, in qua globuli achatis inueniuntur, prope Chemnitium *in dem Grimmiſchen Walde.*
Haec pinguem quandam Margam admixtam habet, digitos tamen inquinat, et ficiores quoque Morochti particulas continet.
* Globuli achatis imperfecti.

V. Terra praecedenti ſimilis, ex Iamaica, Margae impurae ſub nomine nobis communicata.

VI. Terra gypſea, alba, liueſcens, quae in rimis montium Creisfeldenſium prope Islebiam reperitur.
Saxum, in cuius rimis illa deprehenditur, eſt gypſeum, cinereum, ſquamoſum.

X. Mo-

y) Diction. general. des Drogues Part. III Lib. V cap. 8. pag. 115.

z) Vid. CRAMERVS in Element Art. Docimaſt. P. I pag. 70. P. II pag. 285.

X. Morochtus leuis, luteus, Ochra martiali tinctus, cum acidis non efferueſcens.

Hic conſiderandae veniunt:

I. Stalagmia ochracea ex fodina Freybergenſi, princeps coeli dicta, *Sinter vom Himmels-Fürſten.*

II. Gleba compreſſa, ſimilis, *Berg-Guhr von Mittweyda.*

Terrae luteae ibidem reperiundae mentionem facit ALBINVS [a], an vero hanc noſtram indicauerit, dubitamus.

Ex ſcrobium lateribus deſtillantes ſtirias Stalagmiam vocari PLINIVS auctor eſt [b]. Sub hoc vero denominatione generali, non tantum Stalagmites ſiue Stalactites, *Tropfſtein*, tanquam lapis calcareae, raro alius naturae [c], ſed etiam diuerſae indolis maſſae, in fodinis reperiundae, efflorеſcentes vel propullulantes comprehendi debent, quarum aliae gelatinoſae, aliae, vt in noſtris terris patet, terreſtris naturae ſunt. Terreſtris naturae corpora metallicolae *Sinner* ſiue *Sinter*, a voce *ſintern*, quod eſt ex lateribus ſcrobium exſudare vel deſtillare [d] vocant, qua notione in prima iam Morochti ſpecie vſi ſumus. Vocabulum *Guhr* ſiue *Berg-Guhr*, quod forte a *gaehren* deducitur, quoniam vt flores, fermentatione elevati, propullulant, ab aliis in ſimilibus efflorеſcentiis, ab aliis in gelatinoſis tantum denominandis adhibetur. Tophi denique cognomen non tam ad has deſtillationes, ſed ad terreſtres potius cruſtas, quas aquae, his particulis impraegnatae, lignis vel aliis corporibus inducunt, ſignificandas aſſumitur. Quousque haec vocabula diuerſis his concretionibus diſtinguendis adaptari poſſint, nunc non diſquiram, in primis cum maxima inter omnes ſit analogia, et Stalagmiae nomen omnibus hiſce competere videatur. Ego vero ſupra indicatas et alias eiusdem indolis terras, quoniam leues et macrae ſunt, ad Morochtum refero. Terram, noſtris ſimilem, ſub nomine *Guhr* deſcribit BERWARDVS [e], ex fodinis Rammelsbergenſibus deſumtam.

XI. Morochtus ponderoſus, luteus, Ochra martiali tinctus, cum acidis non efferueſcens.

Huius loci eſt:

I. Ochra Salfeldenſis, colore obſcuriore fuſco.

II. Ochra Salfeldenſis, colore magis luteo.

Ochram Salfeldiae, vna cum lapidibus et forte inter ipſas lapidum rimas erui, eamque eſſe puluerem et terram aridam ENCELIVS affirmat [f].

III. Ochra Schneebergenſis.

Varias

a) *In der Meiſsniſchen Chronick* pag. 174.

b) Hiſt. Natur. Lib. XXXIV cap. 12.

c) CRAMERVS in Element. Art. Docimaſt. P. I pag. 33 et KLEINIVS in Nomenclat. Litholog. pag. 70.

d) CHRISTIAN BERWARDVS in Interprete Phraſeologiae Metallurgicae p. 8 Francof. ad Moen. 1736 fol. vernaculo ſermone ſcripto, annexo LAZARI ERCKERI *unterirdiſchen Hofhaltung*.

e) Loc. cit.

f) De Re Metallica cap. 20 pag. 118.

Varias colore imbutas terras Schneebergae olim ad Schickenberg, in cuniculo ſt. Chriſtophori inuentas fuiſſe ALBINVS tradit, et nobiliſſimae in primis ochraceae terrae meminit [g].

IV. Ochra Reichenbacenſis, quae, vt praecedens, cum Salfeldenſi altera proxime conuenit.

Terrae ex luteo cinereae Reichenbacenſis mentionem facit LVDOV. FRID. IACOBI [h]: haec vero ad noſtram non accedit, nec id auctori damus, huic terrae auri et argenti particulas admixtas eſſe.

V. Gleba Grationopolitana, pallide lutea.

VI. Ochra lutea ex Vermelandia Sueciae.

Haec magis impura, arenoſa et pallide lutea deprehenditur.

VII. Gleba Wolckenſteinenſis, in crypta, benedictio diuina dicta, in venis deprehenſa, in cuius vno latere ſtriae multae rubellae conſpiciuntur.

VIII. Gleba Magdeburgenſis lutea, qua ex mandato regio aedium anterior facies tingitur, tempeſtatibus tamen cedit, forte, quod nimis macra eſt.

IX. Ochra Maslenſis.

Glebae huc referendae arenam copioſam admixtam habent. Suſpicabar equidem, eandem terram eſſe, quam ſupra IV. I. nomine oſteocollae Maslenſis, cum varietatibus recenſitis, deſcripſimus, Ochra tantum martiali tinctam, ſed cum nec glebae crudae, nec lotae cum acidis efferueſcant, eas ibidem ſubiungere, aut ad ſequentem ſpeciem referre non potuimus. HERMANNVS [i], qui eam detexit, Bolum luteum ſiue oſteocollam auream appellat, et eam ad ripas foſſae, quae ad molam vicinam ducit, vel in integris maſſis, vel in cauas fiſtulas exſtillantem reperiri docet.

α) Gleba luteola, minus arenoſa.
β) Gleba durior, fuſca, magis arenoſa.
γ) Canales quidam caui, ſimilis naturae, coloris tamen longe obſcurioris.

X. Gleba lutea, mollior, Annabergica, admodum arenoſa.

Humo tantum tecta, inter ſtrata arenoſa, in venis deprehenditur.

XI. Terra ochracea Altorfina.

Haec purior eſt praecedente et fuſca, ad molam, Prethal dictam, inuenta.

XII. Gleba, ſub nomine Margae, crocei coloris miſſa, ad pagum Camerau, ducatus Schwiednitzenſis Sileſiae reperta.

XIII. Gleba Siberienſis, Schillon-Iſetzkoi inſcripta.

XIV. Gleba Salisburgenſis poroſa, in fuſcum vergens colorem.

In his, quas nunc recenſuimus terris, magis tamen in iis, quae ſequuntur, tranſitus ad concretiones lapidoſas, ex ſimili terra et Ochra factas, perſpicue obſeruatur.

XV. Ochra lapidoſa, fuſca *von Ehrenfriedersdorff.*

XVI. Gleba lapidoſa, lamellata, aetitis, ex terra ochracea Altorfina X formati, eodemque loco reperiundi quaedam particula.

XVII. Gleba praecedenti ſimilis, ad Hildeſiam inuenta.

De hac AGRICOLA [k] ſequentia memoriae digna prodidit: *Propius ad glebam luteam, quam Ochram, accedit, effoſſa in Hildesheimio, inter vrbem et antrum, a nanis appellatum*, Zwergloch. *Ea ex cruſtis conſtat, item inter Alfeldam et Embeccum, qualis interdum oſtracorum ſimilitudinem refert. In eodem Hildesheimio, qua itur ex Haſda*

g) *Meiſniſche Berg-Chronik* pag. 175 et 177.
h) Diſſ. de Terris Medic. Sileſiae, cuius auctor Reſpondens CASPAR HENRICI eſt, §. 12.
i) In Maslographia Sileſiaca, Part. II cap. 3 p. 189.
k) De Nat. Foſſil. Lib. II pag. 583.

Haſda pago ad oppidum Sarſtedam, reperitur fiſtularum ſimilis. Praeter LACHMVNDVM [l], qui haec repetiit, WORMIVS [m] quoque de hac terra diſſerit.

XVIII. Gleba ſimilis, ad pagum *Ober - Rabenſtein* in praefectura Chemnitzenſi, ex qua contuſa et lota Ochra, coloribus inducendis apta, praeparatur.

XIX. Ochra lapidoſa, colori communicando inepta, ex inſula Zingoen in Roslagia, lota purior euadit vt praecedens.

XII. Morochtus ponderoſus, luteus, Ochra martiali tinctus, cum acidis efferueſcens.

Huc pertinet:

I. Terra lutea, pallida, prope Kliecken, pagum ditionis Serueſtanae, eruta, quae ad Tripelam propius accedit.

II. Ochra ex Fryburgenſi, vt vocant, Eremitorio, e ſaxo viuo exciſa.
Haec cum praecedente, quoad colorem, conuenit, illa tamen durior eſt.

III. Glebae lapidoſae, in Heluetia prope oppidum Lauffen repertae.

α) Lutea pallidior et tenerior cum omnibus acidis efferueſcit.

β) Magis fuſca, cum ſpiritu nitri tantum efferueſcit.

γ) Magis lapidoſa, cruſtis quarzoſis obducta, terra fuſca rutilans, interſperſis laminis inſignis, cum omnibus acidis efferueſcit.

δ) Magis ruffa, cum acidis prorſus non efferueſcit.
Singularis haec, in adductis terris, efferueſcentiae ratio, quae ſemel iterumque tentata fuit, certa eſt, nullam vero, nec in glebis, nec in loco natali, qui omnibus vnus eſt idemque, inuenio cauſſam, cur aliae glebae efferueſcant, aliae minus.

IV. Gleba lapidoſa, ſiue aetites Guelpherbitanus, *am Hurenberge in der Sandkuhle* repertus.
Si contunditur et lauatur, Ochram praebet martialem, pictoribus inſeruientem.

V. Terra calcarea, indurata, liuida, in qua vnicornu foſſile inuenitur, ex antro Baumanniano.
Haec terra in ampliſſimo ſtrato decurrit, et veras oſſis calcinati partes continet.

XIII. Morochtus ponderoſus, ruber, cum acidis efferueſcens.

I. Gleba, tactu aſpera, ad Sommerfeldam, pagum, Lipſiae vicinum, anno milleſimo ſeptingenteſimo nono eruta, recentioribus vero temporibus non inuenta, cum ſpiritu nitri et cum aliis acidis efferueſcit, ſimulque foetorem ingratum emittit.

II. Terra calcarea, pallide rubra, in rimis montium Creisfeldenſium prope Islebiam reperta.

XIV. Morochtus ponderoſus, ruber, cum acidis non effervescens.

I. Gleba, ex Hungaria apportata, cylindrum referens in luteum colorem vergentem.

II. Terra rubra, quae in Helſingia Sueciae reperitur.
Haec tenera, longe obſcurior praecedente et humi quandam partem admixtam habet.

* Radices iuniperinae, in hac terra obſeruandae, partim in terram hanc mutatae, vel oſteocollae inſtar incruſtatae, partim colore tantum tinctae conſpiciuntur.

Huc forſitan quaedam ex Bolis ficcioribus glebae referri potuiſſent, ſed limites hic ita dubii ſunt, vt nihil certi ſtatuere audeam.

XV. Mo-

l) In Oryctograph. Hildesheimenſ. pag. 5.

m) In Muſ. Lib. I Sect. I cap. 4 pag. 16.

XV. Morochtus colorem florum perſicorum aemulans, cum acidis non efferueſcens.

* Gleba ex Penſyluania miſſa arenam et parum Argillae admixtas habet.

TRIPELA.

CAP. II. GEN. II.

I. Tripela purior, cum acidis efferueſcens.

Huc referatur:

I. Tripela ex agro Wettinenſi, prope Halam Saxonum.
Haec lamellata ſtrata oſtendit, quae aquae inundationibus producta eſſe videntur.

II. Tripela ad pagum Schoenfeld, prope Dantiſcum reperta.
Haec, vt praecedens, flaua et cinerea eſt, et licet non ex lamellis compoſita ſit, tamen integra gleba, ſtratum lamellatum, ad digiti craſſitiem accedens, ſiſtit, vnde et hanc per aquarum profluuia enatam eſſe ſuſpicamur.

III. Tripela Magdeburgica, colore cum praecedente conueniens.
Haec terra circa Magdeburgum vbique fere ad duos pedes, humo recondita, deprehenditur.

IV. Gleba, praecedenti ſimilis, magis impura, arenoſa, nec adeo friabilis.
Haec per inundationes Albis prope Magdeburgum ad Monaſterium Bergen congeritur, et ſplendentia puncta micacea oſtendit. Coloris eſt obſcurioris et hoc in ea, vt ſingulare, annotandum occurrit, quod tantum cum ſpiritu nitri, non vero cum ſpiritu vitrioli et aceto efferueſcat.

V. Gleba Magdeburgica, cum antecedente conueniens, coloris tamen cinerei, in nigrum vergentis.
Haec recens examinata, odorem quendam grauem, ſulphuri analogum ſpargit.

VI. Gleba praecedente pallidior, ex incerto loco.

VII. Tripela cinerea.
Huc refero tres glebas, prorſus ſibi ſimiles, licet diuerſiſſimis locis collectae fuerint. Omnes illae ex granulis ſubtilioribus conſtant, et ob interſperſas micaceas particulas ſplendent, et licet minime lamellatae ſint, aquarum tamen impetu in ſtrata eas diſpoſitas fuiſſe apparet.

α) Tripela, ex Pruſſia tranſmiſſa.
β) Tripela, quae terra gryſea Anglica dicitur.
γ) Tripela, ad littora Albis prope Hamburgum inuenta.

VIII. Terra in fundo ſalinarum Solikamskoi, Ruſſiae orientalis, reperta.
Ad praecedentes accedit, ſed punctis micaceis deſtituitur.

IX. Tripela alba, quam ſub nomine Cretae cinereae Habſpurgicae accepimus.
Haec mollior, in aqua ſolubilis, hinc ad Cretas referri vix poteſt, nec cinerea, ſed praecedentibus potius albidior eſt.

* Gleba denſior, prope ſcaturiginem balnei Habſpurgici inuenta, magis impura et arenoſa eſt, caeterum cum praecedente conueniens.

X. Tripela alba, purior, Kunnersbergenſis prope Memmingam effoſſa.

XI. Tripela, nomine Margae fuſoriae ſtratoſae inſignita, quae Hagae prope Vpſaliam effoditur.

XII. Tripela, ſub nomine Margae fuſoriae tenuis et ſubtilis tradita, quae in Vplandia prope Wiby effoditur.

II. Tri-

II. Tripela argillacea, cum acidis efferuescens.

Hic nominandae sunt:

I. Tripela pallida, liuescens, Glucksburgensis, ex Dynastia Annaburgensi.
Haec terra, in glebas maiores compacta, exsiccata et calcinata, lapidis calcarei instar, massam, calci quodam modo similem, praebet. In officina vitriaria, loco natali vicina, vasa refrigeratoria satis valida inde conficiuntur, qua propter aliquid argillacei subesse suspicor. Lota haec terra Tripelam puriorem sistit.

II. Gleba praecedenti similis, lamellata magis, flaua, ex incerto loco, punctis micaceis splendens.

III. Gleba ex albo cinerea, hinc inde liuescens, Memmingensis, quae strato vliginosae nigrae terrae impositа inuenitur.

IV. Gleba Dachselbergensis Sueuiae, praecedenti similis.

V. Gleba alba, argillacea, Angerburgica.
Haec terra sequentem in modum optime a HELWINGIO[n] describitur: *Argilla candida, ad littora lacus nostri passim obuia est, in primis in peninsula Keblensi copiosa sese offert, qua accolae in dealbandis fornacum commissuris et hypocaustorum tabulatis vtuntur, atque ob tenacem eius adhaerentiam summamque albedinem calci et cretae praeferunt; verum cum arena subtilissima permixta esse deprehenditur, simulque rara, friabilis et in aqua facile solubilis est, rebus figulinis non conducit, nisi quod figuli fictilia et pictores in officinis vitriariis vitra ea pingere soleant, quam ob caussam etiam a* SCHWENCKFELDIO[o] *terra figulorum albissima*, weisse Erde und weisser Mahlthon *appellatur.*

VI. Gleba argillacea, Woldorpensis, ex qua vasa porcelana formari possunt, sic in schedula, terrae addita, inuenio, sed gleba, admodum composita, cinerea est, et praeter Tripelam, Argillam, Arenam et puncta micacea prodit.

VII. Gleba praecedenti similis, sed magis arenosa, quae in ditione Tigurina ad Thur, prope Andelfingen, reperitur. Locus appellatur *Daetweiler Felsen*, cum terra ipsa rupium instar dispositа sit.
Inueniuntur etiam ibidem lapides, terrae huic similes et duritie tantum diuersi. In his locis quoque quaedam terrarum sulphurearum vestigia occurrunt, quae vero in ea, quam examinauimus, terra inuenire non potuimus.

VIII. Tripela argillacea, ad pagum Schoenfeld prope Dantiscum inuenienda.
Haec non flauescit, sed magis cinerea et impurior est illa, quam I II descripsimus.

III. Tripela densior, lapidosa, cum acidis efferuescens.

I. Gleba albicans, solida, friabilis, sub Margae Tigurinae nomine allata, qua loco terrae Tripolitanae vtuntur.

II. Terra obscure cinerea, calcarea et lapidosa, quae vulgo *das Aschen-Gebürge* vocatur, Islebiae in cupri fodinis reperiunda.

IV. Tripela densior, cum acidis non efferuescens.

Huc inferatur:

I. Gleba, nomine terrae Tripolitanae Venetae exhibita.
Haec liuescit.

II. Gleba nigra, ex parte cinerea, et striis paucioribus insignita, terrae Tripolitanae similis, ex Cornubia.

III. Gleba ex comitatu Hohensteinensi, bruni coloris, haec magis, quam duae praecedentes, digitos inquinat.

IV. Gleba densa, ex rubro leuiter flauescens, ex Vermelandia, Sueciae prouincia, apportata.

V. Tri-

n) Lithograph. Angerburg. § 3.

o) De Fossil. Silef. pag. 395.

V. Tripela tenerior, cum acidis non efferueſcens.

Commemorandae hic veniunt:

I. Gleba, inter terras Caſſelanas, ſine nomine miſſas, reperta, quae flaua, ſiccior et friabilis eſt, et digitos inquinat.

II. Terra egregie coerulea, prope Eckartsbergam, in principatu Leucopetrenſi, effoſſa. Haec, vbi effoditur, alba deprehenditur, aeri liberiori expoſita colorem mutat, an martis partes contineat, id, quod peritiores affirmant, nondum inueſtigare potuimus.

III. Terra fuſca, quae in ſtratis variis inter carbones foſſiles inuenitur.
Stratum eius ſuperius eſt Argilla, Tripela referta, inferius vero arena. Cum Tripela proxime conuenit, licet colorem, ad rubrum magis accedentem, obtineat. Eruitur prope Artern in comitatu Mannsfeldenſi.

IV. Tripela alba, paululum liueſcens, ſub terra Helſingica, Morochtus XIV. II. poſita.

V. Terra margacea, ex lapicidina Magdeburgica.
Sub hoc titulo quidem terra puluerulenta bruni coloris exhibetur, quae tamen praecedentibus commode iungi poteſt.

VI. Tripela tenuiſſima, alba, in pago Dolbitz prope Lutzenam effoſſa.
Terra haec poliendis metallis aptiſſima eſt et cum calce coniuncta inſignem duritiei gradum acquirit.

VI. Tripela bolaris, cum acidis non efferueſcens.

* Gleba, nomine *lichtgelber* Bolus, inſignita, bolarem quidem terram, copioſa tamen Tripela refertam, oſtendit.

VII. Tripela argillacea, cum acidis non efferueſcens.

Huc referantur:

I. Gleba, prope Glaucham Oſterlandiae ſtatim ſub humo effoſſa, ex albo cinerea eſt, et liueſcentes partes admixtas habet, recens trita, odorem grauem, ſulphureum prodidit, quam quidem indolem in gleba noſtra prorſus non obſeruauimus.

II. Gleba minor, ſimilis, Siberienſis ex riuo Teſiha, in fluuium Iſet cadente, educta.

III. Gleba argillacea Kellmünzenſis Sueuiae, ex albo cinerea, quae vaſis porcelanis ſpuriis conficiendis apta iudicatur.

IV. Tripela, pauca Argilla et tenui arena commixta, Burdegalenſis, ſacchari praeparationi inſeruiens.
α) Gleba friabilis, cruda.
β) Gleba denſior et compacta, quae aliquo modo lota et praeparata eſſe videtur.
SAVARY p) ad ſacchari praeparationem Rhotomagenſem terram optime adhiberi aſſerit, dari tamen ignobiliores Nannetenſem et Burdegalenſem ſtatuit. Priorem ſequentibus deſcribit verbis: *La terre de Rouen eſt presque blanche, fine, deliée, douce, ſans melange de pierre, ni de ſable, et aſſez graſſe pour ſe reduire en petites pelotes.* Noſtra cum illa conuenit. Nominatus vero auctor methodum inſuper praeparandi et adhibendi hanc terram ſtudioſe deſcribit.

V. Tripela, inſtar oſteocollae radices iuniperinas incruſtans, ita, vt ipſae radices in terram tophaceam mutatae eſſe videantur. In Argilla coeruleſcente prope Vpſaliam inuenitur.

VI. Cortex et fruſtum ligni abietini in ſimilem quaſi terram mutata, vel ſimili modo compacta et efformata ex Finnonia.

VII. Gleba

p) Dictionaire vniuerſelle de Commerce Tom. II pag. 1642.

VII. Gleba alba, argillacea, digitos polline ſubtiliſſimo, arenoſo inquinans, ex Nericia Sueciae.

VIII. Gleba ſimilis, magis argillacea, cinerea, ex eodem loco.

IX. Gleba obſcure cinerea, Ochra martis maculata.
Marga ſtratoſa et arenoſa cognominata, ad Ennſtadium prope Vpſaliam effoſſa.

X. Gleba cinerea, punctis micaceis inſperſis ſplendens, ex Nericia Sueciae.

XI. Gleba durior, cinerea, ob arenam admiſtam aſpera, de Spikhytten in Weſtmannia Sueciae.

BOLVS

CAP. II. GEN. III.

I. Bolus talcoſus, cum acidis non efferueſcens.

Hanc terrarum ſpeciem inter bolares primo loco poſui, quod omnes ſupra recenſitas Boli affectiones, eminentiori gradu expreſſas, oſtendit, et ſplendore in primis argenteo quaſi, quem digitis quoque, dum teritur, communicat, a reliquis diſtinguitur. An talcum deſtructum haec terra exhibeat, an ob alias admixtas partes talco tantum ſimilis euadat, definire non audeo. Sufficit eam, quamcunque etiam mutationem ſubierit, ad veras easque bolares terras referendam eſſe.

Commemorandae hic veniunt:

I. Gleba ex crypta Freybergenſi, *Kroener* dicta, eruta.
In cauerna, cryſtallinis ſaxis obducta et in media vena, quae vacua erat, reperta fuit. Cum pyrites argentei coloris in eadem cauerna inueniatur, arſenicalis quid huic terrae ineſſe non nulli crediderunt, quam tamen opinionem inſtituta experimenta non confirmarunt.

α) Oſtendit ſaxum cryſtallinum cum pyrite albo, et terra noſtra talcoſa ipſi inhaerente.

β) Cubus ex ſimili terra pura et nitida formatus.

Similem terram in crypta Freybergenſi, *Mathuſalem* dicta, olim inuentam fuiſſe, metallicae artis periti affirmant.

II. Glebae minores variae, ſubpingues, ſub Margae porcellanae Italicae nomine miſſae, quae ad praecedentem terram magis, quam ad tertiam Boli ſpeciem accedunt.

III. Bolus albus, ex inſula Ilua.
Hic maxime pinguis tactu deprehenditur, ſtrias tamen et maculas cinereas, ſparſim inductas, oſtendit.

* Addo hic terram ex eadem inſula, quae, niſi copioſa arena et partibus micaceis impraegnata eſſet, cum praecedenti prorſus conueniret.

De hac bolari terra audiamus CHIOCCVM[q], ita differentem: *Terra ex Ilua, inſula maris Tyrrheni, in glebas formata, ſub nomine terrae Iluanae aut Boli candidi, et ſigillo magni ducis Hetruriae notata, eſt candidiſſima, molliſſima et leuiſſima, tangentium manus nequaquam inficiens, tactu linguae et haec vehementer adhaeret, dentibus confricata ſuccoſam admodum ſe plane facit, vt terram Samiam eſſe merito fateri poſſit.* Hanc poſtea terram, vt praeſtantiſſimum remedium, aduerſus illas, quae ex venenata qualitate, in humoribus exiſtente, ortum trahunt febres commendat: illam inſuper, cum limonum ſucco miſtam, vermibus puerorum deſtruendis adhiberi poſſe et conuulſiuis eorum motibus obuiam ire affirmat, ob adſtringentem denique, refrigerantem et exſiccantem virtutem ſanguinem, ex quacunque parte fluentem, mirifice

q) In Muſ. Calceolar. Sect. II pag. 122.

mirifice inde retineri ſedarique poſſe profitetur. Terram, huic quodam modo ſimilem, ALDROVANDVS [r] quoque deſcribit, lapideae tamen eam eſſe duritiei, et a non nullis calamitam albam vocari monet. Iluanum vero hunc Bolum Germanis quoque in vſu fuiſſe, auctorum monumenta nos edocent [s].

II. Bolus talcoſus, cum acidis efferueſcens.

Terra eſt praecedenti ſimillima, magis tamen in ſtratis quam venis reperiunda.

Huc referatur:

I. Terra talcoſa, prope Ienam inuenta, quae maximo cum ſtrepitu efferueſcit.

II. Terra talcoſa, prope Geram effoſſa, quae quidem vt praecedens efferueſcit, ſed non cum tanto ſtrepitu.

III. Bolus albus, mollis, farinaceus, cum acidis non effervescens.

Dum farinaceum dicimus hunc Bolum, in genere notare hic liceat, non nullas inueniri terras, quarum moleculae adeo tenerae ſunt, vt ob ſingularem, quae ipſis ineſt, mollitiem, minoremque cohaeſionis gradum, farinae, quae ex frumentis praeparatur, comparari queant. Dictam hanc quarundam terrarum indolem Moskauienſis praecipue terra optime probat. Moskau enim ſiue Muska oppidulum eſt ſuperioris Luſatiae, ad quod terra olim deprehendebatur alba, quae, ſi ſolis calore dehiſcit, globulos albos interſperſos oſtendit, qui ſoli quidem ad fermentationem deduci non poſſunt, cum farina tamen mixti ad panem coquendum adhiberi queunt, et quamuis bonum alimentum non praebeant, ventriculum ſaltim ſine noxa replent. Similem huic terram Gironae in Catalonia effodi idem auctor tradidit. His vero cum terris, quae tactu quoque ab aliis Bolis, nunc recenſendis, differre videntur, niſi accurate conueniat, iisdem tamen quam maxime ſimilis eſt [t]:

I, Terra farinacea alba, ex monte farinae, *Mehlberg* dicto, prope Kliecken, pagum ad Albim ſitum, tractus Serueſtani, quam SCHROECKIVS farinam mineralem appellat [v].

Alia eſt

α) Alba, purior.

β) Impurior, in cinereum colorem vergens.

II. Bolus albus officinarum, ad quem ex noſtris terris ſequentes referendae erunt:

α) Bolus albus Goldbergenſis; terra ſigillata candida; Bolus candidus Lignicenſis; terra ſigillata Goldbergenſis; axungia lunae chemicis; *weiſe Sigillata; Liegniſche geſiegelte Erde*, cognomina ſunt, quae SCHWENCKFELDIVS [x] recenſet, qui ad Goldbergam in Lygiis et Stregonium eum reperiri ait. Prope Goldbergam in ducatu Lignicenſi illa eruitur, et prima eſſe videtur, quam BERTHOLDVS AB OSCHATZ poſt

r) In Muſ. Metallic. Lib. II cap. 18 pag. 271.

s) Vid. FRID. HOFFMANNI Clauis Pharmaceutica Schroederiana Lib. III cap. 2 pag. 138. Halae 1675, 4to. et ETTMVLLER. Oper. Tom. I Coll. Pharmac. in SCHROED. de Terr. Medic. cap. 2 part. 8.

t) LEMERY Diction. de Drogues ſimples, p. 337. Iournal des Sauans Tom. VI Anno 1678 pag. 96.

v) Miſc. Nat. Curioſ. Decur. III Anno 7 et 8 Obſ. 209. pag. 353. Conf. quoque *Breſlauiſche Sammlungen*, *Verſuch* XI pag. 196 ſq.

x) Stirp. et Foſſil. Sileſ. Catalog. Lib. III pag. 397.

post inuentam a MONTANO Strigonienſem terram ſigillo donauit, et vt huic virtutes, quae ab auro expectandae ſunt, quod ineſſe autumabant, adiudicatae ſunt, ſic noſtrae Goldbergenſi argenti vires adſcripſit. Inde et eſt, quod SCHWENCKFELDIVS [y] aſſerat, eam quoque *colore albo eſſe, et ex argento oriri; agnatam et ingenitam cum argento vim et virtutem in medendo ſortiri*, id, quod multi inſuper [z], qui poſt eum medicam hanc terram deſcripſerunt, eiusque vires fuſius declararunt [a], affirmare conantur. Si dicendum, quod res eſt, omnes colore tantum decepti fuerunt, cum chemicum examen ne veſtigium quidem argenti oſtendat.

β) Bolus albus Roechlicenſis.
Cum praecedente conuenit, et ad pagum Roechlitz, in ducatu Lignicenſi, effoditur.

γ) Bolus albus Bruſnicenſis, praecedenti ſimilis, qui noſtris tamen temporibus Bruſnicii, pago inter Goldbergam et Iauorium ſito, non amplius occurrit, licet non hanc tantum, ſed alias quoque luteas et variegatas olim ibidem inuentas terras, auctores deſcribant [b].

δ) Bolus albus Reppersdorfienſis, ad pagum, in ducatu Iauorino ſitum, reperitur, et cum praecedentibus conuenit.

ε) Bolus albus officinarum noſtrarum.
Vtrum Sileſiacus ſit, an Bohemicus, vt incertum, determinare non audeo.

ζ) Bolus albus Caſſelanus, in glebas cubicas compactus.
Hic denſior paulo eſt et argillaceus quaſi apparet, ſed, cum gleba * ſtatu naturali deflectens, mutata eſſe videatur, a praecedentibus eam ſeiungere nolui.

η) Bolus albus Maslenſis.
Hunc Bolum ex Morochto IV. I. praeparari, HERMANNVS [c] autumat, ſed, cum gleba noſtra praeter id, quod natiua eſſe videatur, cum acidis non efferueſcat, et bolarem prorſus indolem referat iure eam hunc locum mereri putauimus.

θ) Bolus albus Zwickauienſis.
Terra haec adeo pura eſt, vt pro terra lota eam habeamus, Boli tamen notas egregie oſtendit.

ι) Bolus albus Badenſis, ex Heluetia miſſus, cum praecedentibus, Roechlicenſi in primis, exacte conuenit.

κ) Terra bolaris Waldenburgica.
Haec non tam alba eſt, vt praecedentes, ſed non nihil luteolas moleculas inſperſas habet, in genere tamen alba eſt, et degentes ibidem ruſtici hac terra, loco calcis extinctae ad parietes dealbandos vtuntur. Terrae praeter ea pinguis, albae, ibi reperiundae, et tingendo aptae ALBINVS [d] meminit.

λ) Arena Poenigenſis alba, terra alba bolari commixta, quae ad praecedentes quoque quam proxime accedit.

IV. Bolus cinereus, cum acidis efferueſcens.

* Gleba eſt Caſſelana cubica et forte lota, qua etiam de cauſſa nihil de eius materia addere mihi licet.

V. Bolus

y) Loc. cit.

z) NICOL. HENELIVS in Sileſiograph. cap. 3 § 49 pag. 366. IONSTON Notit. Regn. Mineral. Tit. II c. 1 pag. 13. WORMIVS in Muſ. Lib. I Sect. I cap. 4 pag. 10. IO. SCHROEDERVS in Pharmacopoeia Medic. Chym. Lib. III cap. 2 pag. 309. edit PETR. ROMMELII Vlmae 1705 et CHARLETON de var. Foſſil generib. p. 5. FR. HOFFMANN Clau. Schroed. Lib. III cap. 2 p. 132 et alii.

a) NIC. AGERIVS in GVALT. HERM. RYFS *ausgeriſtete deutſche Apothecke, 2 Theil*, pag. 69. CONR. KHVNRATH *edelſtes Kleinod menſchlicher Geſundheit, oder Deſtilir- und Artzney-Kunſt, II Th.* pag. 294. IO. COLERI *Hausbuch VI Th. XVII Buch* cap. 108 pag. 769.

b) SCHWENCKFELD loc. cit. p. 395. Id. *Beſchreibung des Hirſchberger Warmbads*, pag. 181. IACOBI Diſſ. de Terr. Med. Sileſ. § 15. VOLCKMANN. Sil. Subterr. pag. 281.

c) In Maslograph. Sileſ. P. II cap. 3 p. 189.

d) *In der Meiſniſchen Berg-Chronick* p. 176.

V. Bolus cinereus, mollis, cum acidis non efferuescens.

Quod Bolus vulgaris albus, vel a nigrica, vel ab alia adueniente minera colorem cinereum, in nigrum fere vergentem acquisiuerit, propius a veritate abesse videtur.

I. Bolus cinerei coloris, Waldenburgicus.

Hic alio loco effoditur, quam III. II. α. descriptus, a quo, ob colorem in primis cinereum et lamellatas talcosas particulas interspersas distingui debet.

II. Bolus cinereus, purior, Iluensis.

Hic, vt praecedens, tactu admodum pinguis est. Optimam huius terrae descriptionem CHIOCCVS [e] exhibuit, quae, vt hic inseratur, prae reliquis digna est visa: *Adest*, inquit, *praeter ea et aliud terrae genus, ex hac insula effossum, cuius color albus ad cineritium vergit; puluerulenta et raritatis particeps est haec terra, nec non mollissima, et ita lubrica, vt tangentium manus veluti perungat: Hac, ob absterſiuam facultatem, insulani saponis loco vtuntur, et quae etiam terrae Chiae vires subire potest* [f]. Nostra terra vere cinerea est, eam tamen ex colore albo sensim in cinereum mutari, ex eo perspicimus, quod gleba alba I. III. cinereas maculas interspersas ostendat.

III. Terra bolaris, cinerea, in venis saxosis salinarum Bactiacarum, quae sub Bernensium potestate sunt, reperta.

IV. Bolus cinereus, Goslarienſis.

V. Bolus cinereus, *Bleyfarbe*, ad pagum *Ober-Rabenstein*, in praefectura Chemnicensi situm, inuentus.

Coloris paulo obscurioris est.

α) Gleba naturalis et cruda.

β) Gleba praeparata, solida.

γ) Gleba praeparata, in pollinem redacta.

VI. Bolaris nigricans terra, quae magnesiam comminutam continet, vnde, si coniecturae locus conceditur, obscurus ille color originem traxit.

VII. Gleba cubica, bolaris, cinerea, Casselana et altera magis nigra.

VIII. Bolus cinereus, nigricans, ad pagum *Burckhartsdorf*, in praefectura Chemnicensi effossus.

VI. Bolus compactus, albus, cum acidis efferuescens.

* Gleba ex antro lapicidinae schisti nigri Glaroensium desumta, Margae sub nomine transmissa fuit.

Coloris est subcinerei et id quidem ob schisti, in eodem loco generati, vicinitatem. Eam hic adduximus, cum clare inde pateſcat, terram bolarem puram, in montium rimas depositam et condensatam Margae naturam imitari posse. Noluimus tamen hanc terram, neque ad Morochtum, neque ad Margas referre, quod Bolo illa simillima conspiciatur.

VII. Bolus compactus, albus, cum acidis non efferuescens.

Ad hanc speciem pertinent:

I. Gleba alba, bolaris, minime arenosa, ex incognito nobis loco apportata.

II. Terra

e) In Mus. Calceolar. Sect. II pag. 122.

f) Eandem terram describunt ALDROVANDVS in Mus. Metall. Lib. II cap. 18 pag. 271. CAESALPINVS de Metall. Lib. I cap. 11 pag. 32. WORMIVS in Mus. Lib. I Sect. I cap. 4 pag. 8 qui eam ad Smectidem referri posse asserit.

II. Terra Vicentina.

Haec alba et pura eſt, et contrita lapidoſa quodam modo eſſe videtur, aquae tamen immiſſa, vt aliae Boli ſpecies omnis emollitur. Hanc terram Vicentinam, Fionetto de Scio dictam, Chiae ſimilem eſſe IONSTONVS [g] auctor eſt.

III. Gleba bolaris, denſa, praecedenti ſimilis, quae prope *Heckendorf* ad Glaucham Oſterlandiae eruitur.

VIII. Bolus compactus, variegatus, cum acidis non effervescens.

Tanta, quoad colorem, in hac Boli ſpecie obſeruatur diuerſitas, vt in qualibet ſaepius gleba diſcrepans a reliquis color reperiatur, plura tamen harum terrarum exempla, materia inter ſe conuenientia, licet colore quodam modo differant, ad vnam et eandem ſpeciem potius referre, quam ſpecierum numerum praeter neceſſitatem augere volui.

I. Bolus Florentinus.

Licet hic Bolus Florentinus cognominetur, Florentiis tamen non eruitur, ſed in ditione tantum magni ducis Hetruriae, in Ilua nimirum et Lilio inſulis, reperitur. CHIOCCVS ſimilem commemorat glebam [h], coloris pallide flaueſcentis, rubris quibusdam, ſed paruis maculis conſpicuam, quas tamen in noſtris glebis non obſeruamus, IONSTONVS [i] denique albam, maculis ferrugineis inſignitam, vel ſubluteam, quam albae maculae perreptant, deſcribit.

Sequentes huius terrae glebae a nobis nominandae nunc veniunt:

α) Gleba prima, quae alba dicta fuit, licet quodam modo flaueſcat.

β) Gleba altera, luteola dicta, in rubellum magis colorem vergens.

γ) Gleba tertia, ſub terrae Lemniae verae nomine a BOCCONE miſſa, cum praecedente conueniens.

II. Bolus Tettauienſis, luteolus, Florentino pinguior, prope Glaucham Oſterlandiae in lapicidinis, Tettauiae proximis, repertus.

III. Terra bolaris, Sileſiaca, purior, ex luteo, albo et violaceo colore variegata.

IV. Terra bolaris, Penſyluanica, ex America boreali, tenerior, ex fuſco, luteo et violaceo egregie variegata.

V. Bolus Egliſouienſis.

In tractu Tigurino, ad oppidulum Egliſau dictum, terram teneram, bolarem effodi, SCHEVCHZERVS refert [k], ſimulque medicis illam et aliis vſibus aptam eſſe, figulosque Scaphuſanos hac terra, ad colores vaſis terreis imprimendos vti, tradit, licet naturalem eius colorem taceat. Nobis duae glebae ſunt:

α) Ex violaceo rufeſcens.

β) Violacea.

Ambae duriores paulo eſſe videntur, aqua tamen facile emolliri poſſunt.

VI. Bolus Baruthinus, violaceus.

Argillae ſimilis eſt, ſed aquam copioſam abſorbet, in paſtam tamen tenacem non permutatur.

VII. Terra bolaris, ex albo et rubro variegata.

α) Gleba Siberienſis, ex albis et rubris ſtriis compoſita, dura, non nihil lapidoſa, quam nomine Gumowfszoi Radniz inſignitam accepimus.

β) Gleba

g) Not. Regn. Mineral. Tit. II cap. I pag. 10.

h) In Muſ. Calceolar. Sect. II pag. 122.

i) Loc. cit. pag. 13. Vid. quoque LVDOVICVS MOSCARDVS in Muſ. Lib. II cap. 91 pag. 165.

k) *In der Natur - Geſchichte der Schweitz, 2 Theil*, pag. 176.

β) Gleba Anglica, ex Comitatu Northamtonienſi, non lamellata.
Eſt materia bolaris alba, denſa, maculas et ſtrias rubras immiſtas oſtendens.

VIII. Terra bolaris, lamellata, purpuraſcens, tenuiſſimis ſtriis albis interſperſis notata, cuius quidem natalem locum ignoramus.
Haec pinguis admodum eſt, et licet tactu dura appareat, in aqua tamen facile diſſoluitur.

IX. Terra bolaris, arenoſa, ex rubro, albo et violaceo variegata, prope Blanckenburgum, in magnis ſtratis decurrens, effoſſa,
Haec quodam modo lapidoſa eſt.

IX. Bolus mollis, Ochra martiali tinctus, cum acidis non efferuescens.

Huc referuntur:

I. Bolus, Ochra tinctus, Waldenburgenſis, colorem luteum vel coriis vel parietibus inducendi aptiſſimus.
Cretam mollem, luteam, Waldenburgenſem ALBINVS [l] et MARTIN. RVLANDVS [m] commemorant, noſtra vero terra parum habet firmitatis et pinguis admodum deprehenditur.

II. Terra lutea, Iluana, coloris citrini.

III. Ochra Goslarienſis, cuius color inſigniter quoque luteus eſt. Haec tamen, et praecedens gleba, ſicciores ſunt.

IV. Bolus luteus, Reppersdorfienſis, ad pagum, ducatus Iauorini in Sileſia, effoſſus.

V. Bolus luteus, Rocchlicenſis.
Conuenit cum III. II. β. pallide luteo colore tinctus inuenitur et maſſulas albas interſperſas habet.
* Bolus pallide luteus, ſtriis albis, ſparſim interpoſitis, notatus, ſimilis praecedenti. Locus, vbi reperiatur, incertus eſt.

VI. Bolus luteus, Bruſnicenſis.
Vide III. II. γ. vbi etiam lutei interſperſi Boli mentionem faciunt auctores. Glebae in globulos formatae ſunt.

VII. Bolus luteus, ad pagum *Ober-Rabenſtein*, in praefectura Chemnicenſi, effoſſus.
α) Gleba ex luteo rufeſcens.
1) Terra cruda.
2) Lota et praeparata.
β) Gleba lutea.
1) Terra cruda.
2) Praeparata.

VIII. Bolus luteus, Caſſelanus.
α) Gleba cubica, praeparata.
β) Terra praeparata, farinacea, praecedente paulo obſcurior.

IX. Bolus pallide luteus, ad pagum *Burckhartsdorf*, in praefectura Chemnicenſi, repertus.

X. Bolus luteus, ex ſylua Grünhaynenſi, in tractu metallifero Saxoniae ſuperioris.

XI. Bolus ex luteo fuſcus, Annabergicus, ex monte, Pila dicto, effoſſus.
α) Terra impura, arenoſa, mox ſub humo latens.
β) Terra purior et pinguior, praecedenti interpoſita, quae tingendis muris adhibetur.

Argillam

l) *In der Meiſsniſchen Berg-Chronick* pag. 176.

m) In Lexico Alchemiæ, pag. 176.

Argillam fuluam, Annabergicam, ex Pila monte KENTMANNVS [n] et ALBINVS [o] deſcribunt, ſed noſtra terra, cum tenacitate deſtituatur, ad Argillas referri non poteſt.

XII. Bolus luteus, ſub nomine Ochrae Franckenhuſanae exhibitus.

Ad Ochram Salfeldenſem Morochtus XI. II. accedit, quoniam vero Morochto paulo pinguior eſt haec terra, eam inter Bolos referendam eſſe putauimus.

XIII. Bolus luteus, ſub titulo Ochrae Viennenſis miſſus.

In his omnibus inſignis obſeruatur colorum diuerſitas, prima varietas maxime pinguis eſt, ita, vt ſola ſpeciem quaſi conſtituere videatur, reliquae plus minus pingues inuentae, dubitationem ſaepe menti iniiciunt, num ad Morochtum, an ad Bolum referendae ſint. Permultis, quae mox ſub humo collocatae reperiuntur, aliquid etiam humi immiſceri, haud absque omni veritatis ſpecie ſuſpicari licet. In genere hic moneo, a tinctura luteae Ochrae maiorem aut minorem terrarum ſiccitatem non prouenire, et leuitatis, raritatis aeque ac denſitatis notas in diuerſis crudae terrae fruſtis valdopere variare; glebas denique minoris conſiſtentiae, lamellatas, pingues ac arenoſas, eodem modo vt macras, ad nitidas picturas vſurpari non poſſe, omnes tamen lotura pingendo aptiores reddi.

X. Bolus denſior, Ochra martiali tinctus, cum acidis non effervescens.

Inter praecedentis ſpeciei glebas non nullae occurrunt, praeparatione compactae ſatis redditae, quae vero hic recenſentur, omnes crudae adhuc ſunt.

I. Bolus luteus, Martisburgenſis, in diuerſis ſtratis, natura et colore a ſe inuicem discrepantibus, venisque, arenae candidiſſimae interſperſis, deprehenditur.
In noſtra, quam examinauimus, gleba, media ſtrata arenoſa, lapidoſa et denſa ſunt, quae Bolum duriorem ſuperius et inferius adhaerentem habent, extima vero ſuperficies terram ſimilem albam, luteae ſuperinductam eſſe oſtendit.

II. Bolus luteus, Caſſelanus.
Hic difficulter in aqua ſoluitur. An gleba cruda ſit IX. VIII. determinare non ſuſtinemus.

III. Bolaris terra lutea, in lapicidina, quae Galgenbergica vocatur, Hildeſiae reperta, lapidibus adhaerens.
Haec priori difficilius, vel prorſus non ſoluitur, et niſi ſummam cum praecedentibus aleret conuenientiam, ad dubias terras referenda eſſet.

IV. Bolaris terra lutea, lapidoſa, Halenſis, prope arcem *Moritzburg*, ad propugnaculi radicem, quod fluuius Sala alluit, occurrens.
Eſt ſaxum poroſum, cui haec terra lutea, bolaris interſperſa eſt.

XI. Bolus mollis, viridis, cum acidis non efferueſcens.

* Ad pagum *Hartmannsdorf*, in praefectura Zwickauienſi, in ſtratis, ſub humo ſtatim decurrentibus, inuenitur.

XII. Bolus

n) Nomenclat. Rerum Foſſilium, pag. 5.

o) *In der Meiſsniſchen Berg-Chronick* pag. 174.

XII. Bolus ruber, mollis, cum acidis efferuescens.

* Terra huc relata puluis est ruber, sub terrae Alexandrinae nomine exhibita. Rubricae fabrilis Aegyptiacae DIOSCORIDES [p] et ORIBASIVS [q] mentionem faciunt, eamque friabilem dicunt. An vero nostram terram ante oculos habuerint, dubium est, illa certe ad Bolum, quoad externum habitum, quam proxime accedit.

XIII. Bolus densior, rubicundus, cum acidis efferuescens.

* Terra Fichtelbergensis.

Stratum lamellatum exhibet, quod venas luteolas hinc inde ostendit. Nisi efferuesceret, cum sequenti specie eam coniunxissem.

XIV. Bolus ruber, tactu laeuis, tenerior, cum acidis non effervescens.

Omnem Bolum tactu laeuem et pinguem esse, supra iam demonstrauimus, ipsam vero hanc, characteristicam dictam, generis notam in ea, quam nunc pertractamus, specie denuo adhibendam esse putauimus, tum quoniam, quoad gradum in primis hic obseruatur diuersitas, ita, vt quidam Boli pingues admodum laeuesque sint, alii contra dictis affectionibus minus gaudeant, licet nulla Boli gleba prorsus iis destituatur, tum, quoniam crocus martis, in Bolo rubro conspicuus, aliquam vt plurimum siccitatem terrae, cui admiscetur, conciliat.

In Armeno prae reliquis Bolo, antea recensitae notae, vt insignes notari merentur. De hac itaque, ab omnibus fere rerum naturalium scriptoribus, multis et amplis laudibus celebrata terra, quaedam in praesenti monere liceat, ne, speciali hunc Bolum sermone prosecuturi, eum, quem in recensendis terris elegimus, ordinem ipsi turbare videamur. Ex Armeniae illa parte, quae Cappadociae fines attingit, quaedam olim terra allata fuit, quam GALENVS [r] suo iam tempore peste ingruente magno cum successu adhibuit, et pallidam (subintelligit vero rubram) lapidi similem esse dixit, quae tamen in aqua instar calcis dissolui possit. Haec terra Bolus Armenus, Bolus Armena, Armenia, Armeniacaque appellata fuit.

In lingua Armena Zarinacha dicitur, Syris vero Zarnachae nomine venit mons, qui ipsi originem praebet, et prope vrbem Bagana in agro, Agarices dicto, eminet. Relata haecce nomina AETIVS [s] proposuit, quae non nihil mutata ORIBASIVS [t] quoque exhibuit. GALENI, quas supra adduximus, notas Graeci et plures ex veteribus aeque ac recentioribus scriptoribus repetunt, varias tamen insuper addunt, et in colore in primis describendo multum inter se discrepant. AVICENNA enim [u] lutum

p) Lib. V cap. 103.
q) Collect. med. Lib. I cap. 13 sub Tit. Μίλτος.
r) De Simpl. Med. Facult. Lib. IX cap. 1 n. 4 de Terra Samia.
s) Tetrabibl. I Serm. II cap. 12.
t) Medicin. Collect. Lib. XV cap. 10 Tit. Terra.
u) Lib. II Tract. 2 cap. 420 pag. 328 edit. Operum Tom. I Venet. 1564 fol.

tum Armenum, *rubeum, quod declinat ad cineritium* appellat. SERAPION [x] eum *vltra crocitatem ad rubicundeitatem vergere*, barbaro satis sermone asserit. *Bolus Armenia*, inquit MONARDVS [y] *in pallore similis auro, facile solubilis, nihil arenosi in se habens, modice densa et grauis, adeo, vt his, qui non bene considerant, videatur lapis.* LEONHARDVS FVCHSIVS [z] sequentem eius exhibet descriptionem: *Bolus, siue gleba Armenia, Ochrae in modum pallescit, promtissime in summum laeuorem calcis modo soluitur pistillo, aut quouis liquore, arenosaque substantia caret. Commanducata butyri instar liquescere videtur, et in gustu manifestam adstrictionem exhibet,* et paulo post, *quae passim in officinis prostat, cum intense rubeat, legitima esse non potest.* Dictus vero auctor, licet Ochrae colorem nominet, rubentem tamen Bolum esse innuit, comparationem inter vulgarem, qui magis rubet, et Armenum Bolum instituens. Haec descriptio cum ea, quam ALDROVANDVS [a] dedit, conuenit. IOH. PLATEARIVS [b] eam laudat Boli Armeni glebam, *quae rubea est secundum omnes partes, non habens colores distinctos.* Effecit vero ruber Bolo nostro adscriptus color, vt cum aliis confundatur terris, cum quibus de reliquo, cum color internam terrarum indolem non mutet, ratione virium conuenit [c]. Samiae terrae similem eum esse HIEROMYMVS CARDANVS [d] autumat, cuius tamen opinionem IVL. CAES. SCALIGER [e] reiecit. Cum rubrica illum confundit AMATVS LVSITANVS [f], rubricam tamen Synopicam Armeno Bolo similem non esse MATTHIOLVS [g] optime ostendit, qui etiam eum [h], simul cum BRASSAVOLO [i], a terra Lemnia discrepare docet. G. AGRICOLA [k] tamen Bolum nostrum cum terra Lemnia confundit. Sed plane me ignorare profiteor, cur alii colorem rubrum adeo neglexerint, vt Armenum bolum GALENI luteum esse dicant, et hanc terram ad Ochram ferme referre videantur. Ita enim IMPERATVS [l]: *Bolus Armenus*, inquit, *a Galeno descriptus, quique ex Armenia hodie ad nos defertur, Boli flaui species est, Ochrae pictorum eadem ratione, qua terra Lemnia, rubricae fabrili respondens,* et CHIOCCVS [m] asserit; *Bolus luteus Galeni, rite lotus et exacte elaboratus, qui tunc temporis ex Armenia ad nos transportatur, Ochrae fossili in colore haud absimilis, qui tamen digitis attri-*

x) De Temp. Simpl. cap. 394.
y) Epist. Medic. Lib. V epist. 3 pag. 52.
z) De Compos. Medicam. Lib. I cap. 19 pag. 87 Tom. I edit. Operum. Francf. 1566 fol.
a) Mus. Metall. Lib. II cap. 18 pag. 269.
b) De Simplici Medicina Lit. B. cap. 2.
c) Vid. ENCELIVS de Re Metallica. Lib. II cap. 26 pag. 133.
d) De Subtilitatib. Lib. V.
e) De Subtilit. Exerc. 94 pag. 331.
f) Comment. in Dioscorid. Libr. V Enarr. 71. Idem cum terra Lemnia. loc. cit. Enart. 73 et CLVSIVS Antidotar. Lib. I pag. 11. b.
g) In Epist. Lib. III Edit. Oper. BAVHINI. pag. 133.
h) Comment. in Dioscorid. Libr. V cap. 73 pag. 938.
i) Examen Simpl. Med. pag. 575. qui liber prae reliquis legi meretur, cum et notas, quas characteristicas dicunt, et diuersas veterum sententias omnium optime proponat.
k) In Bermanno. pag. 699.
l) Hist. Natur. Lib. V cap. 28 pag. 159. CASP. HOFFMANN in Paraleipom. Offic. cap. 46 pag. 29. annex. Lib. de Medicam. Offic. Lugd. Batav. 1738 4t.
m) Mus. Calceolar. Sect. II pag. 110.

attritus ob duram eius conſiſtentiam, et lapidi aequandam, manus neutiquam inquinat, quin imo ſe totum ſplendidum reddit, qui etiam, etſi igni iniectus, non ſecus, ac Ochra, in purpureum mutatur colorem [n], *ob ſubſtantiam tamen argilloſam, quam ab ortu habet, in duritiem maiorem tranſit, quod in Ochra, ob eius conſiſtentiam laxam, non apparet, ab igne etenim friabilis fit et redditur.* Luteo-pallidum quoque colorem Bolo noſtro adſcribit MOSCARDVS [o]. Ex quibus omnibus patere arbitramur, memoratos hactenus auctores terram quandam pro Bolo Armeno aſſumſiſſe, quae ad X magis, quam ad hanc noſtram ſpeciem referri meretur, ita, vt terram bolarem denſam, Ochra tinctam, ſubintelligant. Reliquae enim, a GALENO ipſo et aliis expoſitae, notae Ochrae non competunt.

Sed, cum ex iis, quae ſupra de Ochra diximus, clare pateſcat, quam ambigua veterum ſint vocabula, quibus colorem inter rubrum et luteum medium indicare ſolent [p], his colorum differentiis notandis diutius inhaerere nolo. Medicis ſufficit, vt Bolus purior, ex rubedine pallidus, qui tactu pinguis eſt, et in aqua facile ſoluitur, in officinis adhibeatur. Et, ſi quoque Ochrae vocabulum ambiguum non eſſet, et omnem glebam luteam indicaret, magis tamen ad reliquas terrae notas, quam ad eius colorem reſpiciendum eſſet, in primis, cum a colore virtus vix dependeat, et quantum ad tincturam, a marte prouenientem, attinet, inter rubrum flauumque colorem inſignis obſeruetur conuenientia. SARACENVS [q] Bolum et verum quidem ſe vidiſſe ait, *qui aromaticum quiddam odore et ſapore prae ſe ferebat,* ſed cum alii auctores nullam huius rei mentionem faciant, terram forte aromate quodam mutatam nactus eſt. Multi deinde, GALENI auctoritatem ſecuti, lapidem Armenum hanc terram dixerunt, praeter id tamen, quod ab ipſo GALENO aliisque exhibitae notae terreſtri tantum corpori competant, verus quoque Armenus lapis, IOSEPHO DONZELLI annotante [r], viridis eſt, vt inde cum terra noſtra nulla ratione pro vno eodemque haberi poſſit. Terra natiua, pura, praeſtantior longe habetur, licet impurior quoque per loturam a ſordibus purgata, easdem forte in medendo vires poſſideat.

Fuerunt inſuper non nulli, qui, cum in Bolo Armeno, recentioribus temporibus vendito, tantas vires, quantas veteres ipſi adſcripſerunt, non detegerent, nos Bolo Armeno vero veterum prorſus deſtitutos eſſe crederent, quibus in primis HORATIVS AVGENIVS [s] adſtipulatur; quilibet tamen primo ſtatim intuitu perſpicit, terras pingues, eadem, vt reliqua

n) Conf. WORMIVS in Muſ. Sect. I cap. 4 pag. 12.
o) In Muſ. Lib. II cap. 87.
p) Vid. CLAVDIVS SALMASIVS in Exercit. Plinian. To. II cap. 53 pag. 811 ſeq. et in Exercitat. Hyles Iatricae cap. 119 pag. 218.
q) De Peſte praecauenda pag. 202.
r) In Theatr. Farmaceutico. Part. II cap. del Bolo Armen. pag. 189.
s) In Tract. de Peſte Lib. III cap. 20.

reliqua medicamenta, ratione, non ſemper effectum, quem alii de iis commemorant, praeſtare, accedit, quod GALENVS ipſe profiteatur, non omnes Boli Armeni vſu fuiſſe ſanatos, ita, vt ſupra deſcriptae terrae ſimilis, omnino in medicina ſubſtitui poſſe, affirmare haud dubitemus.

Ad praeparationem huius Boli quod attinet, purior terra nulla indigere videtur, impurior vero, in aqua ſolui, et poſtquam conquieuit, ad fundum vaſis delapſa, colligi iterum poteſt [t]. Alii acetum affundunt, quo tamen opus eſſe non arbitramur. Modum hanc medicinam exhibendi GALENVS [u] ita deſcribit, *bibitur*, inquit, *cum vino tenui diluto, ſin febricitat, cum aqua*, cui ſententiae quoque PAVLVS AEGINETA [x] ſuum addit calculum. AVICENNA [y] vero, vinum Boli virtutem ad cor deducere ait. IO. CASTELLVS [z] denique oxalidis aquam et vini albi partem cum Bolo commiſcendam eſſe arbitratur.

Prius vero quam de viribus huius terrae mentem meam explicem, pauca adhuc de aliis, quae ad noſtram accedunt, terris, in medium proferenda ſunt. Bolus Orientalis, cuius nonnulli mentionem faciunt, cum a plurimis tanquam ſynonymum aſſumatur [a], et iisdem fere notis inſigniatur, ad noſtrum Bolum iure meritoque referendus eſt [b], quamuis CLVSIVS [c] inter vtrumque conſtituat differentiam, ita differens: *Bolus Armena hodie duorum eſt generum, alterum orientale, alterum noſtras, quod multis locis naſcitur, vbi ſunt ferri fodinae.* Et THEODORVS CORBEIVS [d] aeque ac ZACVTVS LVSITANVS [e] aſſumtam hanc diſtinctionem fuſius explicare et vlterius confirmare conentur. MATTAEVS SYLVATICVS [f] Bolum Romanum terrae venam nominat, quae praecipue in Armenia reperiatur, ad noſtram ideo terram inſimul reducenda eſt. De Bolo luteo Theophraſti CHIOCCVS [g], poſtquam de Bolo luteo Galeni dixerat, monet, eum obſcuriorem referre colorem, quae differentia non tanti certe eſt, vt hae duae terrarum ſpecies a ſe inuicem ſeiungendae ſint.

Ab omnibus ferme modo nominatis et aliis quoque auctoribus [h] terrae noſtrae vires in diarrhaea, dyſenteria, omnibusque haemorrhagiis ob

t) IOH. CRATO A KRAFFTHEIM in Epiſt. ad IOACHIMVM CAMERARIVM vid. LAVRENTII SCHOLTZII Volum. Epiſtol. Epiſt. 107 pag. 189.

u) De Simpl. Med. Facultat. Lib. IX.

x) De Re Medica Lib. VII cap. 3 ſub Tit. γῆ. Vid. GVILIELM. VARIGNANA de Curandis Morbis Lib. II cap. 11.

y) Oper. To. I Lib. II Tract. 2 cap. 421.

z) Tract. de Peſte cap. 19 pag. 169.

a) CHARLETON de Var. Foſſil. Gener. pag. 5. ELIAS BONVINIVS Lib. de Theriaca Sect. II cap. 34 pag. 97. POTERIVS Pharmacop. Spagyr. Lib. II cap. 4 p. 522. ex Edit. FRID. HOFFMANNI.

b) ALDROVANDVS Muſ. Metall. Lib. II cap. 18 pag. 271. ſolus forte eſt, qui Bolo Orientali amethiſtinum colorem, quem pavonazzo vulgo vocant, adſcripſit.

c) Antidot. Lib. I pag. 11 [b].

d) Pharmacia bipartita Claſſ. II Sect. I de terris et foſſilibus. pag. 424 Francf. 1656 4t.

e) De Medic. Princip. Lib. IV Hiſt. 51 edit. Opp. Lugd. 1649 Tom. I pag. 775.

f) Oper. Pandect. ſub Tit. Bolus.

g) Muſ. Calceolar. Sect. II pag. 110.

h) vid. FERNELIVS in Meth. Med. Lib V cap. 21 Lib. VI cap. 3 et 16. et RODERICVS à FONSECA Meth. curandi febres pag. 198 ſeq.

ob vim exſiccantem et adſtringentem multis celebrantur encomiis, quin imo in phthiſi variisque morbis externis ob ſimiles virtutes et poteſtatem in primis vlcera exſiccandi commendatur. Poſt GALENI tempora ab omnibus fere medicis in peſte, tanquam alexipharmacum medicamentum exhibita fuit, et omnem venenorum virulentiam vnico hoc dato medicamine infringi poſſe haud pauci ſunt, qui crediderunt [i]. Contra difficile aſthma GVILIELMVS VARIGNANA [k] tanta fiducia eam commendat, vt aſſerat, *qui hac medicina non ſanatur, nulla alia ſanabitur.* MARSILIVS FICINVS [l] in aliis venenis terram ſigillatam Lemniam, in peſte vero Armenum Bolum ſuadet, quem LAVRENTIVS IOVBERTVS [m] in peſte ad ſuffimigia quoque adhiberi poſſe docet. In his autem et aliis, huic terrae adſcriptis virtutibus, fuſius diſquirendis, cum fida experientia deſtituamur, hinc quid verum, quidque falſum ſit affirmare non valeamus, longius in praeſenti inhaerere non licet. In viam potius, a qua paululum deflexi-mus, regrediendum, et terrarum, quae in Regio Muſeo aſſeruantur, enumeratio continuanda eſt.

Ad rubras easque nobiliores bolares terras, quae, licet ad Margas ob aliquam denſitatem ex parte accedant, ad noſtram tamen pertinent ſpeciem, referendae ſunt:

I. Bolus Armenus verus officinarum, de quo in antecedentibus diximus:
Variantes huius terrae glebae ſunt:

α) Gleba pura, rubro pallida, ad luteum vergens colorem, tactu pinguis, digitos leuiter inquinans, et in aqua facile ſolubilis.

β) Gleba alia, praecedenti ſimilis, quae magis natiua, non lota eſſe videtur.

γ) Gleba Dalmatica rubella, lota, formam tabulae quadratae referens.
Haec non admodum rubet, ſed magis adhuc ad luteolum colorem accedit, caeteroquin praecedenti ſimilis.

II. Bolus ex Moenchenſteinenſi agro, qui ſub Baſileenſi poteſtate eſt, ad nos allatus.
De hoc ſequentes enumerari debent diſcrepantes glebae:

α) Glebae variae ex rubro pallidae, non nihil liueſcentes, quae ad Bolum Armenum propius accedunt, et ideo hunc locum obtinuerunt.

β) Gleba purpurea, obſcurior, irregulari modo lamellata, quae ob denſitatem Margis purioribus ſimilis, Bolum duriorem ſiſtit.
Hanc glebam IOHANNES GESNERVS, Tigurinus Profeſſor, ex ſaxis, ad arcem Moenchenſtein ſitis, ipſe collegit.

γ) Gleba lutea, non admodum pinguis, ſed ſatis denſa, quam ex muſeo Muraltiano accepit et nobiſcum communicauit modo nominatus GESNERVS.
Ex his ſecundam veram eſſe patet. SCHEVCHZERVS [n] terrae bolaris rubrae, quae in dyſenteriis et febribus ardentibus adhibeatur, mentionem facit.

III. Bolus

i) BERNHARD. GORDONIVS in Opere Lilium Medicinae inſcripto P. I cap. 13. HIERONYMVS MERCVRIALIS de Venenis Lib. I cap. 18 et 22.
k) De Curand. Morb. Lib. II cap. 11.
l) Tract. de Epidem. Morb. cap. 8.
m) Lib. de Peſte cap. 11.
n) *Natur-Geſchichte des Schweitzerlandes* P. II pag. 179. Bolum Moenchenſteinenſem quoque habent Miſc. Nat. Cur. Dec. II Ann. 8 obſerv. 143 pag. 303. et EMAN. KOENIGIVS in Regn. Mineral. Special. Sect. IV Part. III cap. 2 pag. 395.

III. Bolus Toccauienſis.

Sequentia huius terrae exempla nominamus:

α) Glebam ex rubro fuſcam, puram, praecedentibus praeter colorem ſimilem, quae, vt videtur, natiua eſt.

β) Glebam ex rubro fuſcam, impuriorem, arenoſam.

Terra Tockauienſis, Tookienſis, Tocaenſis, Toccaienſis, Tokaika, Bolus rufus a IOANNE CRATONE a KRAFFTHEIM [o], qui illo in magna peſte Viennenſi felici cum ſucceſſu vſus fuit [p], appellatur. Plurimi poſtea hiſtoriae naturalis et praxeos medicae ſcriptores hanc terram laudarunt, peculiarem vero de ea tractatum conſcripſit DANIEL FISCHERVS [q], ex quo, ſubnexis aliorum auctorum ſententiis, primarias eius affectiones repetemus.

Variae ſunt terrae, quae circa Tockaium Hungariae ſuperioris oppidum effodiuntur [r]. Prima ex illis [s] in vineto quodam ad occidentem oppidi poſito, tactu valde pinguis [t] et in ſtratis diſpoſita deprehenditur, ratione coloris ita variat, vt alba minora, rubra vero ampliora ſtrata efficiat, et, licet adeo pinguis ſit, maxime tamen friabilis quoque obſeruatur, ita tamen, vt vnum ſtratum ab altero ſeiungi non poſſit, ſed una eademque terra eſſe videatur. In rubicundo ſtrato puncta alba, in alba vero nulla ruboris veſtigia conſpiciuntur. Similem huic terrae glebam in noſtris non inuenimus. Altera terra [u] in parte oppidi, quae verſus ſeptentrionem ſpectat, impura, arenoſa, ex atro rubens inuenitur, quae vt praecedens pinguis eſt, et cum gleba noſtra impuriore (β), a Cel. FISCHERO miſſa conuenit, licet cum eius deſcriptione non in omnibus comparari queat momentis. Gleba noſtra (α) purior eſt, aliam vero huic quodam modo ſimilem inter Margas nominabimus. Laudatus inſuper auctor [x] huic aeque ac priori terrae notabilem, cum aqua forti et ſpiritu ſalis in primis, efferueſcentiam, leuiorem cum aceto, cum ſpiritu nitri exiguam, cum ſpiritu vitrioli ferme nullam adſcribit, ſed cum hae glebae in aqua quoque efferueſcentiam, ſeu motum quendam lenem producant, dictum hunc

o) In Commentar. de vera praecauendi et curandi febrem peſtilentem et contagioſam ratione pag. 532.

p) Vid. IO. CRATONIS Epiſt. ad IOACHIMVM CAMERARIVM in Epiſt. LAVR. SCHVLTZII pag. 227, et IOACHIM. CAMERARIVS de Bolo Armena.

q) Tractat. Phyſ. Med. de Terra medicinali Tokaienſi a chemicis quibusdam pro ſolari habita. Vratislav. 1732. 4.

r) Tockaium Tranſyluaniae oppidum eſſe falſo aſſerunt WORMIVS in Muſ. pag. II. OLIGER IACOBAEVS Muſ. Reg. Dan. pag. 39. CHARLETON de Var. Foſſil. Gener. pag. 5. et FRID. HOFFMANNVS in Clav. Pharmaceut. Schroederi Lib. III cap. 2 pag. 134.

s) FISCHERVS loc. cit. § 27.

t) THOM. IORDANVS de Peſtis phaenomenis Tract. III pag. 596 Francf. 1576. 8 et ALDROVANDVS in Muſ. Metallic. pag. 271 glebam rubram Toccauienſem olei inſtar ex cauernis exſtillare, & aeri deinde expoſitam in cretaceam ſubſtantiam indurari aſſerunt; quod tamen phaenomenon incertum adhuc eſſe videtur, in primis cum nihil oleoſi, ſed potius mucilaginoſi quid in his terris inueniatur, id, quod inſtituto experimento cognouit FISCHERVS § 31 dum non verum oleum ſed mucilaginem ſuperficiei aquae inhaerentem et in vaſis fundo cum terreis aliis particulis ſubſidentem conſpexit.

u) loc. cit. § 28.

x) § 31, 32.

hunc motum diſſolutionem potius, et exortum in ea ſtrepitum, quam veram ſalium contrariorum efferueſcentiam, quam vltimam, ne vllo quidem experimento, vt in reliquis huius ſpeciei terris cognoſcere potuimus, appellandum eſſe cenſemus. Nec in exigua, quae mihi fuit, terrae copia, quale ſit ſal illud nitroſo vitriolicum, a FISCHERO [y] expoſitum, diſquirere potui. Tertia huius terrae ſpecies [z] in loco a praecedenti parum remoto, reperitur, ex albo rubet et friabilis eſt, digitis tractata eosdem inquinat, et aſpera eſſe videtur, nec quicquam vnguinoſi admixtum habet, fracta denique variegatum colorem exprimit. Huic vero deſcriptioni non reſpondent glebae, ab aliis auctoribus recenſitae, quorum nonnulli terram noſtram cum Bolo Armeno [a] et terra Lemnia [b] conuenire dicunt, alii vero carneum colorem [c] et aromaticum ſaporem [d] eidem adſcribunt, ita, vt vel alias olim terras, circa Tockaium effoſſas, vel ſuppoſititias, Italis potiſſimum, venditas fuiſſe ſponte ſua ſequi exinde videatur, in primis, cum Germani fere omnes ſcriptores praeter KOENIGIVM rubrum vel rufum colorem de terra noſtra praedicent. Illud quoque, quod aliis ſimilibus terris attribuitur, aurum vel ſolare potius ſulphur, terrae quoque noſtrae adiudicatum fuit [e]. Sed neque rubra ſolaris, neque alba lunaris naturae eſt, vt optime oſtendit FISCHERVS [f], nil enim, niſi partes martiales et arenulae pyriticae ſplendeſcentes, poſt inſtitutum in retorta examen ex capite mortuo eductae fuerunt [g]. Terrae noſtrae vires cum Armeni Boli virtutibus comparatae, contra peſtim, febres continuas, in primis petechiales, venena, philtra, catarrhos, diarrhoeas, dyſenterias, haemorrhagias, a plerisque auctoribus, tanquam ſingulares, venditatas [h], ſaepius nominatus FISCHERVS non prorſus quidem negat, medici tamen in his exhibendis iudicium omni commendatione maius eſſe debere, optime monet, diuerſas auctorum ſententias, ſolares in primis tincturas ex terra Toccauienſi factas acrius et recte quidem perſtringit [i], in modica denique terrae noſtrae laude acquieſcens.

IV. Bolus Ienowitzenſis ſiue Gehnwitzenſis. VOLCKMANNVS *Klein-Gehnewitz* pagum prope Lignitium ſitum, KVNDMANNVS vero *Groſz-Ienowitz*, natalem huius Boli locum nominant, de quo tamen plura dicemus in terrarum, quae ſigillatae appellantur, explicatione ad Tab. II 47, 48, 49. Plurimas glebas Ienowitzenſes inueni, ex quibus nonnullas ad Margas, ſequentes vero ad hanc Boli ſpeciem reieci.

α) Gle-

y) §. 31.
z) §. 29.
a) SCHWENCKFELD. Catalog. Stirp. et Foſſil. Siles. pag. 170. ALDROVANDVS Muſ. Metall. pag. 271. SENNERTVS Epiſt. Phyſ. Lib. V c. 1. WORMIVS loc. cit. IACOBAEVS loc. cit. ROB. BOYLE Exercitat. de Utilit. Philoſ. Natur. Exper. pag. 205.
b) IORDANVS loc. cit.
c) CHIOCCVS in Muſ. Calceolar. Sect. II pag. 111. MOSCARDVS in Muſ. Lib. II cap. 99. KOENIGIVS Regn. Mineral. pag. 403.
d) IMPERATVS in Hiſt. Nat. Lib. V cap. 35 & 46. M. V. RANOVW *Natur en Konſt-Kabinet. 2 Deel* pag. 208.
e) Vid. IO. GEORG. SIEGESBECKIVS in Annal. Med. Phyſic. Vratislavienſ. Anno. 1721 Menſ. Novembr. Claſſ. IV Artic. 15.
f) loc. cit. § 35, 39.
g) § 31.
h) Vid. Auctores varii mox citati.
i) a § 47-70.

α) Gleba fuſca, obſcurior, lamellata.
Lamellae facile diuidendae non ſplendent, ſed paululum tritae laeuitatem ſatis euidentem oſtendunt. Aquae iniecta emollitur et dehiſcit, nullum tamen ſtrepitum edit. Ab hac et ſimilibus terris quidam ad Margas tranſitus obſeruatur.

β) Gleba fuſca, pallida, quodam modo liueſcens, praecedente multo denſior, quae lota forte eſt.

γ) Gleba ſimilis, cubica magis, liueſcens.
Hanc terram ſolarem quoque dicunt et ibidem auri fodinas, vbi nunc occurrit, olim fuiſſe fingunt, omnesque eidem Strigonienſis terrae adfectiones adſcribunt VOLCKMANNVS [k] et IACOBI [l].

V. Bolus ruber, purior, Iluenſis.

FALLOPIVS [m] rubricae mentionem iniicit, quae ex fodinis ferreis Brixienſis agri et Iluae inſulae apportetur et linguae firmiſſime adhaereat. Cum eo CHIOCCVS [n] in deſcriptione terrarum conuenit, ita differens: *Terra et alia Iluana viſitur, quam ob colorem ſaturum rubrum, iecori ſimilem, rubricam Lemniam eſſe dices, in glebas et haec formata, cumque vehementer linguae adhaereat, pinguitudinem illi magnam ineſſe exprimit.*

VI. Bolus ad Curiam Variſcorum repertus, praecedenti valde ſimilis.

XV. Bolus ruber, tactu minus pinguis, cum acidis non effervescens.

Terrae ad hanc ſpeciem pertinentes non quidem tam pingues ſunt, vt praecedentes, cum glebis tamen ſequentis ſpeciei, qua denſitatem non conveniunt.

I. Bolus rufus Lignicenſis.
Recenſendae hic veniunt:

α) Gleba cruda, parum arenoſa.

β) Gleba ſimilis in globulos redacta, in quos formata, vt plurimum venditur.

γ) Gleba Bolus Goldbergenſis inſcripta, quae tamen in omnibus cum Lignicenſi convenit.

δ) Bolus Reppersdorfienſis, ex ducatu Iauorino Sileſiae deſumtus, praecedentibus quodam modo friabilior eſt.

II. Bolus rufus, punctulis albis interſperſis notatus.
Huc pertinent:

α) Bolus ruber Roechlitzenſis, ad pagum Roechlitz in ducatu Lignicenſi effoſſus.

β) Bolus ruber Bruſnicenſis, ex eodem ducatu Lignicenſi.

III. Bolus ruber, Caſſelanus.
Hic paulo pallidior eſt, ad colorem Armeni non nihil accedens, ſed non adeo pinguis.

α) Fragmenta, crudae terrae ſimilia, quae, cum adeo pura ſint, lota non nihil et diffracta eſſe ſuſpicor.

β) Gleba in cubi formam redacta.

γ) Puluis terrae praecedentis tenuiſſimus, nitidum prae ſe ferens colorem.

IV. Terra bolaris Italica, pinguior paulo ſed colore obſcuriore, ferme fuſco, praedita, ſimul cum terris Iluanis ad nos tranſmiſſa.

V. Bolus ruber, pallidior, punctis albis interſperſis notatus.

α) Terra rubra, pallida, ad pagum Rotluf in praefectura Chemnicenſi.

β) Eadem in pollinem contrita, colore elegantiori conſpicua.

VI. Bolus

k) Sileſ. Subterran. cap. 13 § 9, pag. 279.

l) Diſſ. de Terr. Medic. Sileſ. § 24.

m) Tract. de Metallis ſiue Foſſilib. cap. 38 Edit. Opp. pag. 397.

n) Muſ. Calceolar. Sect. II pag. 122.

VI. Bolus ruber pallidior, colorem florum perſicorum referens.

α) Terra ſigillis ſuſcipiendis apta, Maslenſis, rubra.

De hac magis, quam de praecedentibus glebis dubito, num ad Argillas vel Bolos referri debeant, in primis, cum HERMANNVS eandem ex fodinis argillaceis Maslenſibus erui nos doceat [o], ſimulque medici cuiusdam teſtimonium in rei demonſtrationem adducat, qui, ſi ruber color ab argillacea maſſa ſeiungi poſſet, terrae adamicae ſiue Damaſcenae ſimilem illam iudicauit.

β) Terra Altraudenſis, ex ducatu Glogauienſi Sileſiae.

Cum praecedenti conuenit, et tanquam purior, ex fodina argillacea deſumta, ſigillo quoque digna aeſtimata fuit.

VII. Bolus rufus, interſperſis micaceis punctis notatus.

Commemorandae hic ſunt:

α) Terra Magni pluſnicenſis, ex Sileſiae ſuperioris ducatu Oppolienſi, quam et inter ſigillatas habemus. Terra vero natiua lamellata quaſi, vel in ſtrata diſpoſita eſſe videtur, ſuperius aeque ac inferius ſtratum arenoſum eſt, et ob diſperſas hinc inde micaceas particulas ſplendet.

β) Terra rufa, magis arenoſa, ad pagum Rotluf in praefectura Chemnicenſi effoſſa. Puncta micacea minora et pauciora poſſidet, terra vero magis friabilis eſt.

γ) Terra rubra, praecedente pallidior, admodum arenoſa, prope Glaucham Oſterlandiae ad pagum Rothenbach eruta.

XVI. Bolus ruber, denſus, tactu parum pinguis, cum acidis non efferueſcens.

Ea eſt plerisque hiſce terris, ſi tangantur, ſiccitas, vt digitis fricatae lubricae fere non ſentiantur. Earum forte non nullae ad Morochtum referri poſſent, ſed, cum ob denſitatem propius quoque ad Rubricas accedant, aliquid tamen pingue contineant, praecedentibus eas ſpeciebus ſubiungendas eſſe putaui.

I, Bolus ruber, officinarum communis ſiue noſtras.

α) Gleba pallidior paulo, cuius patriam deſignatam non inuenimus.

β) Gleba denſior, quam ex Bohemia ad nos delatam fuiſſe ſuſpicamur.

γ) Bolus ruber, Petzenſteinenſis.

De hac terra ſequentia annotauit BAIERVS [p] *Bolus rubra, vulgari Bohemicae parum cedens, eruitur ad pagum Troſchenreuth, Petzenſteinio, oppido Norimbergenſi propinquum, ditionis Brandenburgico Baruthinae, tanta quidem copia, vt onerandis ſubinde plauſtris ſufficiat, et vili admodum vendatur pretio.*

δ) Terra Goldbergenſis rubra, ob peculiares tantum, quas in huius ſpeciei declaratione exhibuimus, notas, ▪ Bolo XV. I. γ. diuerſa.

ε) Bolus ſiue terra, martialis rubra, ex monte alpino, Sembodea dicto, qui in Vrienſium poteſtate eſt.

ζ) Bolus Jablonenſis, ruber, Bohemicus.

Color eius eſt magis rufus, quam praecedentis.

η) Gleba Bohemica, cubi formam referens.

Haec cum ea, quam ALDROVANDVS [q] et DALE [r] dederunt, deſcriptione conuenit, non tamen, vt illi tradunt, in flauedinem vergit neque croci ſaporem exhibet.

θ) Gleba cubica, Baruthina, praecedenti ſimilis, quae forſitan ad γ. referri deberet.

II. Bolus ruber, qui in aqua difficilius ſoluitur, et ad Rubricam fere accedit.

α) Terra Kulmenſis Bohemica [s].

β) Terra Waldenburgenſis, magis arenoſa, quam praecedens, lamellata ſimul inuenitur.

XVII.

o) In Maslographia Sileſiaca. Part. II cap. 3 p. 189.
p) Oryctograph. Noric. pag. 14.
q) In Muſ. Metall. Lib. II pag. 271.
r) In Pharmacolog. Lib. I Sect. II pag. 19.
s) Vid. eam inter Sigillatas Tab. IV. 17.

XVII. Bolus fuſcus, cum acidis efferueſcens.

* Terra Maldiuienſis, Aſiatica, lamellata eſt et irregulares glebas oſtendit; licet vero tactu parum pinguis reperiatur, non tanta tamen eidem ineſt ſiccitas, vt ad Morochti vel Tripelae ſpecies referri mereatur.

XVIII. Bolus fuſcus, cum acidis non efferueſcens.

α) Terra friabilis, ad pagum *Nieder-Rabenſtein*, in praefectura Chemnicenſi effoſſa. Haec cruda, leuiter tantum pinguis deprehenditur.

β) Eadem praeparata et lota, quae pinguior paulo apparet.

SMECTIS

Cap. II. Gen. IV.

I. Smectis nobilior, variegatus, cum acidis non efferueſcens.

Hanc ſpeciem primo loco commemoro et nobiliorem eam dico, cum omnes huc pertinentes varietates non quidem in paſtam, ſed in ſaponaceum quoddam ſmegma reſolui poſſint, et vel ſtriatae, vel alio modo leuiter coloratae appareant, omnes demum, ſi ex tactu et facie externa iudicentur, ſapones quaſi referant.

Recenſendae hic veniunt:

I. Terra fullonia Anglica, ex Cornubia.
Alba eſt, leuiter rufeſcens, et inſperſas paſſim virideſcentes maculas oſtendit.

II. Terra fullonia Anglica, ex comitatu Northantonienſi.
Haec ex luteo et viridi variegata, marmorea quaſi, conſpicitur.

III. Terra fullonia Roſwinenſis, ad oppidum in praefectura Noſſenſi, effoſſa.
Hanc triplicem, pro ſtratorum differentia, exhibent:

α) Superius ſtratum ex albo et virideſcente colore ſtriatum, ſtriisque latioribus inſignitum eſt.

β) Medium ſtratum priori ſimile, ſtriis tamen anguſtioribus praeditum inuenitur.

γ) Inferius ſtratum album eſt et rubras obſcuras et non nihil virideſcentes maculas, paſſim interſperſas, oſtendit.

IV. Terra Seyferſdorfenſis, prope Roswinium eruta, praecedenti γ. ſimilis, magis tamen rufeſcit.

V. Terra Beyerfeldenſis, ex praefectura Grünhaynenſi, alba, ſtriis maculiſque obſcurioribus paſſim notata.

* Gleba praecedenti ſimilis, ex albo rutilans, forte lota.

II. Smectis variegatus, cum acidis efferueſcens.

* Lutum marmoreum, ex albo, cinereo et rubro colore variegatum, prope Wyningam, comitatus Badenſis, effoſſum.

Cognominata hac ratione terra, luti naturam non habet, ſed ad hanc potius claſſem referenda eſt, mixtionis tamen principia in exigua admodum gleba diſquirere non potuimus, calcaream tantum terram ipſi admixtam eſſe cognouimus.

III. Smectis albus, tactu puluerulentus, cum acidis non efferueſcens.

Refe-

Referendae huc terrae nobiliores Smectidis glebas conſtituunt, album tamen in ſuperficie pollinem, ab indole terrarum, quae ad hoc genus pertinent, alienum oſtendunt.

I. Terra alba, prope Arteram, in comitatu Manſfeldenſi, reperta.

II. Terra Munſterbergenſis ex Sileſia, cum Argilla, ex eodem loco deſumta, de qua paulo poſt dicetur, non confundenda.

III. Terra fullonia Roechlicenſis, prope Goldbergam in Sileſia effoſſa.

Hanc terram RIVINVS in ſchedis manu ſcriptis Cretae ſimilem, aſt non ſatis candidam, magis ponderoſam, pinguem, dulcem quodam modo, linguae adhaerentem eſſe tradit, quae forte inter ſtrata Roechlicenſis Boli III. II. β. inuenitur. BALTHASAR SIGMVND REIMANNVS, Medicus Lignicenſis, in datis ad RIVINVM literis memorat, fullones hac terra vti, eam tamen in medicina nullius fere vſus eſſe, niſi, quod ad alui fluxus ſiſtendos eadem, vt Bolus albus vulgaris, ratione adhibita fuerit.

Subnectenda hic erit:

* Pars terrae lotae, quae, cum partem ſigilli Sileſiaci impreſſam habeat, Sileſiaca eſſe videtur.

IV. Terra argillacea, Halenſis.

Haec ab Argilla Halenſi, quam in competente ipſi loco pertactabimus, inſigniter diſcrepat. RIVINVS in aduerſariis Argillae albae aſperae mentionem iniicit, quae ad viam publicam Martisburgenſem inuenienda, a figulis pinguiori Argillae admixta, ad fictilia vaſa conficienda adhibeatur, illam tamen ſolam ob ſaponaceum, quod continet, principium ad lignea vaſa lauanda et dealbanda vtilem eſſe iudicat. Noſtra fortaſſis gleba lota, et a ſabulo depurata, in cubi formam redacta fuit. Margae virideſcentis venas in hac Argilla ſabuloſa adhuc inueniri RIVINVS inſuper annotauit.

V. Terra Ienenſis.

Haec purior et ſaponacea magis eſt, quam Argilla alba Ienenſis, de qua in ſequentibus dicendi erit occaſio.

VI. Terra alba puriſſima, maxime lubrica, prope *Teuckern*, oppidum in ducatu Leucopetrenſi ſitum, effoſſa.

IV. Smectis cinereus, cum acidis non efferueſcens.

Ad hanc ſpeciem pertinent:

I. Terra argillacea Lipſienſis, prope pagum *Stettritz*, ſub poſitis ibidem Argillae ſpiſſioris ſtratis eruta.

Terrae ſaponariae ſeu fulloniae cinereae, in noſtris agris reperiundae, ALBINVS [t] meminit, WORMIVS [u] vero terram Cretae Cimoliae ſimilem Lipſiae inueniri aſſerit.

II. Terra praecedens, puluere nigro pyritico impraegnata.

Carbones, foſſiles dictos, hiſce ſub ſtratis generari non nulli, ob pulueris huius praeſentiam, arbitrati ſunt, omnis tamen, quam iis acquirendis hactenus adhibuerunt, opera opinionem non confirmauit.

III. Terra cinerea, quodam modo virideſcens, ex incognito nobis loco deſumta.

IV. Terra cinerea, ad *Stoppeln*, prope Coldicium effoſſa.

V. Terra argillacea Mittweydenſis, nobilior, quae ab inferius adducenda, et ab eodem oppido denominata, admodum diuerſa eſt.

VI. Terra

t) *In der Berg-Chronick* pag. 176.

u) In Muſ. Sect. I cap. 3 pag. 4.

VI. Terra fullonca Suecica, ex Nericia.

Gleba cinerea eſt, denſa et ferme tota argillacea, cum acidis non efferueſcit, licet aliquas iis iniecta emittat bullas, ſola, cum aqua commixta, ſaponaceam ſpumam non emittit, cum vrina tamen ſubacta, ad fullonum opus adhiberi poteſt.

V. Smectis cinereo fuſcus, cum acidis non efferueſcens.

Huc referatur:

I. Terra prope Magdeburgum effoſſa, qua degentes ibidem fullones vtuntur,

II. Terra fuſca, Annabergica, prope Wieſam pagum effoſſa.

Huius terrae PAVLVS GENISIVS [x] meminit, eique cinereum colorem adſcribit. Noſtra vero gleba, quam humidam adhuc accepimus, nigra tunc viſa fuit, ſiccior vero nunc, fuſcum prae ſe fert colorem, et, licet impura quodam modo ſit, optime tamen, praecipuas eius ſi ſpectes partes, aſſignatum ſibi meretur locum.

III. Terra ex fuſco cinerea, quaſi variegata.

Haec licet puriſſima et in cubum efformata ſit, paululum tamen lota eſſe videtur. Nomen, ſub quo accepimus, indicat eam Auſtriae eſſe finitimam. An Ipſenſis?

IV. Terra Schaumburgae, in circulo Weſtphalienſi eruta, lamellata.

Smectidi quidem ſimilis, ob humum tamen atram copioſius admixtam a praecedentibus aliquantum deflectit.

VI. Smectis niger, cum acidis non efferueſcens.

I. Terra nigra argillacea, Glashuttenſis, ex praefectura Altenbergenſi, quae lota et ſigillata alibi proponetur: vnde niger eius oriatur color, definire non audeo.

* Creta vulgo dicta nigra ex praecedenti terra, lota et condenſata, facta, quae, licet lineas ducat, cum Nigrica tamen non conuenit.

II. Terra Harthenſis, nigra, ſplendeſcens, priori valde ſimilis, in cubum redacta.

ARGILLA.

Cap. II. Gen. V.

I. Argilla alba, cum acidis non efferueſcens.

Permultas Argillae glebas vna hac ſub ſpecie comprehendendas eſſe putaui, cum omnes hae terrae fictilibus vaſis conficiendis aptae ſint, et vnico ſaepius eodemque in loco diuerſa Argillae inueniantur ſtrata. Maior vero vel minor arenae admixtae copia, albus vel in cinereum vergens color, et aliae eiusmodi diſcrepantiae tanti non ſunt momenti, vt in veris et ſpecificis dictis differentiis, in hoc ampliſſimo terrarum genere conſtituendis, firmum ſatis praebeant fundamentum. Ne interim copioſiſſimae huc referendae glebae absque omni ordine proponantur, quatuor et praecipuas ſubiunxi varietates, quibus innumerae adhuc addi poterunt.

I. Argilla candida, pura, glabra, parum arenoſa.

Notandae hic ſunt:

α) Argilla Gudenſis ex Hollandia, Auſtrali dicta, ex qua fiſtulae, tabaco ſugendo inſeruientes, optimae conficiuntur.

β) Argilla Grimmenſis, ex qua, cum Coldicenſi, nunc adducenda, commixta, fiſtulae eiusmodi parantur.

γ) Argilla

x) Hiſt. Annaberg. pag. 11.

γ) Argilla Coldicenſis, magis alba praecedente.
δ) Argilla Halenſis.
ε) Argilla Lignicenſis, in loco quodam, duos ab vrbe lapides diſtante, reperiunda, vaſis fictilibus albis conficiendis aptiſſima.
ζ) Argilla Paſſauienſis.
Gleba eſt ſphaerica, quam lotam eſſe ſuſpicamur.
η) Argilla Anglica, ex qua fiſtulae tabacariae conficiuntur.
θ) Argilla Cizenſis.
Vaſa ex hac Argilla parata Waldenburgenſibus ſimilia eſſe ALBINVS refert [y].
ι) Argilla Leucopetrenſis.
κ) Argilla Boleslauienſis, Sileſiaca.
λ) Argilla alba, ex Wermelandia, Sueciae prouincia nobis miſſa.
Haec per calcinationem rubellum acquirit colorem, poſtea cinerea fit, & in vitrum ſpongioſum, quod hoc colore praeditum eſt, liqueſcit. Ea terra ad parietes dealbandos, loco calcis, illius prouinciae incolae vtuntur.
μ) Argilla ad pagum *Schoenfeld*, prope Dantiſcum, effoſſa.
Haec aſperi quidquam, ob Tripelam forte ſubtiliſſimam admixtam, prodit.
ν) Argilla Ienenſis.
Haec ſtrias purpureas, hinc inde diſperſas, oſtendit.

II. Argilla candida, aſpera, non nihil arenoſa.
α) Argilla Boleslauienſis, parum a praecedente I. κ differt.
β) Argilla Freyburgenſis, ex ducatu Leucopetrenſi.
γ) Argilla Lignicenſis.
δ) Argilla Suecica, ex prouincia Nericia.
ε) Argilla ex Sueciae prouincia Wermelandia.
Haec calcinata rubeſcit.
ζ) Gleba argillacea, cubica, leonis icone inſignita.
Vndenam ad nos peruenerit, ignoramus, Bohemicam eam eſſe hariolamur.
η) Argilla Coldicenſis.
θ) Gleba ex eodem loco, ſed praecedente multo arenoſior.
ι) Argilla Milchheimenſis Franconiae, cui, vt praecedenti, magna arenae copia admixta eſt.
κ) Argilla Annebergica.

III. Argilla alba, ſubcinerea, pura, non arenoſa.
α) Argilla Gudenſis.
Ex hac, licet colore ab. I. α differat, fiſtulae quoque tabacariae formantur.
β) Argilla Coldicenſis, prope *Stoppeln* effoſſa.
γ) Argilla Harthenſis.
δ) Argilla Halenſis.
ε) Argilla Münſterbergenſis.
ζ) Argilla Quedlinburgenſis.
η) Argilla Radiſenſis, ex praefectura Vitebergenſi.
θ) Argilla Suecica, ex prouincia Wermelandia, cum II. ε. maxime conuenit.
ι) Argilla Lipſienſis, qua plerumque figuli noſtri vtuntur, et, licet minus quoque arenoſa ſit, ad Smectidem tamen IV. I. nullo modo accedit.
κ) Argilla Boleslauienſis, ex albo et cinereo variegata.
λ) Argilla Langeleubenſis, ex qua figuli Poenigenſes vaſa conficiunt, quae ALBINVS deſcribit [z].
Haec noſtra terra luteolas ſtrias interſperſas habet.
1. Terra cruda.
2. Terra lota, in cubum formata.

IV. Argilla

y) *Meiſniſche Berg-Chronick* pag. 177.
z) loc. cit.

IV. Argilla alba, ſubcinerea, aſpera, non nihil arenoſa.

α) Argilla Hainouienſis, ex Sileſia nobiſcum communicata.

β) Argilla Haslauienſis, ex praefectura Noſſenſi.
Haec parum liueſcit.

γ) Argilla Dreſdenſis.

δ) Argilla Suecica, ex prouincia Wermelandia.
Hanc TRIPPEL LEERA ſeu Argillam tripelaceam Sueci appellant, ſed, cum arenae partes nimis rigidae ſint, hoc nomen illi non competere, patet.

ε) Argilla Suecica, prope Orebroam, in Nericia ſitam, inuenta.

ζ) Argilla Winckelhaydenſis.
Hanc BAIERVS ſequentem in modum deſcribit [a]: *Argilla alba et ſabuloſa, quae primo quidem intuitu nihil peculiare prae ſe fert, pro conficiendis autem ollis, ſiue catinis, quibus vitrum funditur, praeſtantiſſima deprehenditur.* Eandem deinde cum Taſconio PLINII comparat.

η) Argilla Grunſpergenſis, lapidoſa.
Haec a figulis Argillae admiſcetur, vt BAIERVS monet [b], qui eam, quod ex lapidum commiſſuris eximitur, Margae nomine inſigniendam eſſe autumat, cineream plerumque aut albicantem, non aeque ponderoſam ac pinguem, vt communem figulorum Argillam, friabilem tamen eam eſſe aſſerens.

θ) Argilla Meranenſis, quae inter lapides calcareos prope Glaucham Oſterlandiae effoditur.
Haec lamellata eſt et ita formata, vt ex commiſſuris lapidum paululum iam indurata depromta fuiſſe videatur.

ι) Argilla Suecica, ex incerto loco, lota et in bacillos formata.

κ) Argilla Suecica, ex prouincia Nericia.

λ) Argilla Suecica ad ripam amnis, qui Orebroam alluit, in Nericia inuenta, quae exſiccata minorem duritiei gradum acquirit.

μ) Argilla Waldenburgica.
Waldenburgi, ad fluuium Muldam prope Schneebergam, terram ſubcineream denſam inueniri, ex qua, vt olim, ſic et nunc vaſa figulina praeſtantiora efformantur KENTMANNVS [c], ALBINVS [d], MICH. NEANDER [e] et ALDROVANDVS [f] notarunt. Sabulum inſuper ſplendens et craſſum ſuperficiei horum vaſorum adſpergi, ALBINVS [g] AGRICOLAE teſtimonio probat.

ν) Argilla Cizenſis.

ξ) Argilla Mittweydenſis.

ο) Argilla Altendorfenſis, in praefectura Chemnicenſi, qua figuli quoque Poenigenſes ad conficienda opera vtuntur.

π) Argilla Suecica, ad Snaflundam in Nericiae prouincia effoſſa.
Haec, dum igne tractatur, flaueſcit.

ϱ) Argilla Suecica, ad Froeswidahl in Nericia effoſſa.
Haec, vt praecedens, Tripelam admixtam habet.

σ) Argilla Suecica, ex prouincia Nericia.
Haec parum cohaeret, ita, vt gluten, quod Argillis proprium eſt, eductum inde eſſe videatur.

II. Argilla cinerea, cum acidis efferueſcens.

I. Argilla minus pyritoſa, mollis.

α) Gleba Baſileenſis, ad pagum *Bottingen*, vbi carbones foſſiles reperiuntur, effoſſa.

β) Argilla Grützingenſis.
Haec et praecedens nihil pyritoſi oſtendunt, licet eiusdem praeſentia a priori, potiſſimum ex loco natali, concludi poſſet.

II. Argilla

a) In Oryctographia Norica pag. 11.
b) loc. citat.
c) In Catalog Foſſ. Fol. I. b.
d) *Meiſniſche Berg-Chronick* Tit. 23 pag. 173.
e) In Phyſica Part. I pag. 108 Lipſ. 1585. 8.
f) Muſ. Metall. Lib. II cap. 3 pag. 228.
g) loc. cit.

II. Argilla pyritoſa, dura.

α) Argilla Alſatica ad pagum, Niederborna dictum, in riuulo quodam reperta.
Haec ſulphurei pyritis moleculas interſperſas habet, ſuperficies vero impreſſa teſtaceorum fragmenta oſtendit; glebae ipſae ſaepius ad lapideam fere duritiem accedunt.

β) Terra Oxonienſis, pyritica, Anglica.
Haec cum praecedente conuenit, magis tamen lamellata apparet, nec impreſſae teſtaceorum formae in illa conſpiciuntur.

III. Argilla variegata, cum acidis efferueſcens.

I. Argilla Künnersbergenſis Sueuiae, ex viridi coeruleſcens, diſperſis luteis partibus conſpicua.
Huic terrae in ſigillatis iterum glebis locus concedendus erit, in primis, cum haec et duae ſequentes, inter Argillas puriores, ſigillo ſuſcipiendo aptas, omnino referri mereantur.

II. Argilla ex albo luteola.

α) Gleba tactu lubrica, purior, ex eodem, vt praecedens, loco deſumta.

β) Gleba ſimilis Feckenhuſana, Sueuiae.

III. Argilla fuſca, lamellata, ſtratis luteis et fuſcis, ſe inuicem excipientibus, notata.
Gleba Suecica eſt in paroecia Almunge in Vplandia effoſſa.

IV. Argilla ex albo, luteo et coeruleo colore variegata, leuiter arenoſa, Künnersbergenſis.

* Lapides ſunt, cornei dicti, qui terra alba, Morochto I. ſimillima, incruſtati, in hac Argilla ſaepius reperiuntur.

V. Argilla variegata, arenoſa valde et lapidoſa quaſi, Künnersbergenſis, in ſtrata diſpoſita.

IV. Argilla cinerea, cum acidis non efferueſcens.

Glebae, quae hac ſub ſpecie recenſentur, vt plurimum in coeruleum colorem vergunt, aliae tamen nigrae, aliae fuſcae magis ſunt, inde et eſt, quod tres tantum primarias varietates proponam.

I. Argilla obſcure cinerea, in nigrum vergens colorem.

α) Argilla nigra, inter ſtrata lapidum calcareorum inuenta.
Haec ad pagum *Ebersbach* in praefectura Coldicenſi reperitur. Humida adhuc nigerrima eſt, exſiccata vero ad cinereum obſcuriorem colorem accedit.

β) Argilla nigra Künnersbergenſis.
Haec ſub ſtratis Vmbrae vel turfaceae terrae poſita, poſt calcinationem album colorem recipit.

γ) Argilla Aquiſgranenſis, prope fontem Geronſteere appellatum, inuenienda.
Haec fiſſilis lamellata, et quodam modo lapidoſa conſpicitur. In hac quoque terra lapides extus rufeſcentes et lamellati, cinerei intus deprehendantur, qui attriti odorem ſulphuris ſpargunt, quo tamen exſiccati prorſus deſtituuntur.

δ) Terra argillacea, Anglica, ex comitatu Northantonienſi, magis nigra quam praecedentes.

II. Argilla cinerea, coeruleſcens.

α) Argilla ex Wermelandia, Sueciae prouincia.
Haec, ſi humida adhuc aeri exponitur, cruſta fuſca inducitur, exſiccata vero iam terra colorem coeruleum in media etiam parte retinet.

β) Argilla Tribelenſis, ex Luſatia inferiore.

γ) Argilla Suecica, ad Aby in Nericia effoſſa.

δ) Argilla Suecica, ad amnem Swarthan prope Orebroam inuenta.
Ex ſtrato profundiori, cui incumbit, Argilla alia fullonum eruitur.

ε) Argilla

ε) Argilla Suecica, ex prouincia Sudermannia.
ζ) Argilla Suecica, ex prouincia Wermelandia.
Haec Ochram flauam admixtam habet.
η) Argilla Kallmüncenſis, Sueuiae.
Haec ſtrias liuidas interſperſas habet.
θ) Argilla Feckenhuſana Sueuiae, vaſis fuſoriis conficiendis apta.
ι) Argilla gryſea, prope Vpſaliam inuenienda.
Haec Ochram ſimul continet.
κ) Argilla Suecica, ad paroeciam Baelinge in Vplandia effoſſa.
1. Gleba cruda.
2. Gleba lota.

III. Argilla cinereo-fuſca.
α) Argilla Goldbergenſis.
β) Argilla Suecica, ex prouincia Nericia, lota, et in cylindrum efformata.
γ) Argilla Suecica, ex Wermelandia.
Haec licet fullonibus vtilis iudicetur, cum aqua tamen agitata in ſpumam non diſſoluitur.
δ) Argilla ad Orebroam, in Nericia inuenta.
ε) Argilla ex Nericia, quae cum ſpiritu nitri tentata, fumos emittit.
ζ) Argilla Lignicenſis vulgaris.
Praecedentes glebae pingues ſatis ſunt, haec vero et quae ſequuntur non nihil arenoſae inueniuntur.
η) Argilla Suecica, ad ripam amnis Swarthan in Nericia inuenta, ochram flauam et rubentem admixtam demonſtrat.
θ) Argilla Lithuanica.

V. Argilla viridis, cum acidis non efferueſcens.

I. Argilla Moſcouica.
Haec RIVINO in maſſis cubicis a medico quodam Imperatoris Ruſſiae ſub nomine Boli viridis Moſcouici miſſa fuit, magis tamen Argillae indolem habet, quae viridem colorem cupro acceptum refert.

II. Argilla virideſcens praecedente pallidior, prope Chemnitium ad pagum *Hilbersdorf* effoſſa.
α) Gleba cruda.
β) Gleba lota, in cubum formata.

III. Argilla Suecica, prope Orebroam in Nericia prouincia, eruta.
Gleba tenax et tenera eſt, quae, recens effoſſa, colore pulchro, ex coeruleo viridi, vitrioli inſtar eminet, exſiccata vero magis gryſea fit.

VI. Argilla pallide rubra, cum acidis efferueſcens.

* Gleba eſt cubica ſub Boli Heluetici, Baſileenſis titulo exhibita, quae tamen ad Argillas magis accedit.

VII. Argilla pallide rubra, cum acidis non efferueſcens.

I. Argilla Numburgenſis.
Argillam, variis coloribus praeditam, prope Numburgum ad pagum *Rosbach* inueniri, RIVINVS in aduerſariis ſuis annotauit: terrarum inſuper lutearum, albarum et rubrarum, quae ibidem locorum repertae, ſigillis ſuſcipiendis aptae ſint, Breslauienſes mentionem faciunt [h].

II. Argilla

h) *In den Breslauiſchen Sammlungen 27 Verſuch* pag. 293.

II. Argilla Martisburgenſis, quae quasdam partes obſcure rubras, pallidiori terrae interſperſas oſtendit.

III. Argilla rubens, inter Glaucham Oſterlandiae et Meranam ad viam publicam inuenta. Haec, cum praecedentes puriores et pingues inueniantur, arenoſa magis eſt.

IV. Argilla ad viam publicam Stolbergenſem, inter *Lugan* et *Oberlungwitz* reperiunda. Longius producta ſtrata ad vlnae circiter profunditatem deſcendunt.

VIII. Argilla purpurea, cum acidis non efferueſcens.

I. Argilla purpurea, pinguis, minus arenoſa.

α) Argilla Ienenſis.

β) Argilla Leucopetrenſis.

1. Gleba cubica, obſcurius rubicunda, quae lota eſſe videtur.

2. Gleba altera, quae quodam modo palleſcit.

γ) Argilla Weidenſis.

δ) Argilla Halenſis.

Ad Glaucham ſuperiorem, Halae proximam, in agro, *Lerchenfeld* dicto, obſcure rubram et pinguem terram inueniri, qua non tantum figuli vtantur, ſed, quae etiam ad pingenda aedificia adhibeatur, RIVINVS in ſchedis notatum reliquit.

ε) Argilla Annaburgenſis.

ζ) Argilla Zellerfeldenſis in ducatu Grubenhagenſi.

Haec licet Argillis venarum annumeranda eſſe videatur, eam tamen, cum nullas alias, quam ex colore tantum cognoſcendas martiales particulas, reliquis quoque proprias, contineat, hoc loco adducendam eſſe putauimus.

η) Argilla Grützingenſis.

Haec ſtratum ſuperius ſiſtit Argillae II. I. β. ſimile, caeteroquin, quantum ad colorem et reliquas proprietates, prorſus ab illa diſcrepat.

θ) Argilla Baruthina.

II. Argilla purpurea, aſperior, non nihil arenoſa.

α) Argilla Marckwerbenſis, prope Leucopetram effoſſa, cum I. β. fere conuenit, et ad coquendos lapides aptiſſima eſt. Gleba lamellata eſt et denſa.

β) Argilla prope Glaucham Oſterlandiae, inter *Riesdorf* et *Tilgen*, ad ripas aquae, quae molam circumagit, inter humum ſparſim inuenienda.

γ) Argilla Bibraenſis, ex ducatu Leucopetrenſi.

III. Argilla ex purpureo fuſca.

* Gleba Badenſis.

IX. Argilla ochracea, cum acidis non efferueſcens.

I. Argilla lutea, pinguis.

α) Argilla, Ochra Caſſelana dicta.

Haec Bolo VIII. III. deſcripto ſimilis eſſe videtur, ſed illo pinguior eſt.

1. Gleba cruda, non lota, ſed per ſe ſatis pura.

2. Terra in pollinem redacta.

β) Ochra Anglica.

Haec oleo ſubacta, pictoriam artem exercentibus prae reliquis placet, pinguior enim et purior eſt, quam Ochra vulgaris, quae in eos vſus venditur, lotam tamen terram eſſe, facile conceſſerim.

γ) Terra lutea, Caſſelana.

Pars eſt glebae cubicae, quae in paſtam ſatis tenacem abit, et pallida magis eſt, quam ſuperius nominata α.

II. Argilla luteo pallida, pinguis.

α) Argilla Ienenſis.

β) Argilla Numburgenſis.

Haec cum Argilla VII. I. conuenit.

γ) Argilla Scaphuſiana, ex Heluetia.
In hac minera ferri deprehenditur. Eadem etiam rubra ibidem reperitur.
δ) Terra Neoſolienſis Hungarica, quae ab alia, infra ſub Margis deſcribenda, inſigniter differt.
ε) Argilla Suecica, ex prouincia Nericia, Ochrae fuſcae nomine tranſmiſſa.
ζ) Argilla, quae titulo terrae Lemniae inſignita erat.
Haec cum terra Strigonienſi ſpuria, quam in officinis vulgo vendunt, notabilem habet conuenientiam.

III. Argilla luteo pallida, aſperior.
α) Argilla Leiſnicenſis, ex Lipſienſi ſic dicto circulo.
β) Argilla, quae in officinis pro terra Lemnia vulgari venditur.
Haec lamellata quodam modo apparet. Si vnquam Argilla Lemniae terrae ſubſtitui deberet, pinguior certe et purior eligenda eſſet, quam noſtra.
γ) Argilla Suecica, ex paroecia *Ecker*, in Nericia ſita.
δ) Argilla ex prouincia Wermelandia.
ε) Argilla ad viam publicam, inter Glaucham Oſterlandiae et Meranam, ad duarum vlnarum profunditatem ſub Argilla VII. III. inuenta.
ζ) Argilla Annaburgenſis.
η) Argilla prope Glaucham Oſterlandiae, inter *Tilgen* et *Rothenbach* effoſſa.

IV. Argilla pallida, parum liueſcens.
α) Argilla fiſſilis, tenuioribus lamellis praedita, ex Nericia, Sueciae prouincia.
β) Argilla gryſea, ex fodina ferri Dannemorenſi in Vplandia.
Haec gleba particulas quaſdam fuſcas, Margae ſimiles, admixtas habet, ob quas forte cum acidis quodam modo efferueſcit. In loco natali venam quaſi expanſam formar, infra montem, ad fundum fodinae, quae ab *Ekrot* nomen habet, decurrentem, cuius adhuc profunditatem nulla ratione detegere potuerunt, certum interim eſt, quatuor eam orygias ſuperare.
γ) Terra Mondiruli.
Sic inſcriptam inueni glebam, quae ob omnes in ea detectas notas, hic nominari debuit.
Hactenus deſcriptae terrae leuiores ſunt, non adeo denſae, vt Argillae vulgo eſſe ſolent, ſpiſſiores et verae argillaceae ſequentes reperiuntur glebae.
δ) Argilla Suecica, ex Wermelandia.
Haec lota eſt.
ε) Argilla ſimilis III. γ. ex eodem loco, ſed pallidior praecedenti.
ζ) Argilla praecedenti ſimilis, prope *Tilgen*, in Oſterlandia, effoſſa.
η) Argilla Hainouienſis, ex Sileſia in ducatu Lignicenſi, quae pallide cinerea eſt et leuiter flaueſcit.

V. Argilla ex luteo rubella.
α) Argilla Italica, purior.
Haec terra, quae ſub nomine Samiae et Lemniae terrae, ex officinis pharmaceuticis Italiae tranſmiſſa fuit, magis pinguis et purior eſt, quam ſequentes, colore quoque elegantiori praedita, vide III. β.
β) Argilla Suecica.
Haec cruda aeque ac lota multis foraminulis ſeu poris praedita deprehenditur.
γ) Argilla Suecica, ex Wermelandia.
Ad polienda metalla loco Tripelae adhibetur.

VI. Argilla palleſcens, parum rubra.
α) Argilla, ex Wermelandia.
β) Argilla Suecica, rubens, bolaris, ad lacum quendam in paroecia Quisbro, in Nericia inuenta.
γ) Argilla fiſſilis, ex Wermelandia.
Haec vaſis poliendis in primis apta eſt.
δ) Argilla margacea, prope Vpſaliam effoſſa.
Ex hac terra Holmiae vaſa murrhina ignobiliora conficiuntur.

X. Argilla marmorea ſiue variegata, cum acidis non efferueſcens.

I. Argilla ex luteo, albo et coeruleo variegata, pinguis.

α) Argilla Steinauienſis, in ducatu Wolauienſi Sileſiae, ex colle prope pagum *Purſchwitz* effoſſa.

β) Argilla Maslenſis [i].

γ) Argilla Pappenheimenſis.

Haec aſpera magis eſt, quam praecedentes, et inſignem colorum varietatem oſtendit.

II. Argilla ex purpureo et albo variegata.

α) Argilla Zwickavienſis.

Haec rubra eſt, et minora, albida prorſus, puncta interſperſa habet, aliae vero, quas ex eodem loco accepimus, glebae, rubrum colorem et ſtrias cinereas intercurrentes prae ſe ferunt.

β) Argilla Halenſis.

γ) Argilla Cizenſis.

δ) Argilla Bernsbacenſis, ex praefectura Grunhaynenſi.

Haec alba et maculis purpureis pallidioribus notata apparet.

ε) Argilla Querfurtenſis, ſtratis mox albis, mox rubris, per vices ſibi incumbentibus.

ζ) Argilla Annaburgenſis, admodum arenoſa.

η) Argilla praecedenti ſimilis, Sileſiaca, inter *Tarnowitz* et *Beuthen* effoſſa, quae pallida magis eſt, quam praecedentes.

θ) Argilla Winckelhaydenſis [k].

III. Argilla ex cinereo, violaceo et rubro variegata.

α) Argilla Moenchenſteinenſis.

Haec venae inſtar profundius in terra decurrit, rubrum colorem ferme in ſuperficie tantum oſtendit, ita, vt picta quaſi eſſe videatur.

β) Argilla Baruthina.

Haec praecedenti fere ſimilis, in glebis tamen, quoad colores diuerſis, compacta eſt.

γ) Argilla Hirſchbergae effoſſa, quae ſub poteſtate comitum Ruthenorum eſt.

Haec ex cinereo in viridem magis colorem vergit.

IV. Argilla ex cinereo, violaceo et luteo variegata.

* Argilla Aquisgranenſis, lapidi calaminari, prope Altenbergam effoſſo, iuncta deprehenditur.

V. Argilla ex cinereo, viridi et luteo variegata.

α) Argilla gryſea, punctis ochraceis notata, ex Wermelandia Sueciae.

β) Argilla ex flauo fuſca, cum Ochra flaua et arena micacea remixta, in Nericia Sueciae deprehenſa.

γ) Argilla gryſea, cum admixta Ochra ad ripas fluuii Swarthan in Nericia reperta.

Haec tenax eſt et quodam modo ſaponacea, ita, vt terrae quoque fulloniae loco adhibeant.

δ) Argilla Künnersbergenſis.

Haec, colorem ſi ſpectes, conuenit cum Argilla III. I. ſed minime efferueſcit, id, quod experimentis iterum iterumque cum ea inſtitutis, probatum accepimus.

ε) Argilla Künnersbergenſis, magis flaua, punctis diſperſis nigricantibus inſignita.

Haec ad vaſa figulina nobiliora omnium optime adhibetur.

ζ) Argilla Künnersbergenſis, praecedenti ſimilis, magis tamen denſa et lutea, coloribus inducendis apta eſt.

Exhibitis nunc praecipuis Argillae ſpeciebus, ſubnexiſque copioſiſſimis eius varietatibus, antequam de Argilla limoſa vel limo, nec non de venarum

i) Vid. HERMANNI Maslographia Sileſ. Part. II cap. 3 pag. 189.

k) Vid. BAIERVS in Oryctographia Norica pag. 11.

venarum Argilla agamus, peculiarem quandam terrarum ſpeciem proponere liceat, circa quam dubii diu haeſimus, num ad Tripelam, an ad pingues tantum terras referenda, an nouo forte conſtituto genere pertractanda ſit. Si nimirum aqua leuiſſimas terrae partes ſecum rapit, easque in ſtrata exigua deponit, quae poſt exſiccationem arenoſa ſaepius, admodum ſicca et aſpera inueniuntur, Tripela hac ratione generatur: ſin vero argillaceae puriores particulae copioſius aquae admixtae ſunt, pinguia ſtrata inter arenae ſtrata diſponuntur, et terram a nobis nunc deſcribendam ſiſtunt, quae ratione originis cum Tripela conuenire, inſigniter tamen ratione ſubſtantiae et partium conſtituentium nexus ab ea diſcrepare videtur.

Cohaerent vero congeſtae hoc modo terrarum partes, per interueniens ipſis gluten, quod, cum in iis, quae pertractandae adhuc nobis reſtant, Argillis notari in primis mereatur, accuratius paulo examinare liceat. Supra iam [l], vbi de pinguibus terris in genere diximus, quid pinguem ſiue tenacem indolem earum efficiat, determinari ſatis non poſſe aſſeruimus, et illam tantum ab eo inflammabili pingui, quod in omnibus naturae regnis inuenitur, diſcrepare, breuiter indicauimus. Vidimus inter ea POTTIVM [m] argillacearum terrarum gluten a ſuperſtite aquarum glutine deriuare, et ipſam hanc, quam auctor vt probabilem tantum proponit, ſententiam, non prorſus reiiciendam eſſe opinamur. Differt tamen hoc, terras coniungens, gluten, a reliquo animalium, vegetabilium et mineralium quoque glutine. In his enim omnibus tenerae terrae aliquid ſalini et praecipue inflammabilis quidquam principii iunctum eſt, quod in argillacearum terrarum glutine non obſeruatur. Licet enim terrae non adeo pingues, quae duci nequeunt, ſiue eodem, vt Argillae, modo, figulorum formis non cedunt, aqua gummoſa, mellita vel oleo additis, ob tenaces, quae hiſce liquoribus inſunt, partes, aliquo modo fiant ductitiae, a naturali tamen, quae in Argillis veris obſeruatur, tractabilitate diſcrepant. Noſtrae certe, quae aquarum inundationibus congeruntur, formanturque terrae, ſatis declarare videntur, in aqua ſolutas quasdam haerere partes, quae ſubtiliſſimis terreſtribus iunctae, paſtam tenacem efficiunt, eamque inter ſabuli ſtrata poſt ſe relinquunt.

Nili et aliorum fluminum, quae turbidas ſaepius et limoſas partes continent, inundationes, vnguinoſum aquarum ſtagnantium ſedimentum, viſcidae, his ſaepius innatantes, cruſtae, et ipſum denique vnguinoſum magma, quod ex humo eluitur, et ſuperflua aqua per colum transmiſſa in filtro remanens inſpiſſatur, viſcidum quidem et tenax gluten nobis oſtendunt, nosque ad vlteriorem huius principii inueſtigationem deducunt, omnia

l) Cap. II pag. 33.

m) In Lithogeognoſia. pag. 30.

omnia tamen haec recenſita phaenomena, ad ſolas tantum vegetabilium et animalium partes deſtructas, terreſtres nimirum tenuiſſimas ſalinis et oleoſis iunctas, quales in humi conſideratione declarauimus, vt reſpiciamus nos monent. Harum vero particularum in terris noſtris praeſentiam, cum inſtituta experimenta non prodant, opus omnino eſt, vt aſſumamus, illas adeo mutatas et diſperſas eſſe, vt craſſiorum elementorum terreorum, quae concreta haec terrea ſimul et tanquam baſis conſtituunt, interſtitiis iunctae, nulla prorſus ratione appareant, ſed peculiarem et nouam plane ex intima miſcela enatam naturam indeptae ſint.

His praemonitis ad glebas nunc noſtras definiendas reuertor, quas, dum pingues inuenio, ad Argillas certe aut ad Margas referre debeo. Si quaedam glebae partes aquae iniiciuntur, in lamellas illae minimas dehiſcunt, et magnam inde cum Margis conuenientiam declarare videntur, effuſa vero aqua, magma reſiduum, dum exſiccatur, paſtam tenacem, quam in Argillis obſeruamus, exhibet. Ex his itaque patet, terram hanc, quoad maximam ſui partem ex Argilla conſtare, et pingue tantum lutum eſſe, quod in fluminibus, fundo vliginoſo praeditis, colligitur, ac per aquarum ex ripis exceſſum, in ſtrata ſabuloſa delatum, ſiccatur et induratur, et generatam hac ratione terram ſiſtit, quae inter Argillas ſuum meretur locum. Cum porro non nullae ex his terrae digito humido tritae, non tenacem adeo paſtam, ſed ſaponaceam magis efficiant ſpumam, quae Smectidem a reliquis omnibus diſtinguit, dubius aliquando haeſi, annon quaedam ex noſtris glebis ad hoc idem genus referendae ſint, attamen, cum pauciores forte fuiſſent, quas a reliquis hanc ob rationem ſeparare potuiſſem, omnes ac ſingulas coniunctim hic exhibere conſtitui. Color in pleriſque obſcure fuſcus, vel non nihil liueſcens, in aliis vero cinereus magis deprehenditur, quas differentias, ne ſpecierum numerum nimis augerem, ad varietates potius conſtituendas adhibui. Duas itaque ab efferueſcentia cum acidis deſumtas ſpecies in praeſenti annotare ſufficiat.

XI. Argilla lutoſa, cum acidis efferueſcens.

1. Terra fuſca, Querfurtenſis.

In RIVINI aduerſariis, hanc terram in literis, cum eadem anno milleſimo ſeptingenteſimo vndecimo ad auctorem miſſis, Margam ſiue terram Lemniam, terrae Catechu ſapore praeditam, appellatam inuenio. Colore quidem cum dicta terra conuenit, amarum tamen, quem adductae literae eidem adſcribunt, ſaporem, in ea inuenire non potui, eam potius, terrae argillaceae, non nihil vliginoſae, ſaporem exprimere cognoui, et hac etiam de cauſſa, coniecturam, ac ſi ob amaritiem in febribus acutis, dyſenteria, et aliis morbis acutis commode adhiberi poſſet, vt infirmam, reiiciendam eſſe exiſtimo. In quanta vero terrarum profunditate hoc ſtratum Argillae deprehendatur, et quaenam ipſi ſtrata ſuperimpoſita ſint, notatum non inuenio,

quamuis inferius ſtratum ſabuloſum eſſe et oſſa animalium admixta habere obſeruatum ſit. Gleba noſtra, quatuor lineas craſſa, vnicum ſtratum ſiſtit.

II. Terra ſimilis, Numburgenſis.

Haec ſub nomine Lithomargae cinereae, admodum pinguis, transmiſſa fuit, ſed nec a loco, neque ob ſubſtantiam hac denominatione inſignienda erit. Color eſt fuſcus, pallidus, gleba vero ſiſtit vnicum ſtratum, quod vix lineam craſſitie ſuperat.

III. Terra ſimilis, ex paroecia Lagga, in Vplandia.

Haec cinerea et pallide lutea eſt, et ſtrata diuerſae craſſitiei oſtendit, ſuperiora denſiora ſunt et margaceam terram imitantur, inferiora vero, Argilla cum Tripela remixta, conſtare videntur, vnum ex his ſtratis prae reliquis latius ſe extendit.

IV. Terra ſimilis, ex ignoto nobis loco apportata.

Haec glebis tabulatis vel planis, ad craſſitiem duarum vel trium linearum accedentibus, conſtat, et quatuor aut quinque ſtrata colore fuſco et pallido, alternis vicibus quaſi notata exhibet.

V. Argilla ſaponacea, fiſſilis, vitreſcens, coloris ex cinereo albicantis.

Haec in ſtratis quibusdam, horizontaliter poſitis, cum interſperſo ſabulo, ad pagum *Lunnern*, qui Tigurinae ditioni ſubiacet, deprehenditur. Per experimenta conſtat, hanc terram vitreſcentibus eſſe annumerandam, ita, vt vaſa ex hac Argilla parata, non indigeant cruſta vitrea, quam alias fictilibus vaſis inducere ſolent. Deſcripſit eandem IOH. GEORGIVS SVLTZERVS [n].

XII. Argilla lutoſa, cum acidis non efferueſcens.

I. Argilla pallide fuſca, fiſſilis vel lamellata.

α) Terra Liuonica, pallide fuſca, quodam modo rutilans, cuius ſtrata ſiue lamellae inaequalis craſſitiei eſſe reperiuntur.

β) Terra ſigillo digna, ſtyptica, Laublingae ſiue Klaublingae in pago ad duos lapides ab Hala Saxonum diſtante, anno milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo tertio inuenta. Color eſt pallide fuſcus.

γ) Gleba ſimilis, non nihil arenoſa et magis fuſca, ex agro Halenſi.

II. Argilla ex cinereo nigricans, vel gryſea, lamellata.

α) Terra in Moluccis inſulis effoſſa.

Huius terrae ſtrata lamellata et inaequalis ſunt craſſitiei.

β) Terra Heluetica.

Haec praecedenti fere ſimilis eſt, *an der Thur*, prope rupem Daetweilenſem eruitur.

γ) Terra Winckelhaydenſis.

Haec ſimilis eſt praecedenti et eodem fere in loco vbi .I IV. ζ. effoditur, poſita deprehenditur.

Ex tribus hiſce varietatibus, quae nec adeo pingues, vt ſequentes, magis vero lapidoſae ſunt, num ſchiſti nigri geneſis declarari poſſit, aliis, vt dignum diſquiſitionc argumentum pertractandum relinquo.

δ) Argilla Suecica, in quinque ſtrata diſpoſita [o].

1. Stratum gryſeum, lapidoſum, punctis micaceis ſplendens.
2. Stratum gryſeum, obſcuriori paulo colore praeditum, pingue, micaceis punctis fere deſtitutum.
3. Stratum album, pingue, argillaceum.
4. Stratum nigricans, denſum et pingue.
5. Stratum nigricans, ex albo variegatum, pingue.

Haec ſtrata ex monte Oſmundi Dalekarliae effodiuntur, et inſtar fulloniae terrae ſpumeſcunt, non tamen, id, quod per hydroſtatica experimenta comprobatum habemus, pro grauitate ſpecifica ſibi inuicem ſuccedunt.

ε) Argilla

n) *In der Beſchreibung der Merkwürdigkeiten, welche er in einer im Jahr 1742 gemachten Reiſe durch einige Orte der Schweitz entdecket.* pag. 17.

o) De hac gleba conf. Acta Acad. Reg. Scient Svec. 1740 Obſ. III § 11. ſeqq.

ε) Argilla Suecica, ex prouincia Nericia.

ζ) Argilla praecedenti similis, ex eadem prouincia, quae copiosis punctis micaceis, microscopii tantum ope obseruandis, praedita deprehenditur.

η) Argilla fissilis, ex stratis diuersis argillaceis et tripelaceis composita, ex Wermelandia.

θ) Argilla ex eadem prouincia, insperſis punctis spathaceis insignita.

ι) Argilla gryſea, coeruleſcens, ex paroecia Raetwick in Dalekarlia, qua loco terrae fulloniae huius regionis incolae vtuntur.

XIII. Argilla limoſa, ex cinereo liuida, cum acidis non efferueſcens.

Permultas quidem huius terrae vbique ferme reperiundas varietates conquirere et conſueto ordine enumerare potuiſſemus, cum limus vulgaris variis vſibus inſeruiat, noluimus tamen vulgares adeo glebas, quae pro maiori vel minori ſabuli admixti copia et leui coloris varietate diſcrepant, recenſere, ſed tres tantum, vt exemplis haec a nobis conſtituta ſpecies confirmetur, ſubiungimus varietates.

I. Terra argillacea, Floetboecenſis, arenoſa et parum pinguis.

II. Argilla prope Chemnicium inuenta, praecedente pallidior.

III. Argilla Freybergenſis, ad opus figulorum, niſi alia pinguior ipſi immiſceatur, inepta.

Vltimo nunc inter Argillas loco ſic dictae Argillae venarum nominandae ſunt, quae quidem omnes, ob deſumtam a pinguiori, vel arenoſa magis terra, differentiam, quae in his glebis non ita, vt in antecedentibus, animaduertitur, ſub vna fere et eadem ſpecie complecti potuiſſent. Sed, cum in his, in venis deprehendendis Argillis, admixtae iisdem minerum partes, primo ſtatim intuitu cognoſcendum diſcrimen conſtituant, vt aliquem tantum in recenſendis his glebis ordinem ſeruarem, in iis, quas poſui, ſpeciebus, ad admixta in primis reſpexi, licet non nullas earum varietatibus forte annumerari poſſe inficiari non ſuſtineam.

XIV. Argilla venarum argentoſa, cum acidis non efferueſcens.

I. Gleba ex fodina Herciniae, *Lautenthals-Glück* dicta.
Haec Argillam non adeo arenoſam ſiſtit, quae nigram argenti mineram copioſe interſperſam habet.

II. Gleba Freybergenſis, ex fodina, *Hohlwein Fund-Grube auf dem Brande.*
Haec Argilla alba eſt, admodum arenoſa, puncta micacea oſtendens, et admixta ſparſim nigra argenti minera cinereum ei colorem tribuit.

III. Glebae Schnabelbergenſes, Helueticae, quae ex puriori Argilla compoſitae ſunt.
Vna earum nigricans eſt, altera vero magis gryſea, quae inſuper lamellis cochlearum interſperſis ſcatet.

XV. Argilla venarum argentoſa, cum acidis efferueſcens.

* Gleba ex fodina, *Lautenthals Glück* dicta, in Hercinia ſita, deſumta.
Haec quodam modo lamellata eſt, et cinereum magis, quam nigrum prae ſe fert colorem.

XVI. Argil-

XVI. Argilla venarum, Ochra cupri impraegnata, cum acidis efferueſcens.

* Gleba ad oppidum *Geyer* in praefectura Wolckenſteinenſi effoſſa.
Haec lamellata, alba, pallida, Ochra cupri ſiue chryſocolla, terra metallica viridi, inter lamellas diſperſa, notata.

XVII. Argilla venarum, arſenico abundans, cum acidis non efferueſcens.

Terra eſt coloris gryſei, mollis, friabilis, in glebas quasdam coaleſcens, quae vel limoſa tantum eſt, vel arenoſa non nihil deprehenditur. Haec ex derelicta quadam fodina, *friſch Glück und Sonnen-Glantz* dicta, in tractu, Freybergam inter et Dreſdam ſito, quem *den goldnen Grund* appellant, ex venis eruta fuit. Similem huic terram, ſub Margae arſenicalis nomine deſcribit IOH. FRIED. HENKELIVS [p], quam, cum ad tineas et blattas enecandas adhibeant, *Schaben-Gift* vulgo nominare ſolent. Huius terrae colorem ſubcoeruleum eſſe dicit, quem noſtra, non niſi parcius interſperſum oſtendit, vt itaque tanquam varietas ad noſtram hanc ſpeciem pertinere videatur, in primis, cum ex venis fodinae, *das beſcherte Glück im Grunde* dictae, loco ſcilicet, ſupra nominatae fodinae, vicino, deſumatur. Monet inſuper citatus auctor et recte quidem vrget, terras, ex venis fodinarum non promiſcue vſui medico adaptandas eſſe, praecipue ſi loci vicinia arſenicum iis praeſens eſſe fidem faciat.

XVIII. Argilla venarum varii coloris, particulis micaceis praedita, cum acidis non efferueſcens.

Permultas ſub hac ſpecie varietates nominandas eſſe putaui, quoniam plurimae in Saxoniae fodinis deprehenſae venarum Argillae, eaſdem micaceas particulas admixtas habent, id, quod in aliis forte fodinis raro vel prorſus non contingere ſolet.

I. Argilla venarum cinerea.
- α) Argilla Harthenſis, prope Chemnicium in confiniis minerarum aeris effoſſa.
- β) Argilla ex fodina Freybergenſi, *die rothe Grube* dicta, depromta.

II. Argilla venarum fuſca.
- * Argilla ex ſtrato prope fodinam Freybergenſem, *himmliſch Heer* appellatam, deſumta.

III. Argilla venarum rubra.
- α) Argilla ex rubro pallida, prope Chemnicium effoſſa.
- β) Argilla quae in ſtrato, inter terram margaceam albam poſito, prope Chemnicium, in ſylua Grünitzenſi effoditur.
- γ) Argilla Rammelsburgenſis, ex comitatu Manſfeldenſi.
- δ) Argilla ex comitatu Waldeckenſi.
  Haec et duae antecedentes glebae ex atro rubent.
- ε) Argilla arenoſa, ex fodina Freybergenſi, *die rothe Grube* dicta.

ζ) Argilla

p) In Ephemerid. Nat. Curioſ. Vol. II Obſ. 156 pag. 364. It. *in den kleinen Mineralogiſch- und Chymiſchen Schriften. Dreſden und Leipzig* 1744. 8. pag. 529.

ζ) Argilla venarum Annebergica, ad Pilam montem effoſſa, haec quodam modo fuſca apparet.

ϰ) Argilla praecedenti ſimilis, magis tamen ad luteolum colorem accedens.

IV. Argilla venarum luteola.

* Gleba Annebergica, ad Pilam montem deprehenſa, quae ſtrato III. ζ. impoſita reperitur.

V. Argilla venarum alba.

α) Argilla ex fodina Freybergenſi, *Kubſchacht Fundgrube* eruta.

β) Argilla ex fodina Freybergenſi, *Lorenz Gegendrum* effoſſa.

XIX. Argilla venarum purior, cum acidis non efferueſcens.

* Gleba argillacea ex fiſſuris fodinae Freybergenſis, *Donath* dictae, depromta. Haec purior, alba eſt et vnguinoſam, Smectidi quaſi ſimilem, materiam obtinet. In tota enim hac fodina aquae a tenui mucilagine albeſcunt, machinas hydraulicas inungunt et eas inde ab attritu defendunt.

MARGA.

Cap. II. Gen. VI.

I. Marga flaua, cum acidis efferueſcens.

Vnicam ex pluribus Margis flauis habemus, quae ad hanc ſpeciem referri poteſt. In addita illi ſchedula ita eam deſcriptam inuenio, quod ſit *terrae ſigillatae metallicae ſpecies, ex riuulo Kadiowetz in Podolia, ſtratis lapideis innaſcens, quae praeuia ignitione et depuratione metallica ramenta dimittit, facile in argentum et aurum fundenda.* Sunt vero multae irregulares, minores glebae, quae ſuperficiem tactu lubricam habent. Earum color ita quidem variat, vt pallide fuſcae, luteolae, albicantes et virideſcentes inueniantur, et ſingulae cum omnibus acidis efferueſcant, pleraeque tamen in flaueſcentem colorem vergunt, licet non nullae nigras maculas, eo forte in loco, vbi ſaxi ſuperficiei olim adhaeſerunt, oſtendant. Metallicae partes, quae huic terrae in ſchedula adſcribuntur, illis forte ſimiles ſunt, quae in terra Strigonienſi et aliis ſimilibus, ſed minus recte aſſumuntur, cum nullo experimento earum praeſentia declarari queat.

II. Marga flaua, cum acidis non efferueſcens.

Huc omnes illas referimus Margas, quae in rimis lapidum, tanquam in venis, condenſatae induruerunt, et dum erutae in aquam immittuntur, in partes diuerſae figurae finduntur, nec paſtam tenacem et cohaerentem, ſed rariorem et in exſiccatione friabilem maſſam produnt. Ex his plurimae cum ſtrepitu, vitro diſſilienti ſimili, finduntur, aliae tamen eum vix obſeruandum praebent. Dictam tamen hanc differentiam tam certam non inueni, vt eam ſpeciei vlterius diſtinguendae adhiberi poſſe exiſtimem. Saepius enim in inſtitutis experimentis vna gleba ſtrepitum edidit, altera ſine eo, comminuta fuit, quamuis certo ſcirem, vtramque ex eodem loco erutam fuiſſe. Eae glebae, quae cum ſtrepitu finduntur, den-

fiores et duriores ſunt reliquis, et digitis vix comminui poſſunt, illae contra, quae ſtrepitum non edunt, facilius digitis conteruntur. Color in omnibus flaui quidquam refert, in quibusdam albidus magis, in aliis purpuraſcens, in aliis denique pallide vel obſcure fuſcus deprehenditur. His rebus ita comparatis, cum in multis ex eodem natali loco deſumtis terris, color earum diuerſus adeo inueniatur, inſignem glebarum, quae nobis nunc in ordinem redigendae ſunt, copiam ex colorum differentia diſponere non potuimus, ſed potius pro varia terrarum patria varietates ordinauimus, et accedentes vbique differentias ſubiunximus.

Terra Strigonienſis primum inter terras nunc recenſendas meretur locum, et quoniam prima fuit, quae ex terris Germaniae vſui medico apta iudicata fuit, fuſiorem poſtulare videtur orationem. Illam anno iamiam milleſimo quingenteſimo ſexageſimo octauo detectam fuiſſe VOLCKMANNVS auctor eſt [q], licet SCHENCKIVS [r] ſub finem anni milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi ſeptimi inuentionis terminum poſuerit, et RIVINVS in aduerſariis annum milleſimum quingenteſimum octoageſimum indicet, quo tamen iam tempore BERTHOLDVS AB OSCHATZ Caſſelis experimentis hanc terram tentauit.

IOANNES SCVLTETVS, a tribus Strigae vicinis montibus MONTANVS [s] vel TRIMONTANVS [t] appellatus, inuentoris nomen et gloriam ſibi vindicat. Is enim anno milleſimo quingenteſimo triceſimo primo Strigae natus, philoſophus et medicus ſui aeui celeberrimus, poſt ſuſcepta, quae vtilitate ſe commendant, per terras et mare itinera [u], in patria vrbe cum laude medicinam fecit, in chemicis inſuper peritiſſimus. A VOLCKMANNO praeter ea Imperatoris Rudolphi Secundi Archiater appellatur [x], id, quod, cum nullum huius rei in ſepulchrali inſcriptione legatur teſtimonium, pro certo et indubitato affirmare non audeo. Tandem Strigae anno milleſimo ſexcenteſimo quarto, tertio Iunii die, anno aetatis ſuae ſeptuageſimo tertio e viuis exceſſit, vt ex monumento in aede ſt. Petri et Pauli [y] apud Strigonienſes ſepulchro eius impoſito, edocemur [z]. Hic

q) In Sileſ. Subterran. cap. 13 pag. 277.
r) In Diſſ. de Terra Sigillata. cap. XI.
s) Vid. NIC. HENELIVS in Sileſiographia Cap. III § 49 pag. 360.
t) MICHAEL IOSEPHVS FIBIGER in notis ad Sileſiographiam HENELII loc. cit. pag. 364.
u) FIBIGER loc. cit.
x) Loc. cit.
y) Vid. HERMANN ADOLPH. ANTHES in *Abraham Sauers-Staedte Buch* ſub Tit. *Strigau* pag. 128.
z) Proſtat in Tractatu MONTANI de Terra Strigonienſi a IOHANNE HARTIGIO ZITTANO, eius genero, poſt auctoris mortem edito, cuius titulum, cum ſingulares terrae noſtrae laudes coutineat, integrum hic apponere liceat: *Breue ſed exquiſitum vereque philoſophicum iudicium, doctrinis myſteriisque variis refertum, excellentiſſimi philoſophi et medici D.* IOH. MONTANI, *Strigonienſis Sileſii, de vera natiua omnisque artis et fuci experte terra ſigillata, ibidem per diuinam gratiam a ſe inuenta, in communem chriſtiani orbis vtilitatem publicatum iterum cura et ſtudio ſenatus Strigonienſis.* Vratislauiae 1610. 4. Hunc libellum prima vice in Sileſia fuiſſe editum ſuſpicor, quamuis illum inuenire nunquam potuerim. Prima quam vidi eius editio Norimbergae 1585. 4. prodiit, altera Vratislauiae 1597. 4 et tertia tandem illa eſt, quam paulo ante eodem in loco impreſſam nominauimus.

Hicce commemoratus MONTANVS terram Strigonienſem inuenit, praeparauit eandem et in aegrorum medelam adhibuit, ANDREAS BERTHOLDVS AB OSCHATZ vero, de quo non nulla in Cap. IV. de terris ſigillatis Tab. I. poſt figurae 4. explicationem adducturi ſumus, non ſolum hanc, ſed alias quoque Sileſiae et varias quoque Germaniae terras celebriores commentariis ſuis reddidit.

Varia nunc de natali terrae noſtrae loco commemoranda ſunt, cum et in hac re auctores quodam modo diſſentientes inueniam, et huius terrae qualitates clarius forte inde cognoſci poſſint. Striga ſeu Strigonium a tribus vicinis ipſi montibus nomen accepit [a], qui ſeptentrionem verſus ad dimidium lapidem circiter ab vrbe diſtant. Primus non admodum eleuatus planus magis eſt, et ideo mons tabulatus *der Tafelberg* appellatus, nullis quidem arboribus, tenui tamen gramine veſtitus eſt. Alter eſt acutus mons *der Spitzberg*, qui a cruce, quae in faſtigio eius cernitur, *der Creutzberg* quoque cognominatur. Tertius eſt mons ſt. Georgii, ab aliis mons diui Laurentii dictus, qui ſimul cum praecedente arboribus obſitus inuenitur. Hi tres montes in triangulo quaſi poſiti ſunt, licet in ſigillatis glebis, quae eorum figuras impreſſas oſtendunt, vt plurimum in vna ſerie poſiti obſeruentur.

Terra vero Strigonienſis, cuius cauſſa haec praemonere placuit, vltimis quidem temporibus ex monte plano eruta fuit, et licet plurimi ſcriptores [b] eam ex monte acuto, vel ex monte diui Georgii effoſſam apportari aſſerant, facile tamen colligi inde poteſt, illos, qui has opiniones fovent, probe a ſe inuicem diſtinguendos hos montes confudiſſe, minime tamen negandum eſſe arbitror, olim et ex acuto aeque ac diui Georgii monte terram hancce fuiſſe effoſſam, in primis, cum cuniculorum paſſim in iis reperiunda veſtigia clare id indicare videantur. Ex quibus apparet non audiendum eſſe ALDROVANDVM [c], qui terram hanc in alueo amnis, qui Strigonium interfluit, inueniri aſſerit, deceptus forte HOFFMANNI verbis [d], qui in cacumine montis olim ſcaturiginem aquae fuiſſe dicit, licet illa, rupis lapſu ſuppreſſa, amplius inueniri non poſſit.

In rimis itaque et fiſſuris montis poſita deprehenditur haec terra [e]. Lapis nimirum, in quo generatur, eſt arenoſus, nigricans, obſcurioris interdum

a) Vid. IOH. COLERI *Hausbuch 6 Theil, 17 Buch cap. 105 pag. 762. Striga hat ihren Nahmen in Wendiſcher oder Pohlniſcher Sprache von den drey Bergen, die man allda ſiehet, von Trſchi Drey und Ga oder Gon ein Berg.*

b) Vid. ex pluribus SCHWENCKFELD Stirp. et Foſſil. Sileſ. Catal. Lib. III pag. 395. WORMIVS in Muſeo Sect. I cap. 4 pag. 12. HENELIVS in Sileſiographia Cap. 3 § 49 pag. 360. VOLCKMANN in Sileſia Subterranea cap. 13 pag. 277.

c) In. Muſ. Metall. Lib. II cap. 18 pag. 271.

d) In. Oper. POTERII Sect. II cap. 4 pag. 524.

e) SCHWENCKFELD *in Beſchreibung des Hirſchberger Warm Bades* pag. 181; item in Stirp. et Foſſil.

terdum coloris, interdum pallidior et ad cinereum accedens, multis vbique fiſſuris conſpicuus, et ſaepius poroſus. Interſtitia illa ſeu pori nunc ampliores nunc anguſti admodum ſunt, ita, vt vel maioribus fruſtulis vel tenuioribus terrae intercurrentis lamellis locum relinquant, et, cum multis in locis illius lapidis partes in omnibus poris materia terreſtri repleantur, huius ope, ac ſi conglutinatae fuiſſent, cohaerent. Non igitur probabilitate deſtituitur illa opinio, qua ſtatuitur, terrenam quandam vel humo ſimilem maſſam aquae tranſeunti ſubtiliſſimas ſui particulas impertiri, quas illa ſecum in poroſum hunc lapidem ducit, et inde iterum ſecedens relinquit, quo fit, vt exſiccata denique maſſa compingatur. De hac vero in vicinia reperiunda terra, et de locorum, ex quibus terra eruitur, profunditate, neque auctorum, quos excitaui, libri, neque amicorum literae quidquam me docuerunt, vt inde hanc rem certo definire potuerim.

Sequentes HOFFMANNVS[e] terrae noſtrae characteres exhibet, *quod reniteat, vti ſpeculum, vt etiam faciem intuentis reddat, linguae impoſita firmiter adhaereat, ori immiſſa diſſiliat, et ictu quaſi tangat dentes*, es ſpringt wider die Zähne, *vitro aqua pleno iniecta fortiter latera vitri concutiat.* Hae vero notae, licet ab aliis ſimili recenſeantur modo, limitatae tantum aſſumendae erunt. Fracta namque gleba ſuperficiem non adeo politam oſtendit, quae tamen, ſi digitis fricatur, maxime ſplendens redditur, et tactu lubrica eſt, in primis, quae optima, in fuſca. Glebas, quae adeo ſplendent, vt intuentis imaginem referant, nos, licet maiores ad manus fuerint, non inuenimus. Linguae quidem adhaeret, ſed non adeo firmiter vt Bolus, neque, cum linguae humidae admota mox in partes diſſiliat, quod ex reliquis etiam inſtitutis cum ea experimentis cognoſcitur, tam firmiter adhaerere poteſt. Hic diſſiliendi modus, quem vitro calido, ſubito frigori expoſito, ſimilem iudicant[f], omnibus Margis nobilioribus ita conuenit, vt bonitatis notam terrae noſtrae inde adiudicare queamus. Minime vero hic ſtrepitus, vt quidam opinari poſſet, a particulis terrae latera vitri, in quo experimentum inſtituitur, concutientibus, ſed a ſecedentibus oritur fruſtulis, quas liquor aquoſus vel vinoſus, dum intra ſubtiliſſimas et viſu non aſſequendas penetrat fiſſuras, efficit. Marga noſtra interdum in pollinem tenuem, interdum in minores tantum partes, quae vix omnes emolliuntur, diſſoluitur. De puriſſima igitur terra Strigonienſi tantum valet, quod SCHWENCKFELD[g] et WORMIVS[h] aſſerunt, illam ſcilicet inſtar butyri in ore deliqueſcere.

Ad

Foſſil. Sileſ. Catal. Lib. III pag. 395 *zwiſchen einem ſchwartzen luſftigen Geſtein faſt wie ein Bimſ.* VOLCKMANN Sileſ. Subterr. cap. 13 pag. 277 *zwiſchen einem grauen luſftigen Geſtein, das faſt wie ein Bimſenſtein ausſiehet.*

e) In Operib. POTERII loc. cit.

f) Vid. PAVLLVS AMMANNVS in annexa Supellectil. Botan. Manud. ad Mater. Medic. § 4 pag. 10.

g) Loc. cit.

h) In Muſ. Sect. I cap. 4 pag. 12.

Ad colorem noſtrae terrae quod attinet, is variis quidem inſignitur nominibus, in fuſco tamen vel luteolo omnes conueniunt, licet quibusdam ſubruffus, aliis ſubgriſeus, vel in cinereum vergens dicatur [i]. Optima nobis viſa fuit, quae tota ex flauo fuſca, vt vulgo appellant, colorem hepatis exprimit, et primo in minores et irregulares partes diffilit, ſenſim deinde ſenſimque emollitur. Sed et paulo pallidior gleba non prorſus eſt reiicienda, dum modo pura inueniatur. Maculae nigrae in ſuperficie glebarum interdum conſpicuae, ut in aliis ſimilibus terris obſeruatur, a lapidoſa earum matrice proueniunt.

Varia praeterea nomina huic terrae data fuerunt, quae partim locum natalem et inuentorem, partim eius in glebas ſigillatas formationem, partim auri in hac terra praeſentiam indicare videntur. Ita enim a SCHWENCKFELDIO, WORMIO et aliis iamiam nominatis auctoribus terra ſigillata Strigonienſis, terra ſigillata Sileſiaca, Sleſiaca, et Germanica, ſigillum Strigonienſe, axungia ſolis chemicorum ſiue paracelſiſtarum appellatur. Ad Bolum retulit CHIOCCVS [k], terram ſigillatam MONTANI dixit KHVNRATH [l]. Chemica a MONTANO ipſi adſcripta nomina, aurum ſcilicet inuerſum, auri ſulphur, extractum quintae eſſentiae auri, nucleum auri, ex eius ſupra iam indicato libello NICOLAVS ARGERIVS recenſet [m]. Margam vero eandem CRATO [n] appellat, quod nomen, cum definitioni noſtrae reſpondeat, retinendum eſſe putauimus.

Diuerſo vero modo terra Strigonienſis, a prima eius inuentione praeparata, lota et ſigillis inde ſuſcipiendis apta fuit reddita, eum potiſſimum in finem, vt vel citius ſuas ederet vires, vel vt ſigillo ſignari et ita in poſterum fraudibus obuiam iri poſſet eorum, qui, monente SCHWENCKFELDIO [o] *lutum aut aliud argillaceum quoddam, in forma placentularum affabre effictum et variis notis inſignitum, paſſim credulae plebeculae obtruſerunt.* Verum enim vero, cum terra noſtra, per ſe ſatis pura, lotione non indigeat, eius vires nulla ratione augeri aut perfici poſſe quilibet ſtatim perſpicit. Comprobant hanc noſtram ſententiam varii huius medicinae commendatores. KHVNRATHVS enim aſſerit [p], multos terra natiua non praeparata

i) Flauum colorem adducunt SCHWENCKFELD et VOLCKMANN. loc. cit. CHARLETONVS de Foſſil. Gener. p. 6. Flauum et citrinum eum dicit AMMANNVS loc. cit. In glebis ſigillatis forte tantum hanc terram viderunt IMPERATVS Hiſt. Nat. Lib. V cap. 36 pag. 164. CHIOCCVS in Muſ. Calceolar. Sect. II pag. 110. quorum prior colorem candidum cum fuſco mixtum adducit, alter vero cum Bolo luteo Theophraſti eam comparat, additque, *ſi non ita fuſca, tamen in fuſco candicans apparet.*

k) Loc. cit.

l) *Deſtilir-und Artzney-Kunſt. II Th.* cap. 20 pag. 288.

m) *Im reformirten Rüffs teutſchen Apothecker. II Th.* cap. 13. pag. 691.

n) In Epiſt. ad Camerarium epiſt. CXXX.

o) In Stirp. et Foſſil. Sileſ. Catalog. Lib. III pag. 395.

p) Loc. cit.

praeparata cum ſucceſſu vſos fuiſſe, et SCHENCKIVS [q] vires terrae praeparationibus et enchireſibus variis non augeri profitetur. MICHAEL ETTMVLLERVS, dum eius virtutes praedicat [r], *terra*, inquit, *Strigonienſis uſurpanda eſt ſaltim ſimpliciter puluerisata, nam eius lotio eſt fruſtranea.* Nec impoſtoribus denique via ad alios decipiendos per ſigna, glebis impreſſa, praecluditur, illi enim terras ſigillatas facilius longe quam natiuas imitari norunt, id, quod eam in primis ob cauſſam notandum eſt, cum viginti abhinc annis nulla amplius terra ex fodinis illis eruatur, ita, vt pauca tantum genuinae Strigonienſis terrae fragmenta, idque laudabili amicorum induſtria, ex natali loco nobis comparare potuerimus. Vbique interim in officinis lutum quoddam ſigillatum flaueſcens venditur, quod vero ad noſtram terram nullo modo accedit. Hoc demum anno iterum veram terram effoſam fuiſſe noua publica teſtantur, quae eam felici cum ſucceſſu in morbo boum epidemico exhibitam fuiſſe narrant.

Ipſe vero huius terrae inuentor MONTANVS, quamuis auriferam hanc terram dixerit, nulla tamen aſſerti huius teſtimonia inuenies, ſed vana tantum, quae, nullis experimentis confirmata, illius aeui chemicis competunt, in ſaepius memorato tractatu occurrunt verba. Mirandum tamen eſt, quod plurimi ex ſupra iam nominatis auctoribus, vel caeco in hanc opinionem impetu tranſierint, vel eam absque omni cenſura repetierint. Vnicum ex iis SENNERTVM dubitantem inuenio. Is enim, dum verba MONTANI, quibus auri praeſentia indicatur, recenſet, ſic pergit: *quod ſi ita ſeſe habet, miror, cur potius a ſpiritu vitrioli, quam a ſpiritu ſalis ſoluatur* [s]. Auri forte minerae, olim in montibus Sileſiae copioſe inuentae, falſam hanc produxerunt opinionem, licet ipſae cryptae, ex quibus terra noſtra educta fuit, mineras illas, ex quibus aurum coqui poſſet, nunquam exhibuerint, nec in ipſa terra praeſtantiſſimi huius metalli veſtigia unquam inueniri potuerint, niſi forte BECCHERI teſtimonium [t], quod in phyſica terrarum conſideratione diiudicabimus, in rei demonſtrationem adhibere velis. Si vero metallici quid huic terrae ineſt, paucae tantum martiales, acido vitrioli ſolutae et tenuiſſimis terrae particulis intime iunctae illi erunt adſcribendae, id, quod ex eo magis confirmatur, quod acidum vitriolicum, tanquam peculiarem medicinam, nomine ſpiritus terrae ſigillatae donatum, ex illa terra eductum fuiſſe relatum legamus [u].

Cum tandem ad vſum terrae noſtrae indicandum accedamus, eximias a variis auctoribus in febribus malignis et peſtilentialibus, venenis, haemor-

q) In Diſſ. de Terr. Sigill. cap. XI.
r) In Colleg. Pharmac. in LVDOVICI edit. Opp. Francf. 1696. To. I pag. 1112.
s) Scient. Nat. Cap. I de Terris edit. Opp. Tom. I pag. 51.
t) In Phyſic. Subterran. Lib. I Sect. III cap. 5 n. 14.
u) Vid. IO. AGRICOLAE Commentaria et Obſervationes in IO. POPPII *Chymiſche Medicin* Lipſ. 1638. 4 pag. 883.

morrhagiis, dyſenteria et aliis pluribus morbis ipſi adſcriptas vires fuſius enumerare non libet. Bolo Armeno, Lemniae aliisque pro ſolaribus habitis terris, praeter iam nominatos auctores, BONVINIVS [x] noſtram aequiparat, alii vero eam, vt praeſtantiorem, iis longe anteferendam eſſe autumant [y]. CRATO [z] virtutes a lapide calaminari, in oculorum morbis profligandis, praeſtitas, Strigonienſi quoque adiudicat terrae, licet ob zinci in ea defectum hae vires expectari ab illa non poſſint. Reliqua terrae Strigonienſis encomia, cum incertas minusque veras eius laudes, multa inſimul cum aliis terris communia exhibeant, ne taedium lectori creemus, lubentes in praeſenti omittimus, temperare tamen nobis non poſſumus, quin ETTMVLLERI [a] verba, quibus huius terrae virtutes extollit, allegemus breuiterque diiudicemus: *Abſorbet*, inquit, *quaelibet acida inimica, acquirendo hinc texturam quaſi aluminis, vim ſtypticam relinquit, privatiueque ſudores mouet, imo ratione immaturae pinguedinis ſolaris, temperat quoque ea quaeuis acria in corpore ſtabulantia et in primis viis effervueſcentiam excitantia.* Ex his acidum abſorbere terram noſtram nullo experimento cognoui, quamuis non acida tantum, ſed omnis quoque generis acria, quae in primis viis haerent, ob unguinoſam vel pinguem, quam prodit, ſubſtantiam, inuoluere poſſit, ita, vt in quolibet aſſumto acri veneno, vel in dyſenteria aliisque, ab acrimonia ortis, alui fluxionibus apte exhiberi queat, et his quidem potiſſimum in morbis, cum aliquam roborandi virtutem, non ob ſolarem, ab ETTMVLLERO ipſi tributam, pinguedinem, ſed ob martiales, quas continet, partes et implicatas acidi vitriolici vires, poſſideat, egregium eſſe videtur medicamentum. Tandem, ſi vnquam terreas ſubtiliores partes ſanguinis mixtionem intrare, eius motum temperare et perſpirationem hac ratione excitare ſtatuendum eſt, noſtrae prae reliquis ſubtiliſſimae terrae hanc virtutem haud denegandam eſſe cenſemus. Sed cum de prima hac in Germania inuenta et a medicis magni aeſtimata terra, nimis forte fuſe iam egerim, varia, quae vlterius adhuc in eius declarationem memorari poſſent, ad medicam terrarum diſquiſitionem reſeruo. Eſt itaque, ut in ordinem redactam eam exhibeam, ſpeciei ſecundae varietas prima:

I, Marga Strigonienſis.

α) Gleba, quae terram hanc in matrice, lapide ſcilicet arenoſo nigricante, ſubcinereo, inſtar minerae exuſtae poroſo, oſtendit; poris et interſtitiis matricis, particulae Margae, ex albo flaueſcentis, inhaerent.

β) Glebae variae, minores, flauae et ex albo flaueſcentes, maculis nigris, paſſim a matrice ipſi impreſſis, inſignitae.

γ) Glebae

x) Lib. de Theriac. Sect. II cap. 34 pag. 97.
y) SENNERTVS loc. cit. it. in libro de Peſte. WORMIVS loc. cit.
z) Loc. cit.
a) Loc. cit.

γ) Glebae maiores, puriores, flauae, maculis nigris in ſuperficie conſpicuae, quae inſigni cum ſtrepitu, ſi in aquam immittuntur, dehiſcunt.
Sed et his glebae non nullae admiſtae eſſe videntur, quae parum denſae, ignobiliores ſunt reliquis et arenae particulas ſparſim immixtas habent, longe inſuper copioſiores poros habent quam deſcriptae.

II. Marga Brembergenſis vulgo Brechelwicenſis.

Inſignis huic terrae cum Strigonienſi, tum quoad matricem, tum quoad ipſius terrae materiam intercedit conuenientia. Leonhard Thomas ciuis et piſtor Goldbergenſis eam anno milleſimo ſeptingenteſimo nono inuenit et cum Strigonienſi eam ſimilem iudicaret, non tantum huius rei teſtimonium a facultate medica Lipſienſi ſibi expetiit, et illud quoque anno milleſimo ſeptingenteſimo duodecimo obtinuit, ſed etiam a praepoſito Brechelwicenſi id impetrauit, vt ſibi tantum terram hancce eruere et quaeſtum inde per venditionem facere liceret. Inde et eſt, quod terra Brechelwicenſis ſigillata fuerit, vt Cap. IV. Tab. III. Fig. 5, eam exhibebimus. Et, cum *Brechelwitz* vel *Brechelshoff* ſedes ſit praepoſiti, a Leubuſienſi monaſterio delegati, eo nomine inſignita fuit, licet in pago vicino *Bremberg* potius effodiatur.

α) Gleba huius terrae flaua, cuius matrix Strigonienſi ſimilis eſt.
β) Glebae flauae, puriores, maculis nigris, paſſim in ſuperficie diſpoſitis, notatae.
Hae inſigni cum ſtrepitu dehiſcunt, licet polita earum ſuperficies aqua aſperſa vix madeſcat.
γ) Glebae ex flauo albidae, quae flaua ſtrata admixta habent.
Cum aliquo quidem ſtrepitu dehiſcunt, ſed in ſuperficie quodam modo emolliuntur.

III, Marga Lignicenſis.

Haec cum Strigonienſi terra accurate admodum conuenit, in quonam vero loco ducatus Lignicenſis effodiatur, notatum non inuenio.

IV. Marga Goldbergenſis.

Haec flaua eſt, iam lota et in paſtam formata, ex qua ſigillatae glebae Tab, I. fig. 3. confectae fuerunt, quarum fragmenta et huic ſunt appoſita. VOLCKMANNVM non procul a Goldbergenſi cacumine, (*Goldbergiſche Höhe*) in ducatu Lignicenſi terram ſolarem Strigonienſi haud abſimilem inueniſſe IACOBI [b] memoriae prodidit: num vero praecedens Lignicenſis, an haec Goldbergenſis fuerit, determinari ſatis non poteſt, interim has ipſas terras, quoad materiam ſibi reperiri ſimiles indicaſſe ſufficiat.

V. Marga Seichauienſis.

Haec ex pallide luteo quodam modo rutilans, non adeo denſa eſt, quam praecedentes. Hinc etiam cum ſtrepitu non dehiſcit. Rubram Seichauienſem habet IACOBI [c], luteae vero et rubrae mentionem facit VOLCKMANNVS [d]. Nos Cap. IV. Tab. III. fig. 1. et 2. terras ſigillatas adducemus, colore omnino ab hac noſtra diuerſas, vnde colorum varietate inſignes terras et nobiliores forte glebas ex illo quoque loco deſumtas fuiſſe, haud absque omni ratione colligimus.

Poſt Strigonienſem Margam, quam inter has Sileſiacas terras primo loco poſuimus, Marga Laubacenſis quoque inuenta fuit. Laubacum eſt oppidum Haſſiae in Wetterauia, in comitatu Solmenſi ſitum, parum a Grünberga diſtans [e]. Ibi BERTHOLDVS AB OSCHATZ ſtatim poſt Strigonienſem inuentam, anno ſcilicet milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto, terram etiam, illi ſimilem, et praeter hanc aliam albam, quae axungia ſolis

b) In Diſſ. de Terris medicis Sileſiae § 14.
c) Diſſ. cit. § 11.
d) In Sileſ. Subterran. pag. 281.
e) Vid. H. A. ANTHES in A. SAVERS *Städte Buch*, ſub Tit. *Laubach in Heſſen.*

ſolis dicitur, et interdum ſub ſpecie axungiae, interdum vero farinae ſeu pollinis ſub forma apparet, inuenit[f]. Hanc ipſam terram deinde IOH. GODOFR. GEILFVS[g] et HENRICVS MAIVS[h] deſcripſerunt. Ex his poſterior, dum de diuerſis terrae Laubacenſis ſpeciebus loquitur, tres, quoad colorem, diuerſas terras recenſet: 1 luto communi ſimilem, 2 rubram, 3 ex albo cineream, omnes praeter ea has terras vel auri vel argenti participes eſſe aſſerit, et virium inde, quae in caput aut cor exercent, deducit differentiam, licet et alias plures illis non deneget. Quod quidem aſſertum ex iis, quae paſſim et in ſpecie ratione terrae Strigonienſis monuimus, facillime, vt opinamur, diiudicari poteſt. VALENTINI[i] deinde albicantem, ſubrubram et fuſcam propoſuit, quarum vltimam ad hanc tantum ſpeciem retulimus, priorem vero in ſequenti nominabimus ſpecie, rubram vero vel ſubrubram, nunquam a nobis viſam, intactam in praeſenti relinquimus. Ratione ſubſtantiae, Laubacenſis terra cum omnibus conuenit glebis, quas in hac ſpecie recenſemus, immo et cum ſtrepitu diſſilit, ita, vt illi, qui cum Strigonienſi eam aequipararunt, commiſſi erroris accuſandi non ſint.

Ex hac vero terrae noſtrae cum praecedentibus conuenientia, ejus quoque matricem cum Strigonienſi conuenire ſuſpicabar. Alia vero me docuit IOH. GEORG. LIEBKNECHT[k], qui locum, ubi haec terra inuenitur, ſtudioſe deſcripſit. Monet enim terrae communis nigrae ſeu humi, quae in his collibus deprehenditur, exterius ſtratum, cum multa limoſa terra commixtas oſtendere glebas, quae rectangulos quaſi lapillos ſiſtunt, et lutei nunc et fuſci, nunc magis ſubrubri coloris inueniuntur. Has glebas ad terram noſtram referendas eſſe, inſtituta cum iis experimenta declararunt; affuſis enim liquoribus, aqua nimirum, vel vino, vel aceto, cum quibus experimenta facilius ſucceſſerunt, cum notabili ſtridore diſſiliebant. Non vero in hac ſola limoſa matrice, ſed inter ſolidiores quoque lapides, hanc terram, albam in primis, inueniri, nominatus auctor obſeruauit, et dum ad minerarum ferri, quae in illis locis deprehenduntur, deſcriptionem progreditur, ex metallifoſſorum obſeruatione notauit[l], eas in hac limoſa terra, immo inter praeſtantiores quoque Margae noſtrae glebas inueniri.

In

f) Vid. IO. IVST. WINCKELMANNI *Beſchreibung des Fürſtenthums Heſſen vnd Hirſchfeld* Part. I cap. 6 pag. 36; it. MICHAEL BERNARD. VALENTINI Prodromum Hiſt. Natur. Haſſiae cap. 3 pag. 13; et OSWALDI CROLLII Tract. de Signaturis in praef. pag. 4.

g) De probatiſſimae terrae ſigillatae Laubacenſis proprietatibus tractatio latinitate donata, annexa I. G. LIEBKNECHTI Diſcurſui de Diluuio maximo, occaſione inuenti nuper in comitatu Laubacenſi in mineram ferri mutati ligni, publicato, Gieſſae et Francofurti 1714, 8.

h) In Panacea Laubacenſi, *das iſt, kurtze und gründliche Beſchreibung der Laubachiſchen Siegel-Erde.*

i) Loc. cit. et in Muſ. Muſeor. P. I pag. 2.

k) In citato diſcurſu cap. 2 § 5 ſeqq. pag. 89.

l) l. c. § 12 pag. 113.

In RIVINI aduerſariis amplam quandam huius terrae deſcriptionem, et ſubiunctos illi verſiculos de laudibus axungiae ſolis et lunae, germanico idiomate elaboratos, inuenio, quam tamen eius commendationem, cum praeter medicas huius terrae virtutes, circumforaneorum more recenſitas magis, quam certis experimentis confirmatas, nihil notatu dignum contineant, huic operi inſerere nolui. Suſpicor ſchedulam olim, ad famam laudemque huic terrae comparandam, impreſſam, Riuinianis inſertam fuiſſe ephemeridibus. In hac ſchedula inuentionis terminus ad diem viceſimum nonum Octobris, anni milleſimi quingenteſimi nonageſimi, refertur, natalis vero locus *Honigau* ſiue *Hoeningen* appellatur.

VI. Marga Laubacenſis.

Glebae ſunt flauae, puriores.

VII. Marga Goerlicenſis.

Glebae ſunt plurimae minores, flauae, rutilantes et albidae mixtae, quae ad pagum *Schoenfeld*, prope Goerlicium, crutae fuerunt.

VIII. Marga Altenbergenſis.

Glebae variae flauae et fuſcae ſunt, cum ſtrepitu non diſſilientes, vtrum Franconicae ſint, an Miſnicam terram pro patria agnoſcant, definiri non poteſt.

Inter terras, ſub hac ſpecie recenſendas, Veldenſis haud minoris eſt momenti, quae ampliorem quodam modo deſcriptionem poſtulare videtur. Haec terra ex crypta, *das Geiſsloch*, *Kreiſsloch*, *Grausloch* appellata, quae dimidium circiter lapidem ab oppido *Velden*, ditionis Noricae, diſtat, eruitur, et a BAIERO [m] ſtudioſe deſcripta eſt. Oſſa lapidoſa maiora aeque ac minora variam, v. c. femoris, dentium, figuram prae ſe ferentia, in hac cauerna inueniri, CASPARVS HOFFMANNVS [n] et ex eo SCHENCKIVS [o] tradunt. BAIERVS vero, qui eorum non meminit, terram tantum ex luteo puniceam, pinguem et puriſſimam ibidem inueniri aſſerit, quae licet nunc non amplius tam copioſe, vt antea, eruatur, a plurimis tamen auctoribus medicis terris annumeratur [p].

Hic quaedam ex epiſtola, germanico idiomate conſcripta, quam ſine auctoris nomine inter chartas RIVINI collectas inuenimus, cum non nulla contineat, quae ad naturam huius terrae ſpectant, apponere liceat. Fuſiorem, quam auctor exhibet, cryptae Veldenſis deſcriptionem, lubenter omittimus, in primis, cum ab ea, quam BAIERVS exhibuit, huius cauernae hiſtoria, diſcrepans parum inueniatur. Terram veram Veldenſem, ſiue Margam genuinam, epiſtolae auctor in multis huius cryptae locis fruſtra quaeſiuit, vbique tamen lutoſam quandam inuenit terram, quae lota forſitan,

m) In Oryctographia Norica pag. 10 et 11.
n) In Paralipom. Officin. cap. 25.
o) In Diſſ. de Terra Sigillata. cap. 12.
p) Vid. IOH. HENR. SEYFRIEDS *neu aufgelegte und vermehrte* Medulla mirabilium naturae pag. 498. *Nürnb.* 1694. 8. CASP. HOFFMANNVS loc. cit. cap. 45. FRIDERICVS HOFFMANNVS in POTERII Operib. Practic. et Chemic. pag. 525. IO. IAC. MARXENS *neu vermehrte und verbeſſerte deutſche Material-Kammer* pag. 339. *Nürnb.* 1709. 8. VALENTINI Hiſt. Simpl. Reform. pag. 2 § 6.

forſitan, vt medicina exhiberi potuiſſet. Sed vera et naturae opera elaborata terra maiori cum ſtudio indagari debuit, haec enim indurata lutoſae vulgari, quam antea nominauimus, terrae admixta, pinguiori ſapoui, in partes diſſecto, ſimilis eſſe videbatur. Rubra quidem erat, vel ad rubicundum ſaltim, quando ex arenoſo et impuro luto lauando educta fuit, accedebat colorem, ipſae vero glebae, nigras et arenoſas, a matrice lapidea forte adhaerentes particulas oſtendebant, et ſaepius dura, arenoſa et nigra cruſta tegebantur. Ex quibus patet, has quoque partes in rimis matricis lapidoſae inuentas fuiſſe, ita, vt illa cum Strigonienſi terra, quoad plures, comparari poſſit conditiones. Rubrum, quem auctor epiſtolae adduxit, colorem, flauum potuis fuiſſe glebae noſtrae oſtendunt, quae, id quod pro certo habemus, ex eadem crypta erutae fuerunt, rutilantem tamen concedere ipſi poſſumus, in quem ſimiles ſaepe glebas vergere perſpeximus. Illam praeter ea vulgo receptam opinionem, ac ſi metalli nobilioris fodinae hic loci inueniantur, defendit, illius enim in albicantibus lapillis, qui quartzi fortaſſis partes eſſe videntur, inueniri poſſe veſtigia, ſibi, ſed falſo, perſuadet. BAIERVS namque, quem ſaepe iam nominauimus, huic ab aliis defenſae opinioni et recte quidem contradicit, et praeter martiales, paucas, his terris proprias, nullas alias ipſis concedit partes. Eſt igitur haec terra, vt debitum illi locum aſſignemus:

IX. Marga Veldenſis.

Cuius ſequentes, quodam modo inter ſe diſcrepantes, enumeramus glebas.

α) Gleba purior, fuſca, quae cum ſtrepitu dehiſcit.

β) Gleba pallidior, quae ſine ſtrepitu dehiſcit.

γ) Glebae variae, prioribus minus denſae, non nihil arenoſae, quae imperfectam quaſi hanc terram ſiſtunt, vt pote quae in matricis rimis condenſari non potuit.

X. Marga Annabergenſis.

Haec gleba pallide fuſca nec adeo denſa eſt, vt praecedentes, neque cum ſtrepitu dehiſcit.

XI. Marga Neoſolienſis,

Haec gleba obſcure fuſca eſt, et denſa, ita, vt cum aliquo ſtrepitu diſſiliat, ab Argilla IX. II. ♪, itaque, ratione coloris aeque ac materiae, differre videtur.

XII. Marga Toccavienſis.

Haec ex flauo rubicunda eſt, ſine ſtrepitu dehiſcit, et emollitur tantum, a Bolo XIV. III. parum diſcrepat.

XIII. Marga Smalcaldenſis.

Gleba praecedenti ſimilis, magis flaua, dehiſcit et emollitur.

XIV. Marga Alſatica.

Gleba flaueſcens, prope *Biſchweiler* effoſſa. Ex ſtratis quibusdam irregularibus compoſita eſſe videtur,

XV. Marga Schoenauienſis.

Haec ad pagum *Schoenau*, in praefectura Zwickauienſi ſitum, in rimis et fiſſuris marmoris nigri poſita reperitur, coloris eſt pallide fuſci.

α) Glebae

α) Glebae irregulares, non lamellatae.

β) Glebae ex lamellis tenuibus compoſitae.

Poſteriores quidem prioribus denſiores ſunt, omnes tamen dehiſcunt ſine ſtrepitu et emolliuntur.

XVI. Marga Bornenſis.

Haec terra prope pagum *Born*, in praefectura Freybergenſi, effoditur. Magis quam praecedentes omnes in luteum vergit colorem, et, vt gleba quaedam ſatis magna docet, non in fiſſuris montium, ſed in ſtrato quodam deprehenditur, Glebae minores humectatae dehiſcunt et emolliuntur.

α) Gleba, flaua ex lamellis compoſita, quarum quaedam pallidiores ſunt, aliae tenuiſſimae, albae.

β) Gleba flaua, ex lamellis, vt praecedens, non compoſita.

Ad hanc quoque terrarum ſpeciem illae pertinent glebae, quae in officinis noſtris pharmaceuticis ſub terrae Lemniae nomine exhibentur. Licet vero, vt ex ſequentibus patebit, firmiter mihi perſuaſum habeam, Lemniam terram veterum ad Bolos magis, quam ad Margas referendam eſſe, tamen cum nullibi in recenſitis Bolis, niſi forte poſt Armenum Bolum, de hac, ab omnis aeui medicis celebrata, terra copioſe, vt decet, diſſerendi occaſionem relictam mihi eſſe ſentiam, hoc loco potiſſimum de ea agere conſtitui, quoniam omnes, quas tanquam Lemnias collegimus, terrae, vel ad hanc vel ad ſequentes Margae ſpecies referendae ſunt. Duodecim circiter plagulas, minutis litteris exaratas, in RIVINI ſchedis, de hac terra collectis, inueni, ex quibus, cum omnes, qui unquam de hac terra memoriae quicquam prodiderunt auctores, vel medicas tantum in peſte et variis infra nominandis morbis, eius virtutes tractent, vel in exſcribendis et repetendis iis, quae ab aliis iamiam ſibi antiquioribus prolatae ſunt, ſententiis, occupati ſint, ea, tanquam praecipua et notatu digna ſelegi, quae huius terrae hiſtoriam clariorem magis reddere poſſunt: licet certi et accurati ſatis eius characteres in tanta auctorum obſcuritate, et oborto, de colore, ſigillis et illa, quae inter Bolum Armenum, Rubricam et Lemniam terram ſtatuenda ſit, differentia, diſſenſu, definiri vix queant. Ita vero rem meam perficiam, vt praemiſſis iis, quae nomen terrae noſtrae concernunt, ea adducam et explicem auctorum loca, qui ipſi, diverſis quamuis temporibus, Lemniam terram, in natali loco viſam, deſcripſerunt, iis deinde non nulla ſubnectam, quae de natura et indole huius terrae, vel ex his, vel ex aliis quibusdam auctoribus colligi poſſunt.

Lemniam terram ob rubrum colorem Milton ſeu Rubricam Lemniam veteres nominarunt [q]. Hanc vero appellationem ipſe GALENVS alio in loco reiicit, dum dicit [r]: *praeſtat autem eam vocare non Milton ſed terram, eſt enim aliqua Lemnia Miltos in Milto proueniens, alios ad vſus idonea, non tamen*

q) PLINIVS Hiſt. Nat. Lib. XXXV cap. 6. GALENVS de Antidotis Lib. I cap. 6. PAVLVS AEGINETA de Re Medica Lib. VII cap. 3.

r) De Antidotis Lib. I cap. 14.

tamen ad quos Lemnia, ſphragis appellata[s]. Porro quoque terram noſtram, ob ſigillum, quod illi imprimebatur, ſphragidem [t] vel ſphragida aegos, hoc eſt, caprae ſigillum nominatam fuiſſe inuenimus [u]. Obſcura autem Arabum nomina, qualia v. c. ſunt lapis bezahar, tam et tami cyprinum, magra, lutum diuinum, terra ſigillata mulieris et alia forte plura deſcribere, et quatenus vel terrae noſtrae, vel Bolo Armeno conueniunt, definire ſuperuacaneus fere eſſet labor, in primis, cum, ſi etiam ad fontes ipſos regredi poſſemus, ex imperfectis tamen deſcriptionibus certi quidquam, et ne hariolando quidem, erui vix poſſit [x]. Lemniam terram ab omnibus ferme recentioribus ſcriptoribus eam appellari, verum eſt, licet non uni ſemper terrarum ſpeciei, ſed multis et diuerſis glebis hoc nomen ab ipſis impoſitum inueniatur.

Ex iis, qui diuerſis hiſce nominibus inſignitam hanc terram ex ipſa matrice, dum erueretur, conſpexerunt, GALENVS in primis conſulendus eſt [y]. Is enim, vt medicamentoſae, ſuo iam tempore celebris adeo terrae, indolem accuratius cognoſceret, iter in Lemnum inſulam inſtituit, et de terra Lemnia vera, quae ſacra nominata a ſacerdotibus tantum colligebatur, ſequentem, dignam certe, quae hic inſeratur, affert deſcriptionem: *eundem*, inquit, *quem Rubrica colorem obtinet, verum ab ea differt, quod contactu non contaminet, atque illa, et ſecundum collem in Lemno, qui totus colore fuluo eſt, et in quo neque arbor, neque ſaxum, neque planta naſcitur, tantum huiusmodi terra viſitur. Porro tres eius ſignantur differentiae, vna, quam poſuimus, terrae ſacrae, quam alii nemini praeter vnum ſacerdotem contingere fas eſt, altera vero eius, quae reuera eſt Rubrica, vtuntur autem ea potiſſimum fabri, demum tertia eius, quae extergit, qua vtuntur, qui lintea et veſtes lauant.* Sacrae vero, quae medica potiſſimum erat, praeparandi modum his verbis proponit: *Hanc terram ſacerdos cum patrio quodam honore ſumens, haud mactatis animalibus, ſed tritico atque hordeo piamenti gratia terrae redditis, in vrbem comportat. Quam deinde aqua maceratam, atque in lutum redactam, vbi valenter conturbauit, paulumque inde quieſcere ſinit, aquam, quae ſupernatat, primum aufert, et mox, quod ſub ea eſt, pingue terrae tollit, ac reliquum duntaxat, quod ad imum ſubſedit, lapidoſum ſcilicet et arenoſum relinquit, vt inutile ac ſuperuacaneum. Porro lutum illud pingue vſque eo deſiccat, dum mollis cerae conſiſtentiam accipiat, huiusque exiguis acceptis particulis, ſacrum Dianae ſignum imprimit; ac poſtmodum rurſum in vmbra ſiccandum reponit, donec omnem humiditatem mittat fiatque illud medicis omnibus cognitum medicamentum, Lemnium ſigillum.*

Duplex

s) Conf. NIC. LEONICENVS de Plinii et Medicor. Erroribus Lib. I cap. 13. BRASAVOLVS Examen Simplic. Medicament. pag. 573.

t) PLINIVS loc. cit. AETIVS Tetrabibl. 4. Serm. I cap. 48 et PAVLVS AEGINETA loc. cit.

u) DIOSCORIDES. Lib. V cap. 104.

x) Vid. AVICENNA Lib. II Tract. II cap. 419 de luto ſigillato.

y) De Simpl. Medicam. Facultat. Lib. IX cap. 1 no. 2.

Duplex vero GALENVS, in Lemnum insulam susceptum, in commemorato hoc loco describit iter, in quorum priori ad illam insulae urbem, cui nomen Myrinae datum est, et ad quam terra non inuenitur, peruenit, altero vero itinere, ad vrbem, quae Hephaestias dicitur, accedens, montem ibidem vidit, ex quo terra eruta et vlterioris praeparationis caussa, vehiculis iniecta, in vrbem apportata fuit. DIOSCORIDIS praeter ea assertum[z], quod sanguis hircinus huic terrae admisceretur, cum viri, in historia patria versati, admixtionem illam unquam factam fuisse negauerint, veritati non conuenire GALENVS ostendit, ex quo opinio oriri posset, eos forte, qui terras spurias et albas potissimum Lemniae substituerunt, hanc suscepisse mixtionem.

Accedimus nunc ad PETRVM BELLONIVM[a], quippe qui ea quoque, quae ipse vidit, de hac terra tradidit. Descriptis namque Hephaestiae ruinis sic pergit: *A destructo castello digressi, secundum eius murum ad sinistrum progressi sumus, versus collem iter facientes, qui non longius inde abest, quam quaternis sagittarum iactibus. Inter montem et portum, sacellum est Sotira nuncupatum, ad quod Calohieri oppidi Lemnos conueniunt sexta die Augusti, qua terra e sua fodina erui solet. Id sacellum exiguis quibusdam parietibus solum modo constat, tectum lapideum sustinentibus. A sacello digressi, rectaque ad montem tendentes, in binas semitas incidimus, quarum altera dextra, altera sinistra ad binos fontes ducebant, teli circiter iactu inter se disitos. Quae ad dextram est scaturigo, aestate non deficit, at quae ad sinistram omnino exaresçit; et cum locus sit humidus, soli iunci ibi proueniunt. Nos ad dextram equitauimus, vbi nullae arbores crescunt, praeter siliquam, sambucum et salicem, vmbram fonti praebentes; quo autem facilius perueniatur in eum locum, vnde terra signanda desumitur, lapidei gradus sunt additi. Ascensus est supra terram ipsam et ad alterum locum humidum via ducit, atque paulo supra ad sinistram est locus, terram sexto Augusti die eruendam continens. Et quoniam eruitur vena aperta, nihil aliud conspicitur, quam obliquum foramen, quod terra denuo tegitur. Licet vero peregrinus eo proficiscatur, atque ei locus demonstretur, nunquam coniicere queat, vbi sit fodinae os, quia terra obturatum; nec vlla ratione efficere potuimus, vt fodina aperiretur: cum unico duntaxat die in anno conspici soleat, non sine magno apparatu et ceremoniis.* Optime itaque nominatus auctor locum natalem designat, ipsam tamen terram modumque eam praeparandi non vidit, et, aliis in locis, sigillo tantum notatas huius terrae glebas recensет.

Ea tandem referenda sunt, quae MATTHIOLVS[b] ex litteris a STEPHANO ALBACARIO ad Augerium de Busbeke Constantinopolim missis, proponit. Hic enim ALBACARIVS, postquam monuerat, incolas modernos Graecos,

z) loc. cit.
a) In Obseruationibus ex versione CAROLI CLVSII Lib. I cap. 28 pag. 33. Antwerp. 1605. fol.
b) Commentar. in Dioscorid. Lib. V c. 73 pag. 939.

Graecos, non niſi vnicum, ex quo terra eruitur, oſtendere collem, qui tamen ab illo, quem GALENVS deſcribit, monte, cum fertilis ſit, arborum et plantarum ferax, differat, ſequentia memorat: *Orientalem plagam reſpicit, et apud vicum quendam ſitus eſt, quem Repondi vocant. Terra autem Lemnia foditur in montis cacumine, quod in planitiem ſe extendit. Fodinae ibi ſunt tres, quarum duae, e quibus ſuperioribus temporibus Lemnia terra effoſſa eſt, corruerunt et in totum deletae ſunt. Tertia autem, quae putei modo in collem deſcendit, ad ſeptentrionem vergit. Ad eiusdem collis radices, tres limpidiſſimae aquae ſcaturiunt fontes, quorum duo, qui minores ſunt, ad ſeptentrionalem plagam excurrunt. Tertius vero, qui amplior eſt, ad meridiem progrediens, viridarium quoddam irrigat.* Paruum poſtea, in colle poſitum, ſacellum, ritumque transfigurationem Chriſti in monte Tabor, eo die, quo terra effoditur, celebrandi, adumbrat et de terrae indole haec addit: *Quae ibi effoditur terra, maiori ex parte candicat, aut pauliſper ſubrubet, etſi quandoque, rariſſime tamen, etiam rubro, aureoque colore inueniatur, Armenio Bolo per omnia ſimilis, cum tamen Galeno in vniuerſum Lemnia terra adeo ſaturate rubeſcat, vt a Rubrica nihil colore differat: quae quidem Rubrica, qua vtuntur fabri, ad lineas ducendas, in non nullis inſulae locis etiam hoc tempore e fodinis eximitur. Sed haec Lemnia terra Galeni eſſe non poteſt, cum tangentes rubro colore inficiat. Haec itaque me adducunt ad credendum, quod, aut ex alio colle Galeni tempore ſit deſumta, qui tam longo temporis tractu, aut terrae motu, aut pluuiarum inundatione corruerit, vt in aliis quoque locis factum eſſe ſcimus, aut, quod idem collis, cultorum diligentia ac laboribus, faciem et naturam omnino immutauerit.* Commemorat denique, quanta cum cura ſuo adhuc tempore fuerit eruta et ita pergit: *Mirum eſt, quam ſuauem odorem puteus ille ſpiret. Ceterum non omnis, quae in puteo habetur, terra bona eſt. Quo fit, vt eam, quae inter fragiles quosdam lapides pinguis lentaque deliteſcit, tantum recipiant, eamque praeſertim, quae calculorum ſit expers. Fodiunt a ſolis exortu ſex continuis horis, et deinde eam tantum in imam putei partem occludunt, quam annuatim fodere ſolent, nec reſerant, niſi ad ſtatutam futuri anni diem. Namque legibus cautum eſt, capitis poena, ne quis illuc clam vel palam fodiendi cauſa accedere audeat. Verum non multum eiusdem terrae effodiunt, cum fodinae ambitus non niſi paucos foſſores admittere poſſit. Id deinde ſelectiſſimae terrae, quod exemerunt, diligenter eluit quidam, huic muneri obeundo deſignatus. Ea elota in ſuſpenſos aliquot transfertur ſaccos, ibique tam diu manet, quousque tota effluat aqua. Exemtam deinde manibus miſcent, eamque tandem in maiores minoresque globulos fingentes, imperatorio ſigillo obſignant. Demum ſiccari ſinunt, et totam Conſtantinopolim in ſcrinio, eodem ſigillo occluſo, ad magnum Turcarum imperatorem mittunt. Terra haec in Lemno nusquam venalis reperitur, quod in nullius arbitrio relinquatur. Nam etſi permittatur, vt inſulae praefectus et alii quidam primates non nihil obſignatae terrae ſibi accipere poſſint, nemini tamen vendere audent, ſed tantum amicis donant. Hoc idem facit, qui terram lauat, cui ex lege ſacculus donatur, ſed haec principis ſigillo non inſignitur.*

Principes

Principes hi esse videntur auctores, qui Lemniae terrae natalem locum atque naturam illustrare conati sunt, ex quorum dictis dilucide appareret, non priscis tantum, sed recentioribus quoque temporibus terram, quae medicis vsibus in primis inseruiebat, in insula Lemnos inuentam fuisse, licet nulla amplius huius terrae effossae in huius et praecedentis seculi scriptoribus vestigia detegere potuerimus. In Chio quidem insula terram Lemniam inuentam fuisse PROSPER ALPINVS docet [c], sed similem forte Lemniae terram ibidem repertam fuisse, propius a vero abesse videtur. Eorundem porro auctorum testimoniis constat, ex monte siue colle et ex eiusdem interioribus, diuersis tamen ex cauernis, terram Lemniam effossam fuisse. Recte igitur DIOSCORIDES [d] ex cuniculoso specu eam educi ait, cum vero palustrem ibi locum esse tradat, non ipsam quidem caueam, sed locum illi vicinum, ex quo scaturigines proueniunt, eum indigitasse censendum est.

Quod vero ad ipsam terrae Lemniae naturam attinet, id tantum ex commemoratis hactenus auctorum descriptionibus colligimus, ipsam vt plurimum impuram, lapillis et sabulo remixtam, fuisse, ita, vt lauando demum pura euaserit, interdum tamen quasdam glebas pingues, his admixtis destitutas, inter lapides fuisse repertas, quae inde pro bolari vel nobiliori argillacea terra haberi queant. Illud praeter ea pro certo habemus, hanc nostram terram, ratione saporis et odoris, ab aliis terris non esse diuersam, et licet ALBACARIVS puteum suauem odorem spargere asserat, eum tamen recentis tantum et humidae terrae indolem redolere opinamur. In his vero a nobis prolatis circumstantiis disquirendis AVICENNAM [e] si consulas, is quidem inodoram hanc terram esse affirmat, sed aluminis insimul odorem illi adiudicat; quis vero ille sit, nisi acidum illum intelligas halitum, qui forte ex nostris quoque glebis, si vehementiori igne tractentur, elici possit, lubens me ignorare profiteor. Sapor denique in omni terra subadstringens obseruatur, grauis admodum, idque eo magis in iis glebis, quae rubore prae ceteris conspicuae sunt.

Ipse deinde, quem Lemnia terra ostendit, color, cum tantae de eo inter auctores exortae sint disceptationes, nostram in primis meretur attentionem, qui vel ruber vel rutilans fuit, raro ad album accessit. Licet enim PLINIVS [f] intense rubrum ei tribuat, eiusque tincturam minio siue cinnabari proximam, optimam esse dicat, cum minium ea subliniri, immo adulterari posse asserat, GALENVS insuper Rubricae colorem ipsi adscribat; THEOPHRASTVS tamen [g], dum Rubricae in Lemno effossae differentias enumerat, ex rubro candidam quoque nominat, et ALBACARIVS terrae etiam candidae, et quae paulisper subrubeat, mentionem iicit.

c) De Medic. Aegyptior. Lib. IV cap. 11 pag. 305. Edit. Lugd. Batav. 1718.
d) Lib. V cap. 104.
e) Lib. II Tract. 2 cap. 419.
f) Hist. Nat. Lib. XXX cap. 6.
g) Lib. de Lapidib. pag. 11.

iicit. MERCATVS [h] veterem Lemniae terram colore, loturae carnis ſimili fuiſſe praeditam, ex eo colligit, quod, DIOSCORIDE teſte, vera terra, vel ſi ob auctorum hac in re diſſenſum, illud concedi non poſſet, ſuppoſititia ſaltim hircino ſanguine fuerit tincta, ex qua admixtione albae natura ſua terrae carneus color impertiri poſſit, id, quod Turcae, qui in Lemno effoſſam, ſimili colore conſpicuam terram viderat, teſtimonio confirmat.

Sed his conceſſis, neminem porro, harum rerum cognitione leuiter tantum imbutum, negaturum arbitror, diuerſa ſaepius terrae ſtrata inter effodiendum inueniri [i], ita, vt colore quodam modo diuerſae glebae vno eodemque in loco deprehendi poſſint. Ita vero de hoc argumento diſſerit AGRICOLA [k]: *Quod ſi color*, loquitur de terra Lemnia, *minus, quam debet, Rubricae videtur conuenire, cogitemus ipſum, cum terra diluitur, vt in paſtillos cogatur, non nihil poſſe mutari, deinde profundius fodi atque ita minus calore aduri.* Ex quibus vltimam, quam profert, huius mutationis rationem, non ita, vt priorem valere inde iam conſtat, quod aliae quoque terrae, ex profundis ſatis cuniculis eductae, rubicundae tamen inueniantur.

Cum vero Lemnia terra plerumque in forma glebarum praeparatarum et ſigillatarum fuerit vendita, inſignem, quoad colorem, in iis differentiam notatam fuiſſe legimus. Albas ſaepius exhiberi, LEONH. FVCHSIVS adducit [l] et cineritii coloris placentulas, ſiue glebas ſigillatas, pro optima Lemnia terra a non nullis haberi SCHROEDERVS refert [m]. In noſtris, quae huc potiſſimum referri merentur, arabicis characteribus inſignitis glebis, ruber et albus quidem color praecipue obſeruatur, non nullae vero alios ex his compoſitos colores oſtendunt. Interim in genuina terra diſquirenda, ad glebas ſigillatas, cum vix non ſemper adulterentur [n], reſpiciendum non eſt, idque eo magis euitandum, cum CHIOCCVS [o] non nullas tantum glebas genuinas Lemnias in Italiam tranſportatas, plures tamen ſimul ſuppoſititias ex eadem inſula allatas fuiſſe, moneat. Easdem vero vires cum multae, quoad colorem, vt accedentem notam, inter ſe diſcrepantes, glebae ſaepius praeſtiterint [p], non tam color, quam materia glebarum attendenda eſt, ſi iis in debellandis morbis vti velimus, qui enim, monente

h) Metalloth. Vatican. Arm. I cap. 2 pag. 8 ſeqq. et cap. 3 pag. 11.

i) Vid. IMPERATVS Hiſt. Nat. Lib. V cap. 33 pag. 163.

k) In Bermanno edit. Operum pag. 699.

l) Paradox. Medic. Lib. I cap. 42 edit. Oper. Francof. 1567. Fol. To. III pag. 85 vid. CHARLETON de Foſſil. Gener. pag. 5.

m) Pharmacop. Medico Chymica Lib. III cap. 2 pag. 309.

n) Modum ex Argilla cum ſcordii, cui iuniperi ſemen admixtum eſt, decocto eiusmodi glebas conficiendi proponit. HIERON. CARDANVS de Subtil. Lib. V pag. 144.

o) In Muſ. Calceolar. Sect. II pag. 111.

p) HOFFMANN in Clav. Pharmaceut. Schroederi Lib. II cap. 2 pag. 129.

nente ALEXANDRO TRALLIANO[q] lutum quodlibet Lemniae ſubſtituunt terrae, effectu fruſtrantur. Sed, vt olim, ſic et nunc veram terram non ſemper inueniri poſſe commemorant auctores [r].

Dum vero, quaenam inter terras, a nobis hactenus recenſitas, Lemniae optimo iure ſubſtitui queant, diſquirimus, facile quidem ex deſcriptae ab auctoribus terrae indole colligimus, quemlibet nobiliorem Bolum verum, in primis rubrum, Bolum XIV. noſtrae aequiparari et in medicamentorum formulis eius loco vſurpari poſſe. MATTHIOLVS[s] olim, per ALBACARIVM forte edoctus, terram, quam Bolum Armenum Orientalem vocant, Lemniam fuiſſe credidit, quod licet GVILANDINVS[t] et alii ipſi non concedant, cum in tanta locorum diſtantia vix aliqua oriri poſſit confuſio, tamen ratione earum, quae genus et ſpeciem Boli Armeni conſtituunt, notarum, inſignis certe vtriusque terrae apparet conuenientia, ita, vt dubium tandem ſuperſit, vtrum ex eo, quod genuinus Armenus Bolus paululum flaueſcat, Lemnia vero terra ſaepius albeſcat, ſpecie forte, an varietate tantum inter ſe diſcrepent.

Recentioribus tamen Margae non nullas ſpecies, et hanc in primis, in qua declaranda occupati nunc ſumus, eligere placuit. Supra iamiam, vbi de Strigonienſi terra verba fecimus, MONTANVM terram, Lemniae, vt opinabatur, vel aequiparandam, vel praeferendam inueniſſe, monuimus[u], quae vero cum genuina veterum Lemnia terra minime conuenit. Si cum IOH. RENODAEO[x] *terram, cuiuscunque ſit coloris, quae adeo pinguis eſt, vt e ſeuo conſtare videatur, dum in ore contenta dentibus diffringitur,* optimam omnino iudicare, et generalem inde, ex ipſa terrae materia petitum, characterem aſſumere velimus, omnes, in hac ſpecie recenſitae, terrae Lemniae ſubſtitui, vel cum ea comparari poterunt. Quod ſi vero rubrum colorem tanti aeſtimes, vt IOH. IAC. MONARDI[y], quam dedit, de optimae notae gleba deſcriptionem, aſſumas, ſimulque cum eo deſideres, quod *terra ſigillata ſit rubra, munda, non valde leuis, guſtu non mordax, ſed modice adſtringens, tenax aliquo modo et lubrica, ita, ut in aqua reſoluta ſimilis fiat molli cerae,* in hac aeque ac ſequentibus ſpeciebus, non nullas, vel rubras, vel rubentes inuenies terras, quae, cum rubra tinctura a marte, quo flauae quoque noſtrae glebae imbutae ſunt, proueniat, pro Lemniis certe habendae erunt. Ex dictis huc usque ſponte ſua ſequi videtur,

q) Lib. VII cap. 1.

r) Vid. IOH. GVINTHERI ANDERNACI de Medicin. Vet. et Nov. Commentarii. Dialog. V pag. 198 edit. Baſil. 1571. fol. ALEXANDRI MASSARIAE Oper. Med. Lib. V cap. 24 pag. 436. Lugd. 1634. fol.

s) In Epiſtolis Lib. III pag. 106. Vid. quoque IO. VESLINGIVS in Obſeruat. et Epiſt. editis cum THOM. BARTHOLINO de Inſolitis Partus Humani Viis Epiſtol. 24 pag. 113 Hafn. 1664. 8.

t) In Apologia aduerſus Matthiolum Lib. I qui inſcribitur Theon. pag. 6 b. Patav. 1558. 4.

u) Terram Sileſiacam Lemniae ſubſtitui poſſe MICH. ETTMVLLERVS auctor eſt, vid. Colleg. Pharm. in Schroederum edit. Oper. To. I p. 830.

x) In Diſpenſator. Lib. II Sect. II cap. 1.

y) Epiſt. Medic. Lib. V Epiſt. 3 pag. 52.

tur, vt in eligendis iis, quae terreis, temporis iniuria deperditis, medicamentis ſubſtitui poſſent, glebis, tam aliena non ſit terra noſtra, quam ſi terras ſpiſſas et argillaceas figulorum [z] vel auripigmentum rubrum [a] aſſumere, et ad colorem magis, quam ad vires terrae, reſpicere velimus, quin immo, nullas eſſe terras ſubtiliores, et quae, ſi medicinae loco exhibentur, in ſanguinem forte penetrare poſſent, quam has noſtras, affirmare non dubitamus.

Vt vero ſingularibus eiuſmodi et in celebratione verſantibus medicamentis, inſignes ſemper et alexipharmacae in primis adſcriptae fuerunt vires, ſic Lemnia quoque terra ab antiquis aeque ac recentioribus medicis, tanquam egregia medicina, admodum fuit laudata, licet, vt vera fateamur, effectus non ſemper vanis iſtis reſponderint elogiis [b]. Permulti eam in peſte, atrociſſimo morbo, ſimul cum Armeno Bolo extollunt [c], et inde in malignis quoque et peſtilentialibus febribus commendant [d], omnibus inſuper venenis eam reſiſtere aſſerunt [e], DIOSCORIDES [f] in primis, nec non GALENVS [g], quibus multi deinde aſſenſum praebuerunt, venena, hac terra aſſumta, vomitu reiici affirmarunt, licet prolata haecce ſententia, cum ipſa ſaepius venena ſua indole frequentes concitent vomitus, multis fallaciis obnoxia eſſe videatur, ita, vt HORATIVS AVGENIVS [h], optimo quidem iure, talem huic terrae noſtrae adſcriptum effectum denegare ſtudeat. Melius forte de AETIO [i], qui poſt ſufficientem vomitum, medicamentum ex terra Lemnia paratum, contra venena dare iubet, ſentiendum eſt, idque eo certius fieri poterit, cum aſſumtum hoc medicamentum vomitum, niſi venenum antea acceptum fuerit, non prouocare, ex RHAZES [k] obſeruatione conſtet. FERNELIVS [l] aduerſus venena Lemniam terram vſurpandam eſſe ait, quoniam illa, quae eius eſt opinio, venarum poros obſtruit, vel adſtringit, ne tam repente vis illa veneni, viſcera principesque partes inuadat. Huic tamen, quam dedit, effectus explicationi CARDANI [m] praeferenda eſſe videtur ſententia, quippe qui Lemniam ob pinguedinem venenis reſiſtere ſtatuit, cum noſtra certe terra virulentam inuoluere poſſit acrimoniam, dum modo debita et ſufficienti copia adhibeatur.

Non

z) Vid. LEONHARD. FVCHSIVS de Compoſ. Medic. Lib. I cap. 19 edit. Oper. pag. 88. GVILIELMVS RONDELETIVS in Methodica Pharmaceutica Officina cum Animaduerſ. MATTH. LOBELII pag. 76 Londin. 1605. fol.

a) Vid. I. I. MANLII Comment. in Luminare maius Sect. I cap. 18.

b) Vid. HERMANN. CONRINGIVS in Diſſ. de Terris. Theſ. 78.

c) ANTON. FVMANELLA Lib. de Peſtis Curatione. cap. 5. p. 458. edit. Oper. Tigur. 1557. fol.

d) MOSCARDVS in Muſ. Lib. II cap. 86 pag. 163. LAELIVS A FONTE Conſultat. Medicinales, Conſult. 62 pag. 382. Venet. 1609. fol.

e) SANTES ARDOYNVS de Venenis Lib. I cap. 8 pag. 23. Baſil. 1562. fol. FERNELIVS Meth. Med. Lib. V cap. 21. MERCATVS Metalloth. Vatic. Arm. I cap. 3 pag. 11.

f) Lib. V cap. 104.

g) De Simpl. Medic. Facultat. Lib. IX cap. 1.

h) De Praeſeruanda Peſte Lib. III cap. 21.

i) Tetrabibl. IV Serm. I cap. 48.

k) ABVB RHAZES de Re Medica Lib. VIII cap. 1 vid. quoque GVILIELMVS PLACENTINVS Lib. de Medicin. cap. 5 pag. 114.

l) De Abditis Rerum Cauſſis. Lib. II cap. 19.

m) Loc. cit. Lib. V pag. 144.

Non vero pro vniuerſali tantum, qua omnia venena corrigantur expellanturque, medicina habita fuit Lemnia terra, ſed contra ſerpentum praecipue ictum et cuiuslibet venenati animalis morſum, vt ſingulare et praeſtans remedium commendatur [n]. Adſtrictoriam praeter ea et exſiccantem virtutem tanquam primarium ORIBASIVS [o] et PAVLVS AEGINETA [p] ipſi adſcribunt. Inde et eſt, quod in omni ſanguinis fluxu exhibita [q] et in alui fluxionibus a DIOSCORIDE [r] propinata fuerit. Nec in iis denique morbis, quibus manus medetur, inutilis prorſus iudicata fuit haec terra, ita enim GALENVS [s] internis non ſolum vlceribus eam opitulari tradit, ſed AETIVS [t] quoque recentia vulnera Lemniam terram, cum vino miſtam, glutinare, vlcera vero ſordida inueterata cum aceto acerrimo in paſtam redactam eam perſanare docet.

Abuteremur lectoris fauore, ſi reliquorum, quos paſſim iam nominauimus, auctorum de terrae noſtrae viribus, cum hactenus declaratis conuenientes ſententias breuiter tantum enumerare vellemus, iis tamen, quae de vtilitate Lemniae terrae propoſuimus, IO. CRATONIS [u] aſſertum ſubnectere liceat. Is namque ſe audiuiſſe commemorat, Turcas hac terra in cibo vti, quod quidem, cum terra nec nutrimentum praebeat, neque condimenti loco adhiberi poſſit, abſonum quamuis eſſe videatur, huius tamen narrationis veritatem in dubium prorſus vocare nolo. Haec enim terra, cum a venenis, vt antea retulimus, ſaluos praeſtet homines, iſti forte populi, penes quos veneficia haud raro contingunt, deleterii quicquam in cibis ſibi oblatum extimeſcentes, antidoto hoc cibis admixto, illud corrigere tentant. Sed vltima nunc huius ſpeciei varietas nominanda venit.

XVII. Marga Lemnia.

α) Terra Lemnia optima officinarum.

Quo conſtaret, quaenam terra praecipue apud nos ſub hoc titulo vendatur et propinetur, ex pharmacopoliis praeſtantiſſimis, Lipſienſi, Hamburgenſi, Amſtelodamenſi glebas quasdam congeſſimus, easque cum reliquis huius ſpeciei terris comparavimus. Omnes vero ita inter ſe et cum Strigonienſi Marga conuenientes deprehendimus, vt niſi recentioribus temporibus nullam amplius Strigonienſem terram effodi certo conſtaret, ex uno eodemque loco omnes fuiſſe depromtas, vt crederemus, facile potuiſſemus induci.

β) Gleba maior, ex Marga puriſſima et nobiliſſima efformata, parum rufeſcens.

γ) Gleba maior, non nihil lutea.

δ) Gleba maior, in fuſcum vergens colorem, quae terra Lemnia hepatica, et id quidem ob hepatis, quem refert, colorem, appellatur.

Margam terrenam ſiue hepatiten WAGNERVS [x] et SCHEVCHZERVS [y] commemorant, ſed cum colorem cinereum et lamellatam ipſi adſcribant texturam, eorum deſcriptio cum noſtra gleba non conuenit. Haec enim irregularis eſt, et ex lapidum commiſſuris fragmentum eductum eſſe videtur.

ε) Gleba

n) Vid. PLINIVS loc. cit. NICANDRI Alexipharmaca ex verſione EVRICII CORDI pag. 57. b.
o) In Collect. Med. Lib. XIII.
p) Loc. cit.
q) Sanguinem reiicientibus ex aceto Lemniam terram datam fuiſſe PLINIVS auctor eſt loc. cit. vid. RHAZES loc. cit. Lib. III c. 36.
r) Loc. cit.
s) De Method. Med. Lib. IV cap. 7.
t) Tetrabibl. I Serm. II cap. 4 pag. 65.
u) In Epiſt. CLXXXVI pag. 302.
x) In Hiſt. Nat. Helvet. pag. 343.
y) *Natur-Geſchichte der Schweitz.* Part. II p. 175.

ε) Gleba praecedenti ſimilis, magis tamen ruſeſcens.

ζ) Gleba flaua, lamellata, ſtriis pallidioribus notata et rubicundis maculis interſperſis inſignita.

η) Gleba cubica, fuſca.

Licet haec quoque gleba nomine terrae Lemniae veniat, genuina tamen et natiua haud eſſe videtur, ſed ex reſoluta quadam Marga in hanc formam redacta fuit.

θ) Gleba cubica, flaueſcens.

Haec ſub nomine terrae aureae, prope Camineciam ex ſaxo erutae, exhibita fuit, ſed non eodem, vt praecedens, modo lota et in cubum efformata eſſe videtur: ſi efferueſceret, ex fragmentis Margae I. eam compoſitam fuiſſe opinaremur, cum colore vtraque conueniat.

III. Marga alba, cum acidis non efferueſcens.

In Margis quidem huc referendis color non ſemper accurate albus deprehenditur, ſed in alios ſaepius vergit colores, nos tamen ob leuiores has differentias in nouas ſpecies diſtinguere noluimus, in primis, cum praeter colores aptas vix notas inuenimus, quibus hae terrae in ſpecies diſponi poſſint, et hanc quoque ob rationem principes tantum, non variantes admodum glebas recenſebimus.

Huc itaque referatur:

I. Marga Laubacenſis alba.

Haec ex albedine in flauum vergit colorem, multum tamen a II. VI. differt, licet, vt plurimae aliae huius generis terrae maculas nigras, a ſaxis, quibus adhaeſit, impreſſas oſtendat. Hanc reliquis glebis Laubacenſibus nobiliorem adducit ſupra commemoratus LIEBKNECHT [z] et in ſaxorum rimis recens inventam, butyri inſtar, liquidam eſſe aſſerit, licet tractu temporis induretur. Accepimus et aliam terrae Laubacenſis albae ſpeciem, quae egregie candidum colorem exhibebat, et cum acidis efferueſcebat, quam tamen, cum exigua eius eſſet moles, in pollinem contrita, et experimentis capiendis vix ſufficeret, ſeparatim adducere noluimus, in primis cum auctores nullam ejus mentionem faciant.

II. Marga Rebicenſis.

Permultae ſunt minores, ex venis ſaxorum erutae glebae, plurimae earum albae ſunt, aliae tamen interſperſas habent varii coloris in primis cinereas maculas, et has quidem non in ea tantum glebarum ſuperficie, vbi cum ſaxis cohaeſerunt, ſed in ipſa interna earum ſubſtantia.

III. Marga Goldbergenſis.

In iis, qui Bolum album, eiuſque in ducatu Lignicenſi, Goldbergae et in vicinia detectas, et ſub Bolo III. II. α. β. γ. δ. indicatas varietates deſcripſerunt, auctoribus, glebas, noſtris ſimiles, recenſitas non inuenio, nec concedere poſſum, noſtras ex illis formatas fuiſſe. Quae interim hoc ſub titulo tranſmiſſae fuerunt terrae, ſunt ſequentes:

α) Gleba maior, denſa, non lamellata, irregularis, quae pauca tantum interſperſae flauedinis oſtendit veſtigia.

β) Gleba minor, lamellata, flaueſcens, praecedente mollior.

γ) Gleba cinerea, non nihil arenoſa, matrix terrae ſigillatae Goldbergenſis inſcripta, quae vero cum matrice terrae Strigonienſis II. I. α non conuenit, ſed terrenae prorſus eſt naturae.

IV. Marga

z) In Diſcurſu de Diluuio Maximo. Cap. II §. 7 pag. 96.

IV. Marga Pirnenſis.

Gleba ſub Lithomargae Pirnenſis nomine miſſa, alba eſt et mollior, quam praecedentes, et venas luteolas interſperſas oſtendit. Pirnae inter lapides arenarios poſita deprehenditur. Haec natura ſua mollior eſt, genuinam vero, ex eodem loco deſumtam, Lithomargam inferius adducturi ſumus.

V. Marga Eperienſis.

Gleba eſt exigua alba, quae in carneum vergit colorem. Huc forte pertinet gleba, quam D. Paterſon ex Eperienſi, Hungariae vrbe, ad D. Sachſium Vratislauienſem miſit [a]. Cum enim, vt ex illa, quam habemus, huius terrae deſcriptione patet, alba, ſmegmatis inſtar fuerit, pro Cimolia quoque ab eo habita, huc potius, quam ad Morechtum I. IV. γ. referenda erit, in primis cum illa, aeque ac noſtra, cum acidis non efferueſcat.

VI. Marga Suecica.

Huc refero duas glebas, ſatis ſibi ſimiles, licet ex diuerſis erutae fuerint locis. Vtraque ex albo in carneum vergit colorem. Has terras ob modum cum ſtrepitu dehiſcendi, ad Argillas referre nolui, licet aliquam cum iis habere videantur ſimilitudinem. Ex rimis ſaxorum eas depromtas fuiſſe, maculae nigrae, in exteriori earum ſuperficie conſpicuae, teſtantur.

α) Glebae in carneum vergentes colorem, ex fodina *Swepparn* in Weſtmannia.

β) Glebae variae, aliae magis albae, aliae magis carneae, ex Aedelfors, ad fodinam nouam, quae cupri mineram praebet, deſumtae.

IV. Marga rubra, cum acidis non efferueſcens.

Ad hanc ſpeciem pertinent:

I. Marga Altdorfenſis.

Glebae ſunt durae, fragiles valde et anguloſae, ſparſim in commiſſuris nigro colore imbutae.

II. Marga ex valle Plauenſi, prope Dreſdam.

Glebae ſunt coloris quodam modo pallidioris, nec omnes lubricam verae Margae indolem exprimunt, ſed aſperiores non nunquam inueniuntur.

III. Marga ex India Occidentali.

Gleba huc referenda terra Santilena ex India Occidentali appellatur, de qua nihil certi conſtituere potui, praeter id, quod huic terrarum ſpeciei omnium optime ſubnecti queat.

IV. Marga Baruthina.

Gleba eſt obſcure rubicunda, quae maculas cinereas interſperſas oſtendit.

V. Marga Zittauienſis.

Gleba eſt in tabulam efformata, natiua tamen eſſe videtur, et quoad maximam partem rubicunda, flauas tamen ſparſim immixtas habet maculas.

VI. Marga Lemnia.

Terram Lemniam veterum rubicundam fuiſſe ſupra iam oſtendimus. Licet igitur ad Margam II. XVII. flauas vel ex flauo-fuſcas, Lemniae nomine venientes, terras retulerimus, rubicundae tamen, eo nomine inſignitae, glebae recenſendae nunc erunt.

α) Gleba maior I. ſimilis.

β) Gleba praecedenti ſimilis, non nihil arenoſa.

γ) Gleba purior, in fiſſuris ſplendens et optima ex glebis in hac ſpecie enumerandis.

δ) Gleba punctulis luteis minoribus conſpicua.

ε) Gleba ſimilis, maculis flauis inſignita.

ζ) Gleba

a) Vid. Miſc. Nat. Curioſ. Dec. I Ann. 2 Obſ. 28 pag. 56.

ζ) Gleba elegans, ſtratis flauis intercurrentibus notata.
Rubra vero ſtrata ampliora anguſtioribus luteis iuncta reperiuntur.

V. Marga obſcure viridis, cum acidis efferueſcens.

* Gleba huc relata irregulari modo lamellata et in Bohemia prope Kadan ex cuniculo ſancti Iohannis cruta eſt. Mollis et fragilis deprehenditur, ita, vt emolliri magis, quam dehiſcere videatur.

VI. Marga viridis, cum acidis non efferueſcens.

Hac ſub ſpecie nominanda venit:

I. Marga obſcure viridis, paruis punctis rubris inſignita.
KENTMANNVM [b] equidem et ALBINVM [c] viridem ſaxorum medullam Chemnicenſium prope Hilbersdorfium effoſſam commemorantes inuenio, num vero haecce medulla cum noſtra terra vnum idemque ſit, definire non audeo.

II. Marga dilute viridis, ad pagum *Vielau*, in praefectura Zwickauienſi, effoſſa.
Viridis huius glebae color cum Bolo X. XI. in eadem praefectura, alio tamen in loco poſito, conuenit. Noſtram vero glebam et denſiorem et tactu magis lubricam eſſe ſentimus, et nigras maiores flauasque minores partes, ſimilis ferme materiae, admixtas habet.

III. Marga ex cinereo virideſcens, Fichtelbergenſis, pinifera dicta.

VII. Marga nigra, cum acidis efferueſcens.

* Gleba ex antro Baumanniano depromta eſt. Haec quidem recens effoſſa Smectidis inſtar tenuis et mollis apparet, exſiccata vero ita indureſcit, vt Margae potius induat naturam. Admixtae ſunt paruae terrae fuſcae moleculae.

VIII. Marga nigra, cum acidis non efferueſcens.

* Gleba Tettauiae prope Glaucham oppidum, in Oſterlandia ſitum, inter lapidum rimas inuenta. Haec cum Smectide VI. quodam modo conuenire videtur.

IX. Marga cinerea, cum acidis non efferueſcens.

* Gleba leuiter virideſcens, Heluetica.
Haec terra agris fertilitatem conciliat et ab incolis *Niedt* appellatur.

X. Marga variegata, cum acidis non efferueſcens.

Plurimas inter praecedentes inuenimus glebas, quae maculas variorum colorum inſperſas oſtendebant. Sed, cum in iis conſiderandis ad potiorem et ipſam terram conſtituentem materiam reſpicere poteramus, accedentes non adeo accurate earum attendimus conditiones, nunc vero illas praecipue enumerabimus glebas, quae colorum vix diſtinguendam varietatem nobis ſiſtunt.

Sunt illae:

I. Marga Ienowicenſis.
Glebae huc referendae, colorem earundem ſi ſpectes, cum Strigonienſi terra, vti IACOBI [d] afferit, non conueniunt, ita, vt Bolus XIV. IV. ex fuſco liueſcens, pro-
plus

b) Nomencl. Foſſil. Fol. 6. b.
c) *In der Meiſniſchen Berg-Chronick.* pag. 176
d) In Diſſ. de Terr. Medic. Sileſ. § 24.

pius ad illam accedere videatur. VOLCKMANNVS [e] luteum et rubrum colorem huic terrae adſcribit, cum vero glebae ſigillatae Tab. II. 48 rubram, albam, fuſcam et pallidam terram oſtendant, facile inde pateſcit, varias terrarum glebas, in cuniculis ibidem detectis, deprehendi. Noſtrae glebae Margae ortum et generationem declarare videntur.

α) Gleba magna, materiam cineream terream oſtendens, quae forte in lapidem poroſum indurari potuiſſet. Perreptant eam venae maiores et minores Margae nobilioris, quae tamen nondum ſatis compacta eſt, ſed mollis adhuc, coloris ex luteo albicantis.

β) Glebae cinereae et liueſcentes, denſiores, ſub titulo terrae Ienowicenſis marmoreae nobiſcum communicatae.

γ) Glebae purioris Margae, luteolae, non adeo denſae, ſed molles.

II. Gleba ex luteo rubro et albo variegata, ad pagum *Rosbach* in ducatu Leucopetrenſi, ſub praefectura Freyburgenſi ſitum, inuenta.

Haec elegans et alba quidem eſſe videtur, copioſae tamen rubrae et luteae tenuiſſimae, arbuſculas quaſi referentes, ſtriae, per illam decurrunt.

III. Gleba Portenſis, prope Numburgum reperta, ex luteo, rubro et albo ſtriata, irregulari modo lamellata.

IV. Gleba praecedenti ſimilis, ex villa Iohannis Georgii, in praefectura Schwartzenbergenſi ſita, apportata.

Haec et praecedens gleba quodam modo lapidoſae apparent.

V. Gleba cubica, Bohemica, ex duobus ſtratis, in ſolidam maſſam coalitis, compoſita, quorum vnum album eſt, alterum vero violaceum, punctis paruis, albis, inſperſis notatum.

VI. Gleba Sangerhuſana, carneum ex parte colorem referens, diſtinctis rubris punctis conſpicua.

VII. Gleba lamellata, Baruthina, ſtrata ſiſtens ex cinereo viridescentia et alia ſimilis coloris, punctis tamen copioſis rubris conſperſa.

VIII. Gleba Bohemica Iablonenſis, magna, cinerei, non nihil violacei coloris, per quam venae albae maiores ſimul cum luteis minoribus diſtribuuntur.

Similem ferme huic glebam deſcribit WORMIVS [f], et BALBINVS [g] ad Iablonam in vetuſtiſſima Berkarum ditione terram ſigillatam effodi memoriae tradit. Terras ſigillatas variorum colorum, ex eodem natali loco deſumtas, exhibet Tab. IV. 5. ſeqq.

IX. Marga Lemnia.

Cum in his quoque variegatis glebis non nullae deprehendantur nobiliores Margae, quae Lemniae nominantur, eas hic recenſendas eſſe putauimus:

α) Gleba ex cinereo, viridi et luteo variegata, venis albis maioribus interſperſis conſpicua.

β) Gleba alba, quae maculas purpureas et violaceas maiores conſpiciendas praebet.

γ) Gleba carnei coloris, luteolis maculis diſtincta.

XI. Marga impura, non nihil arenoſa, varii coloris, cum acidis non efferuescens.

Ad hanc vltimam ſpeciem omnes illas retulimus glebas, quae ob arenam et alias particulas admixtas a vera Margae indole paululum recedere videntur, nec commode ſatis ad alias terrarum ſpecies reduci potuerunt. In quibusdam ex his tranſitus ad Lithomargas pateſcit.

I. Marga

e) Sileſ. Subterran. Cap. 13 § 9 pag. 279.
f) In Muſ. Lib. I. Sect. I Cap. 4 pag 15.
g) In Miſc. Hiſt. Reg. Bohem. Lib. I cap. 49 pag. 114.

I. Marga lapidoſa, ex Wermelandia, Sueciae prouincia, Ochra martiali ſcatens et ferro referta, ex flauo rubicunda.

II. Marga ſimilis ochraceа, ex Wermelandia, pallida magis, ferro non tanta copia admixto.

III. Marga ex fuſco et albo variegata, impura, ex antro Baumanniano, ſub ſtrato Margae VII. deprehendenda.

IV. Marga flaueſcens, arenoſa, Goslarienſis.

Goslarienſes Margas deſcribit AGRICOLA[h], cineream vnam, alteram candidiorem, quae cum noſtra gleba non accurate ſatis conueniunt.

V. Glebae cinereae, leuiter rufeſcentes, arenoſae, ex Heluetia miſſae.

Huius terrae KIRCHERVS[i] iam mentionem fecit, et CHRISTOPHORI SCHORERI teſtimonio, qui Lemniae eam ſimilem eſſe credidit, eius uſu quendam ad centum annos prorogaſſe vitam confirmat.

VI. Gleba cinerea, lapidoſa, ex Siberia, ſub titulo Ochotzkoi Oſtroy adportata.

VII. Gleba lapidoſa, Egliſouienſis, Tigurinae ditionis, forte ex Bolo VIII. V. efformata.

Color huius terrae ad rubrum pallidumque accedit, et paucas tantum violaceas et albas maculas admixtas habet.

C R E T A.

Cap. II. Gen. VII.

Hactenus illas pertractauimus terrarum ſpecies, quae ſub ſex prioribus, proprie ſic dictarum et verarum terrarum generibus comprehenduntur. In eo itaque nunc peragendo verſamur negotio, vt dubias, in tria quoque ſuperius genera diſpoſitas, terras, conſtituto a nobis ordine, perluſtremus, et ſpecies, ad vnumquodque horum generum pertinentes, proponamus. Primum inter dubias ſic dictas terras Creta locum occupat. Haec accuratius paulo conſiderata, non niſi vnum genus et vnicam ſpeciem conſtituit; ſed cum variae inueniantur glebae, quae, licet a propria Cretae natura et vero eius charactere quodam modo recedant, ad huius tamen generis limites, accurate, vt decet, conſtituendos, hinc ad ipſam Cretae hiſtoriam declarandam, ſymbolam ſuam conferunt, eas hic potiuſ, quam in tractatione de Morochto, examinandas nobis ſumſimus. Id enim monendum eſſe cenſemus, ad ea in primis, quae ſupra[k] in generum explicatione de Creta propoſuimus, reſpiciendum eſſe, niſi omnes nunc adducendas glebas ad Morochtum transferre malint prudentes alias harum rerum examinatores. Ex inſigni vero glebarum numero, quae ob locorum, ex quibus deſumtae ſunt, varietatem adduci potuiſſent, ſequentes tantum, vt praecipuas, nominabimus:

I. Creta

h) De Nat. Foſſil. Lib. II pag. 579. et WORMIVS loc. cit. pag. 6.

i) In Mund Subterr. To. I Lib. VII cap. 4.

k) pag. 57. Gen. VII.

I. Creta denſa, cum acidis efferueſcens.

Huc referatur:

I. Gleba alba, purior, quae Francofurti ad Viadrum olim inuenta fuit. Ex nuperis amici litteris cognoui, hanc terram non amplius ibidem effodi.

II. Gleba non nihil arenoſa, Stetinenſis ex Pomerania.

Haec pyromachum continet lapidem, qui ipſe ochracea cruſta obductus eſt, eodem modo, vt adiacentes ipſi Cretae partes, quippe quae ochraceas ſtrias, eundem, quem pyromachus, ductum ſeruantes, oſtendunt. Plures adhuc aliae glebae, quae pyromachi, in Creta geniti, hiſtoriam clariorem reddunt, in Regio aſſeruantur Muſeo, has tamen, cum ad huius magis lapidis naturam, quam ad Cretae indolem cognoſcendam faciant, neque notatu omnino dignas ipſius Cretae differentias exhibeant, lubenter in praeſenti omittimus.

III. Gleba praecedenti ſimilis, ex loco nobis ignoto comparata.

Hanc multae lamellae ſpathaceae, ad vnius lineae craſſitiem accedentes et admodum latae, perreptant, gleba ipſa, in iis, vbi matrici adhaeſit, locis, ochraceis ſtriis inſignita eſt.

IV. Gleba excauata, coni formam aemulans, per quam, tanquam per filtrum, aqua per aliquot dies percolata, lente tamen liquori tranſitum conceſſit, quo quidem experimento, tota humida reddita, non vero emollita fuit, ita, vt nunc, ad interiora pernoſcenda diffracta, omnes verae Cretae affectiones retinuerit.

II. Creta mollis, cum acidis efferueſcens.

Glebae huc relatae aqua emolliuntur, et inde veram Cretae notam non referunt, ideo vero eas huc reduxi, quo, cum Cretae, quoad externum habitum et reliquas qualitates adeo ſint ſimiles, ad eius geneſin cognoſcendam, cum prima ſpecie comparari queant.

I. Gleba cubica, alba, adeo denſa, vt lineas ſatis conſpicuas accurate ducat, ex incerto loco.

II. Gleba minor, lamellata, praecedenti ſimilis, ex incerto loco.

III. Gleba cubica, parua, Heluetica, ex paroecia Vſter, in pago Tigurino.

III. Creta mollis, cum acidis non efferueſcens.

Haec, quod non efferueſcit, magis adhuc, quam praecedentes a vera Creta differt, inter ea tamen, cum lineas ducat, et quoad externam, quam prae ſe fert, faciem, verae Cretae ſimillima reperiatur, ex eadem, quam in antecedenti ſpecie allegauimus, ratione, eam hic commemorare voluimus.

I. Gleba cubica, alba, ex loco non ſatis cognito depromta.

Haec ad Morochtum VIII. quodam modo accedere videtur.

II. Gleba cubica, leuis, alba, ad oppidum Aſcha, Auſtriae ſuperioris, in confiniis Bohemiae effoſſa.

Haec dehiſcit, non emollitur, ſed aquam fugit, ob leuitatem et ſiccitatem Morochto VI. haud abſimilis apparet.

IV. Cre-

IV. Creta Ochra martiali tincta, cum acidis efferuescens.

* Gleba Heluetica, ad balneum Infraschaechense, cuius SCHEVCHZERVS [1] mentionem facit.

Hanc, cum exigua sit, et ne experimentis quidem capiendis suffecerit, attentione vix censui dignam, sed, cum plurimas aquae guttulas, sine eo, quod emolliatur, transmiserit, hanc vnicam ex glebis, non albis, sed peregrino colore imbutis, prorsus reticere nolui.

GRAPHIVM.

Cap. II. Gen. VIII.

Licet in ordinando hoc genere, ob insignem glebarum diuersitatem, tria subordinata, siue inferiora genera, Steatitem scilicet, Rubricam et Nigricam constituere necessarium duxerim, omnes tamen huc pertinentes glebas, cum species paucae sint, et vno quasi intuitu perlustrari queant, serie haud interrupta enarrabo.

I. Steatites ex albo variegatus, cum acidis non efferuescens.

Ad hanc speciem pertinent:

I. Glebae albae, in bacillos quadrangulos formatae, ex incerto loco, quae sub nomine Cretae Venetae venduntur.

II. Glebae similes, in bacillos redactae, quae in superficie leuiter rufescunt, intus vero albae sunt. Haec tamen externi coloris mutatio ab aere tantum illis inducta esse videtur.

Hae glebae sub titulo terrae Laubacensis nobis transmissae fuerunt, sed similem ibidem terram effodi nulla ratione reperire potuimus.

III. Gleba alba, magna, irregulari modo secta.

An color fuscus externae superficiei a natura glebae dependeat, nos fugere profitemur.

IV. Gleba ex viridi et fusco variegata, terrae saponariae nomine ex Italia missa.

V. Gleba alba, maculis rubris variegata, vt videtur, Anglica est.

VI. Gleba densa, lapidosa, praecedentibus similis, ex altera parte virideſcens, et passim maculis coeruleis distincta, Cretae Colonienſis sub nomine tradita, quam tamen, cum lineas non ducat, ab analogiam tantum ad has retulimus terras.

II. Steatites ex luteo virideſcens, cum acidis non efferuescens.

Glebae elegantes, ad oppidulum *Elterlein*, in praefectura Grünhaynensi effossae.

I. Glebae molliores, quae rubicundas terrae particulas passim, praecipue in superficie, saxis adhaerente, ostendunt.

II. Gleba similis, densior, in qua cinereae et rubrae particulae sparsim immixtae conspiciuntur.

III. Rubrica

1) In Itin. Alpin. IV pag. 205.

III. Rubrica obſcure rubicunda, cum acidis non efferueſcens.

Nominandae hic veniunt:

I. Rubrica Salfeldenſis.

Hanc ENCELIVS [m] afferit vere foſſilem, non factitiam, in locis, huic oppido adiacentibus, non nunquam ad ipſas fluminum ripas reperiri.

Glebae noſtrae ſunt.

α) Rubra palleſcens.
β) Rubra obſcurior.

II. Rubrica Colonienſis.

In aduerſariis RIVINI Rubricam duriorem Colonienſem adductam inuenio, num vero noſtram hanc terram hoc ſub nomine comprehenderit, pro certo affirmare non poſſumus.

III. Rubrica Anglicana.

Gleba noſtra denſa eſt, obſcure rubra, et fere lapidoſa. Pictores vero, qui Rubricam Anglicam, huius ſpeciei varietatibus reliquis praeferunt, mollem eam poſtulant, dilute rubram, quae ignis ope facile indurari poſſit.

IV. Rubrica Baruthina, quae denſior eſt quam priores.

V. Rubrica Lignicenſis.

Gleba eſt cubica, forte ex Bolo XV. I. indurato praeparata, praecedentibus enim mollior eſt.

IV. Rubrica pallida, cum acidis non efferueſcens.

Sequentes ſub hac ſpecie recenſendae occurrunt glebae:

I. Rubrica Waldenburgica.

Glebae huc pertinentes ſimiles ſunt terrae a KENTMANNO [n] deſcriptae, quae rubea, ſciſſilis Waldenburgica, minii venae non diſſimilis, appellatur, et ab ALBINO [o] quoque commemorata fuit. Ad Bolum XVI. quidem referri potuiſſet, cum vero prorſus non aqua diſſoluatur, ſed rubro tantum colore eandem quodam modo imbuat, meliori certe iure locum hic obtinet, et tranſitum a Bolis ad Rubricas optime docet.

Glebae noſtrae ſunt:

α) Cubica, lamellata, quae ſparſim luteolum colorem admixtum habet.
β) Irregularis, non lamellata, tota rubicunda.

II. Rubrica Sangerhuſana, irregularis, paululum denſior, quam praecedens.

V. Nigrica continua, non lamellata, cum acidis non effervescens.

I. Gleba eſt denſa, natiua, non praeparata, particulis fuſcis, Margae ſimilibus, et a matrice prouenientibus, conſpicua, ex incognito nobis loco. Fracta quidem ſplendentia oſtendit ſpicula, nulla vero ſquamularum vel lamellarum veſtigia prodit.

II. Gleba precedenti ſimilis, illa tamen mollior.

VI. Nigrica ſquamoſa, ſplendens, cum acidis non efferueſcens.

Glebae noſtrae ſquamulis conſtant, facile a ſe inuicem ſeparandis, quae in omni ſuperficie non aliter, ac ſi politae eſſent, ſplendent.

I. Gleba

m) De Re Metallic. pag. 134.
n) In Nomenclat. Foſſil. fol. 2. b.
o) *In der Meiſniſchen Berg-Chronick.* pag. 174.

I. Gleba ex pago Bernenſi Heluetiae.

Cretam mollem, cineream ad arcem Habſpurg inueniri SCHEVCHZERVS [p] aſſerit, quae tamen, an cum terra noſtra conueniat, dubitamus.

II. Gleba ſimilis, Creta nigra ex Abbatia Angelimontana dicta.

VII. Nigrica lamellata, non ſplendens, cum acidis non effervueſcens.

Glebae huc relatae, ſi diffringuntur, ſparſim quidem non nulla ſpicula ſplendentia oſtendunt, quae tamen adeo ſunt exigua, vt viſu cognoſci vix queant.

I. Nigrica Oſnabrugenſis, nigerrima, lineis ducendis aptiſſima.

II. Nigrica Ronneburgica, in bacillum longum quadrangulum formata.

III. Nigrica ex Finnonia.

Huius duae glebae ſunt:

α) Gleba denſior, quae cum praecedente conuenit, et paulo tantum pallidior eſt. Bolum cinereum ex Finnonia WORMIVS [q] deſcribit, qui tamen huc referri vix poterit.

β) Gleba nigra, in fuſcum vergens colorem, non adeo laeuis, vt praecedens, ſed ſiccior et non nihil arenoſa. In ſuperficie vitriolici aliquid effloreſcit.

IV. Nigrica ex Islandia.

Haec inter lamellas nigras non nulla coloris fuſci, hinc inde diſperſa, conſpicienda praebet veſtigia.

V. Gleba ſub nomine atramenti Chinenſis exhibita.

Haec quodam modo lapidoſa eſt, et vitriolum ſparſim effloreſcens oſtendit.

* Glebae terrae atrae, mollis, ex monte Hunneberg in Weſtrogothia Sveciae provincia. Hanc atramentum ſciſſile appellat IOH. GOTSCHALK WALLERIVS [r] et ad humum nigram pictoriam retulit, nos eam quidem mollem invenimus, cum tamen in aqua emollita, lamellas noſtrae terrae ſimiles oſtendat, huc retulimus.

VI. Nigrica in ſuperficie quodam modo rufeſcens, intus vero penitus nigra, ex quo colligimus, ab aere tantum coloris externi mutationem fuiſſe obortam. Vbinam locorum haec terra inueniatur, haud conſtat.

LITHOMARGA.

Cap. II. Gen. IX.

I. Lithomarga alba, cum acidis non effervueſcens.

In hac, vt in aliis Lithomargae ſpeciebus, ad principem in primis, quem obtinent, colorem reſpeximus, ex iis namque plurimae prorſus albae ſunt, non nullae tamen alium quoque colorem ſibi iunctum habent. Quaedam praeter ea inueniuntur glebae, quae lineas ducunt, et quodam inde iure ad Steatiten pertinere videntur. Sed, cum a recenſitis ibidem glebis, ob ſaponaceam, quae propria ipſis eſt, indolem inſigniter differant, eas potius Lithomargis ſubnectere placuit.

Huc referuntur:

I. Litho

p) *Natur-Geſchichte der Schweitz. 2 Theil* pag. 173.

q) In Muſ. Sect. I cap. 4 pag. 8.

r) In Mineralogia *eller Mineral- Riket indelt och beſkrifvit. Stockholm.* 1747. 8 §. 8 Sp. 4 p. 9.

I. Lithomarga candidiſſima, Bilinenſis, prope Toeplicium in Bohemia effoſſa.

Polituram haec gleba facile et digitis leuiter tantum fricata recipit, et primo intuitu mollis apparet, aqua tamen non ſoluitur. A Morochto VII. I. diuerſa omnino deprehenditur.

II. Lithomarga Pirnauienſis, ex Palatinatu.

Haec gleba praecedenti ſimilis eſt, non tamen adeo pura, ochraceas enim moleculas ſparſim immiſtas oſtendit. Ex ſaxorum rimis eam eductam fuiſſe maculae nigrae, in ſuperficie conſpicuae, probant, quae tamen ad terrae materiam non penetrant.

III. Gleba praecedenti ſimilis, durior.

Huius terrae patriam ignoramus.

IV. Glebae minores, albae, ad pagum *Ehrenfriedersdorf*, in praefectura Wolckenſteinenſi effoſſae.

Ex his glebae quaedam prorſus albae ſunt, aliae vero leuiter flaueſcunt, in quibusdam glebis maculae nigrae, illas ex ſaxis erutas fuiſſe, declarant.

V. Lithomarga Pirnenſis.

Terram mollem Pirnenſem ſub Marga III. IV. exhibuimus, glebae vero nunc enumerandae denſiores ſunt, et colore tantum cum illa conueniunt.

α) Gleba candidiſſima.

β) Glebae albae, quae quodam modo in pallide flaueſcentem colorem vergunt.

γ) Gleba candida, leuior, punctis nigricantibus, per glebam diſperſis, conſpicua.

VI. Lithomarga Strigonienſis.

Gleba eſt alba, leuiter flaueſcens, et in ea, qua cum ſaxis cohaeſerat, ſuperficie punctis nigris notata. Albam Strigenſem terram adducit FRIDERICVS HOFFMANNVS [s].

VII. Lithomarga Goldbergenſis.

α) Gleba eſt alba, cubica fere, in ſuperficie in carneum vergens colorem, et ochraceas ſparſim exhibens ſtrias, ab altera parte ſtratum ex viridi coeruleſcens, et huic adhaerens flauum obſeruatur, diuerſa tamen haec ſtrata in maſſam continuam et denſam ita coaluerunt, vt terrae materia vbique ſibi ſimilis inueniatur. Ex Bolo albo Goldbergenſi III. II. α condenſatam hanc glebam oriri, cum nimia ſit terrae noſtrae denſitas, et varius, in noſtra gleba conſpicuus, color in iſto non reperiatur, mihi perſuadere vix poſſum. Neque cum Marga III. III. conuenit, licet ad illam propius accedere videatur.

β) Gleba alba, flaueſcens, virideſcentibus ſtriis diſtincta.

VIII. Lithomarga Brechelwicenſis.

Gleba alba, leuiter flaueſcens, et, quoad externum habitum aeque ac intrinſecam eius indolem, a Marga II. II. γ. diſtincta.

IX. Lithomarga Freybergenſis.

De qua annotari meretur:

α) Gleba mollior, ex albo in virideſcentem vergens colorem.

β) Gleba lapidoſa, denſior, praecedenti de cetero ſimilis.

X. Lithomarga Burckemundenſis, Haſſiaca.

XI. Gleba candida, quae inſtar mollis paſtae parietibus ſalinarum Bactiacarum adhaeret, in aere poſtea indureſcit, et verae Lithomargae ſpeciem refert. Indolem huius terrae ſi ſpectes, ad Bolum V. III. ea quodam modo accedit, licet colore prorſus ab eo diſcrepet.

XII. Lithomarga Rochlicenſis, alba, mollior, cuius externa, ſaxis adhaerens, ſuperficies rufeſcit, ex lapicidina, ex qua molares potiſſimum lapides eruuntur, educta.

XIII. Litho-

s) In Oper. POTERII Sect. II Lib. I cap. 4. p. 524.

XIII. Lithomarga ex insula Ilua.

Ab hac insula Bolum I. III., albo colore conspicuum, cognominauimus, haec vero gleba ab isto omnino diuersa est.

XIV. Lithomarga Chemnicensis.

Huius terrae permultas nacti sumus glebas, quas partim sub hac, partim sub sequentibus adducturi sumus speciebus.

α) Glebae albae, leuiter virideſcentes, asperae et arenosae.

Earum, quae saxis adhaeserunt, glebarum superficies, in viridem magis vergunt colorem, et nigris notatae sunt punctis.

β) Gleba parua, cubica, cum praecedentibus, quoad colorem, conueniens, sed lubrica magis et polita superficie praedita.

γ) Gleba candidissima, mollior.

XV. Gleba cinerea, virideſcens, arenosa ad pagum *Wernsdorf*, prope Glaucham Osterlandiae effossa.

Accedit gleba, quae saxo adhaesit, magis rubicunda. Has, licet cinereae magis quam albae sint, ob conuenientiam cum XIV. α huc retulimus.

II. Lithomarga alba, cum acidis efferueſcens.

Huc pertinent:

I. Gleba parua, Lignicensis, parum aspera.

II. Glebae lapidosae, asperiores, variegatae, quae intermixtas habent Lithomargae candidae particulas, ad pagum *Vielau* in praefectura Zwickauiensi effossae.

III. Lithomarga ex cinereo virideſcens, cum acidis efferueſcens.

* Gleba Wartenbergensis, ex tractu Ternebergensi, leuis et densissima.

IV. Lithomarga viridis, cum acidis non efferueſcens.

I. Terra viridis, Veronensis.

Glebae sunt densae, quae tamen, si teruntur, a pictoriam artem exercentibus adhiberi possunt, et glebae in primis ex illis molliores. Veronensis huius terrae mentionem iniiciunt LEMERY [t], POMET [u] et SAVARY [x], nullum vero historiae naturalis inueni scriptorem, qui Italicae huius terrae ortum atque naturam penitius paulo inuestigare tentauerit.

α) Mollior, egregie viridis, idque per omnem glebae substantiam.

Hanc pictores prae reliquis exigunt.

β) Praecedenti similis, sub Lemniae nomine exhibita, licet nullum omnino characterem ostendat, ex quo ad Lemniam supra descriptam terram iure quodam referenda sit.

γ) Gleba durior, ob partes peregrinae terrae admixtas.

II. Terra viridis, Bononiensis.

Inscriptas sic inuenio duas glebas, quas ad praecedentem accedere video, licet terram similem, ab auctoribus indicatam, non deprehenderim.

α) Gleba densa, viridis, purior.

β) Glebae molliores, quae ex viridi in cinereum vergunt colorem.

Argillam cineream Bononiensem ALDROVANDVS [y] describit, quae tamen huc certe referri vix poterit.

V. Litho-

t) Dict. des Drog. Tit. Terra viridis pag. 542.
u) Histoire des Drogues Part. III pag. 114.
x) Dict. de Commerces To. II pag. 1751.
y) Mus. Metall. Lib. II cap. 3 pag. 228.

V. Lithomarga cinerea, in viridem vergens colorem, cum acidis non efferueſcens.

I. Lithomarga Landeshutenſis, ex Sileſia.

VOLCKMANNVS[z], qui huius terrae meminit, gryſeam eam appellat, quae recens effoſſa, mollis ſit et aeri poſtmodum expoſita, induretur.

II. Glebae ſimiles, non nihil aſperae, flauis aliisque variis particulis mixtae, ex incognito nobis loco tranſmiſſae.

III. Gleba ſimilis, a latere ſaxo adhaerens, ex crypta Annabergenſi, Hedwig et Paulus dicta, deſumta.

IV. Lithomarga Glashuttenſis, ex praefectura Altenbergenſi.

Hanc inter ſaxa natam eſſe ſuperficies, nigro et fuſco colore inquinata, oſtendit, ipſa vero gleba ad cinereo virideſcentem colorem accedit.

V. Gleba quarzoſa, fluore varii coloris, in primis amethyſtino coronata, inter quem ſparſim Lithomargae ex cinereo virideſcentis ſtrata decurrunt.

VI. Lithomarga rubra, cum acidis non efferueſcens.

Ad hanc ſpeciem pertinet:

I. Lithomarga Eybenſtockienſis, ex praefectura Schwartzenbergenſi.

Haec pallida eſt, ſed album et tenue ſtratum, tanquam venam terreae naturae coalitam, oſtendit.

II. Gleba praecedenti ſimilis, Altenbergenſis, prope Aquiſgranum, inter lapidem calaminarem reperiunda.

Haec ad Argillam X. IV. accedit, ſed duriſſima eſt gleba, quae in aqua non emollitur.

III. Lithomarga Salisburgenſis, rubra, irregularis, quae cruſta, partim alba, talcoſa partim ochracea, flaua, obducta conſpicitur.

IV. Gleba obſcure rubicunda, ſub nomine Terra di Roſa exhibita, quae punctula flaua rarius inſperſa habet.

V. Terra Fichtelbergenſis, rubicunda, pallidior, violaceis et nigris maculis ſparſim notata.

VII. Lithomarga carnea, cum acidis non efferueſcens.

Cum ad hanc ſpeciem prae reliquis Lithomarga Rochlicenſis referri mereatur, de hac, vt curioſius paulo agamus, ipſae terrae dignitas exigit. Prope Rochlicium praealtus eleuatur mons, ex cuius viſceribus lapidem arenarium rubrum, qui paſſim apud nos ad aedificia exſtruenda adhibetur, eruunt; in huius vero lapidis venis terra noſtra deprehenditur. In accuratiori quidem huius montis, lapicidinarum et terrae, in iis contentae, diſquiſitione, inter ſaxorum rimas lutoſam quandam terram colligi obſervauimus, quae, colorem rubrum ſi ſpectes, ipſum lapidem videtur imitari et copioſis arenulis et lapillis mixta eſt. Haec terra vna cum aqua in rimas ſub humo poſiti mollioris ſaxi deſcendit, in iis colligitur, et aqua iterum ſe ſubducente quodam modo exſiccatur, ſed leuiorem tantum duritiei acquirit gradum, et digitis facile comminui poteſt. Verum autem et den-

z.) In Sileſ. Subterr. cap. 13 pag. 286.

et denſum terreum concretum, ſcilicet in venis diſpoſitam Lithomargam, interiores et profundius ſitae ſaxi partes continent, ita, vt terra cum ſaxis in prima quaſi formatione, vel montis exortu coaluiſſe videatur, quae coniectura inde eo magis confirmatur, quod verae Lithomargae venam ab externa montis ſuperficie in interiora penetrare, nec ipſi viderimus, neque lapicidae, hanc rem ex voluntate noſtra perquirentes, dictum venarum progreſſum vlla ratione obſeruare potuerint.

KENTMANNVS [a] equidem terrae lapidoſae rubeae Rochlicenſis meminit, cum qua ipſa exſcindatur Marga, hoc tamen ſub nomine, non niſi ipſum arenarium lapidem eum intellexiſſe, ex eo pateſcere videtur, quod medullam candidam ſaxorum Rochlicenſium, et medullam rubram mollem ſaxorum Rochlicenſium [b], quae ſaepius in vnam maſſam coalitae reperiuntur, ſeparatim oſtendit, licet ſub alba, iam dicta, medulla, illam forte comprehenderit terram, quam I. XII. indicauimus. In Riuinianis ſchedis citatum legimus tractatum [c], in quo tres huius Lithomargae, cum noſtris glebis non adeo conuenientes, varietates exponuntur. Ex his prima ſtriata, lapidoſa prorſus dicitur, quae in aqua non emolliatur, et difficile in pollinem comminui poſſit, ſub qua noſtram forte auctor intelligit terram. Altera ex eius ſententia nec argillacea eſt, nec arenoſa, ſed ore detenta, butyri inſtar, liqueſcit, praeditam hac indole glebam omni data opera inuenire non potuimus. Tertia inter lapides et terras media eſſe dicitur, quae aquae vel vino iniecta bullulas quasdam, inſtar calcis viuae, emittat. Ad hanc, quam ita deſcribit, terram noſtram quoque referendam eſſe concederemus, niſi illam in partes minores dehiſcere aſſereret. Noſtra enim per aliquot dies in aqua vel vino detenta, nec fiſſa, nec emollita deprehenſa fuit, ſed immutata, etiam poſt exſiccationem, perſtitit.

His de terrae noſtrae materie praemiſſis, colorum, quos exhibet, differentiae ſubnectendae ſunt. Plurimae glebae carneae ſunt, ita tamen in venis ſuis plerumque decurrunt, vt pars, lapidi proxima, pallide rubra inueniatur, ſenſimque verſus mediam venam, in carneum vergat colorem, in media vero vena albus ſaepius, immo vere candidus obſeruetur color. Omnes hae, quoad colorem, diuerſae glebae partes, in vnam quaſi, denſam et continuam coaleſcunt maſſam, nec mediae albae minus denſae, quam laterales inueniuntur. Illud praeter ea hic loci notandum eſſe putamus,

a) Nomenclat. Foſſil. fol. 2 b.

b) Loc. cit. fol. 6.

c) Cum ipſum libellum videndi legendique nulla ſeſe obtulerit occaſio, eius tamen titulum hic appoſuiſſe iuuabit. Eſt ille: *Kurtzer Bericht von der Natur und Eigenſchaft des Rochlitzer Steinmarcks, und wie daſſelbe in der Artzney nützlich zu gebrauchen, beſchrieben und an Tag gegeben von* CHRISTIAN PERSON, *der Artzney Doctor und Phyſicum zu Rochlitz, gedruckt zu Wittenberg Anno 1596.*

mus, non omnes in venis decurrere glebas, ſed alias irregulari forma inter medias ſaxorum partes concreſcere, et indicatam colorum progreſſionem non accurate ad modum ſeruare. Varietatem glebarum, in primis ratione coloris, ALBINVS [d] quoque animaduertit.

Ad medicas huius terrae virtutes quod attinet, illae, vt olim, ſic noſtris quoque temporibus multis laudibus celebratae fuerunt. SENNERTVS [e] hanc terram loco Boli Armeni adhiberi poſſe aſſerit, id quod, licet ratione coloris quodam modo valeat, ratione tamen denſae ſubſtantiae praedicari de ea vix poterit, niſi et noſtra Lithomarga terendo in tenuiſſimum redigatur pollinem. Omnes huic terrae adſcriptas virtutes ex variis auctoribus, vt colligamus, non opus eſt, in primis, cum ab ALBINO [f] hanc rem peractam iam eſſe intelligamus, id tamen, vt notemus, neceſſe eſt, Lithomargam Rochlicenſem paſſim in Saxonia a medicis, loco aliorum terrcorum medicamentorum nunc exhiberi, et lubentes quidem concedimus, ad acrimoniam inuoluendam in primarum, ſic dictarum, viarum morbis v. c. in ardore ventriculi et dyſenteria cum felici ſucceſſu eam vſurpari poſſe. Cum vero in ardore ventriculi vario modo, et in primis in morſulis, ſic dictis contra ſodam, haec terra commendetur, eius vſum non eam ob rationem ſuadendum eſſe putamus, quoniam collectum in primis viis acidum, tanquam abſorbens medicamentum, debellat, nullo enim modo cum acidis efferueſcit, ſed quod efficacia eius potiſſimum in acido involuendo conſiſtit, quam, vt in omni, ſic etiam in acida acrimonia exercere valet. In ordine vero noſtrarum, ad hanc ſpeciem pertinentium, glebarum ſequentes nunc enumerandae ſunt.

I. Lithomarga Rochlicenſis.
   α) Gleba elegans, quae venam, ex rubro et carneo albam, inter ſaxoſa latera decurrentem fiſtit.
   Illud, in quo naſcitur, ſaxum non adeo denſum eſt, ſed poroſum, albis punctulis, quae terram margaceam imitantur, notatum. Ex huius forte glebae conſideratione declarari poterit, quid ALBINVS [g] per verba *zu Rochlitz hat man roſtericht Erdreich, damit das Steinmarck bricht*, intellexerit.
   β) Glebae variae, carneae et ex carneo albae, irregulares, diuerſae magnitudinis.
II. Lithomarga ex carneo alba, praecedenti ſimilis, ex lapicidina Planicenſi, in praefectura Zwickauienſi.
III. Lithomarga Torgauienſis, praecedenti ſimilis, ea tamen quodam modo mollior. Margam pinguem, mollem, Torganam, nec non medullam candidam, fluidam ſaxorum Torgenſium KENTMANNVS [h] et ALBINVS [i] commemorant.
IV. Lithomarga Chemnicenſis, carnea, aſpera magis et arenoſa.

VIII. Litho-

d) *Meiſniſche Berg-Chronick.* pag. 175.
e) In Epitome Phyſicae Lib. V cap. 1 edit. Oper. Tom. I pag. 50.
f) Loc. cit. pag. 167.
g) Loc. cit. pag. 174.
h) In Nomenclat. Foſſil. fol. 5 et 6.
i) Loc. cit. pag. 175.

VIII. Lithomarga ex flauo fuſca, cum acidis non efferueſcens.

In hac potiſſimum ſpecie non nullas inuenio glebas, quae terrarum ad lapides tranſitum ſatis euidenter declarant. Quaenam vero diuerſae in his terris indurationis ſit cauſſa, in phyſica harum rerum explicatione, quantum fieri poterit, definire tentabo.

I. Lithomarga Goldbergenſis.

α) Gleba magna, quam ſub nomine terrae Goldbergenſis ſigillandae accepimus, quae vero terram Strigonienſi ſimilem ſiſtit, vt eam Marga II. I. α deſcripſimus, particulae tamen minores, cum terra margacea conuenientes, ex matricis interſtitiis eductae, veram Lithomargam exhibent, illae enim nullo modo aqua diſſolui et difficulter admodum in pollinem redigi poſſunt.

β) Glebae variae, terrae fuſcae, Goldbergenſis nomine inſignitae, quae ex matrice eductae ſunt, et Lithomargae proprietates produnt.

II. Lithomarga Brechelwicenſis.

α) Gleba in matrice cinerea, flauam terram continens, ſimilis Margae II. II. α. β. illa tamen durior.

β) Glebae minores, ex matrice extractae, magis fuſcae, quam particulae praecedentis terrae, ſi ex matrice extrahuntur.

III. Lithomarga in praefectura Olſnitienſi ex Variſcia, inter *Schönbrunn* et *Lauterbach* effoſſa.

Gleba eſt ex flauo, viridi et fuſco variegata, paulo mollior.

IV. Gleba flaua, ad pagum *Vielau*, in praefectura Zwickauienſi reperta.

Cruſta nigra vndique obducitur, cui viridis Margae VI. II. moleculae adhaerent.

V. Gleba praecedenti ſimilis, magis arenoſa, Nicolſtadienſis, ex ducatu Lignicenſi.

Hanc glebam inter lapides octangulares, ſingulari modo diſpoſitos, generari VOLCKMANNVS[k] annotavit.

VI. Gleba obſcure flaua, bolaris, indurata, ex crypta Freybergenſi, quae *Willen Gottes und Tannenbaum in der Michelts* appellatur, deſumta.

* Addo hic fragmentum lapidis cornei, ex flauo fuſci, cum pauca Ochra remixti, quod ſcoriae faciem prae ſe fert, et ex eiusmodi terra in lapideam duritiem tranſmutatum eſſe videtur, ex crypta Freybergenſi, *Donath* dicta.

VII. Gleba, praecedenti ſimilis, ex crypta Freybergenſi, *Lorentz Gegendrum*.

De hac gleba, id, vt notatu dignum accepimus, quod in crypta viridem, vel vireſcentem colorem habuerit, liberiori vero aeri expoſita colorem fuſcum receperit.

VIII. Gleba flaua, denſior, ſub nomine Boli Heluetici ad nos transmiſſa.

IX. Gleba lamellata, flaua, non nihil ruſeſcens, ad pagum *Schwartzenbach* in praefectura Rochlicenſi effoſſa.

IX. Lithomarga violacea, cum acidis non efferueſcens.

Commemorandae ſub hac ſpecie terrae ſunt:

I. Gleba denſa, de cuius natali loco tantum ſcimus, eam in Variſcia fuiſſe inuentam.

II. Gleba Maldiuienſis, Aſiatica, quodam modo pallidior praecedente.

* Addita eſt alia gleba, pariter denſam Lithomargam referens, quae coloris fuſci eſt et ad Bolum XVII. accedit, cum acidis vero non efferueſcit.

X. Lithomarga variegata, cum acidis non efferueſcens.

Glebae huc relatae, ex albo, rubro et violaceo potiſſimum variegatae apparent. Ex iis, quas recenſebimus, primo loco nominanda venit, ea quam

k) In Sileſ. Subterran. Cap. 13 § 21 pag. 286.

quam ſub terrae Damaſcenae nomine accepimus, et admodum eſt exigua; de qua pauca in medium proferre liceat.

Ager Damaſcenus, vbi Adam dicitur creatus fuiſſe, adeo eſt fertilis et amoenus, vt aliqui paradiſum terreſtrem hic collocatum fuiſſe crediderint [l]. Deprehenditur ibidem Argilla, ſiue terra rubra, quae Damaſcena, ſiue Adamica appellatur, cuius indoles et externi characteres ab hiſtoriae naturalis ſcriptoribus haud accurate ſatis deſcribuntur [m]. Ea interim, quae ALDROVANDVS [n] memoriae prodidit, cum ipſam huius terrae hiſtoriam aliqua ſaltim ratione declarent, fuſioris deſcriptionis loco, vt apponamus, haud iniucundum fore putamus lectoribus. *Haec terra*, inquit, *ad aliquem ruborem vergit, mollis eſt et flexibilis inſtar cerae. Ex hac Chriſti cultores, in illis regionibus verſantes, globulos precarios formant, et coronas pariter precarias concinnant, quas poſtmodum Hieruſalem deferunt, vt peregrinis vendant. Immo mercatores Sarraceni eandem terram, teſte Adrichomio, in Aegyptum, Aethiopiam apportantes, caro pretio illam vendunt; nam talem virtutem in illa falſo praedicant, vt eam geſtantibus nulla incommoda contingere poſſint. Praeter ea varii ad alias ſuperſtitiones illam vſurpant. Aegyptii tamen illam tanquam rem ſuauiſſimam libenter edunt.* Eadem fere hac de terra refert BROCARDVS [o], varia autem ridicula de ea STEEBIVS commemorat [p]. Noſtra gleba cum deſcriptione, ab ALDROVANDO exhibita non conuenit, id, quod ex ſequentibus apparebit:

I. Lithomarga Damaſcena.

Haec gleba, ex albis et rubris ſtratis lamellata, ſex circiter granorum pondus aequat, et licet tam exigua ſit, octo tamen ſtrata rubra, in violaceum colorem vergentia, totidem interpoſitis albis diſtincta, conſpiciuntur. Leuis eſt, non tantum pro ratione voluminis, ſed etiam terrae materiei, lubrica valde, et amuleti cuiusdam, ex hac terra confecti fragmentum, cum in angulos ſecta appareat, eſſe videtur.

II. Gleba ex albo et rubro variegata, arenoſa, in praefectura Weydenſi, quae ad circulum Neoſtadienſem refertur, effoſſa.

III. Lithomarga Chemnicenſis.

Gleba eſt arenoſa, ex violaceo, albo et viridi variegata.

IV. Gleba ex violaceo et albo verſicolor, lamellata, ex incerto loco.

Haec lineas ducit, et forte ad Graphium referri potuiſſet, niſi cum praecedente, ad reliquas eius ſi reſpiciamus affectiones, conueniret.

V. Gleba Penſyluanica, durior, ex violaceo, rubro, et aliis nonnullis ſparſim in ea obſeruandis coloribus variegata, ad lapidis ollaris duritiem propius accedit.

VI. Glebae variae, ex praefectura Zwickauienſi, in marmoris lapicidinis inuentae.

α) Glebae ex violaceo et albo variegatae, ex lapicidina marmoris, prope *Wildenfels* ſita, deſumtae [q].

β) Gleba violacea, ſtriis variis tenuiſſimis diſtincta, ex lapicidina Planicenſi.

Nobis

l) CHRIST. ADRICHOMIVS in Theatr. Terr. Sanct. pag. 45.

m) Varia lectuque digna hac de terra recenſet OTTO DAPPER *in der Beſchreibung der Landſchafft* Palaeſtina. pag. 206.

n) Muſ. Metall. Lib. II cap. 3 pag. 230.

o) Deſcriptio Terrae Sanctae pag. 245. ex edit. CASP. PEVCERI.

p) De Coelo Sephiroth Hebraeorum Cap. VI Sect. I pag. 116.

q) Similes his glebas recenſet IO. ERNESTVS HEBENSTREIT in Muſeo Richteriano. Lipſ. 1743 fol. pag. 145.

Nobis nunc in fine tractationis, de terris dubiis, conſtitutis, vltimae in primis glebae pauca tantum de terra, miraculoſa Saxoniae dicta, diſſerendi commodam praebent occaſionem. De hac terra peculiarem CHRISTIANVS RICHTERVS [r] edidit libellum, et omnes in eo delineatas et vivis coloribus depictas glebas, ſimul cum aliis, nitide praeparatis et politis in Regium Muſeum depoſuit, quae non vltimum inter collectas terras merentur locum. Ipſae tamen hae glebae cum ſola tantum colorum diuerſitate ſeſe commendent, ampliorem noſtram deſcriptionem exigere vix videntur, in primis, cum ante nominatus auctor eas iam ſtudioſe ſatis deſcripſerit, et varios gemmarum colores ipſis attribuerit.

Quo vero eo melius pateſcat, quamnam de his terrarum ſpeciminibus opinionem foueat, ipſa eius in praefatione expoſita verba proferre liceat: *Es iſt dieſe Erde eine Generation von der gemeinen Erde, die ebenfalls durch die Influenz der vnterirdiſchen ſubtilen mineraliſchen Waeſſer, vermittelſt des vnterirdiſchen Feuers coagulirt vnd generirt wird, auch ſich als eine Mutter zeigt, woraus endlich ein compactes Weſen, entweder ein Marmor, oder Edelgeſtein mit der Zeit zu hoffen, maſſen die Illumination vnd die in Natura vorhandene Stücke ſolches theils zeigen, theils derer Edelgeſteine vnd Marmor klare vnd deutliche Farben an den Tag legen.* Nos vero hiſce momentis in omnibus aſſentiri non poſſumus; ſola namque haec in Lithomargas induratio ſatis clare nondum oſtendit, quouſque marmoream, ne dicam gemmarum duritiem, tractu temporis et cooperantibus ſubterraneis cauſſis, hae terrae acquirere poſſint. Licet enim alia ſubterranea Saxoniae loca non contemnendum lapidum pretioſorum, qui omnes in Regio aſſeruantur Muſeo, apparatum prodiderint, et his adhuc temporibus oſtendant, qui ſane vlteriorem exigit naturae indagatorum diſquiſitionem, num tamen haec ipſa miraculoſa dicta terra, eodem, vt alii, modo ſit comparata, vt praedicatas de ea ſubire queat mutationes, me quidem, cum res ipſa experientia vberiori comprobata non ſit, ignorare profiteor. Sufficiet itaque, vt pro operis noſtri ratione in ſimplici huius terrae, quam dedimus, enumeratione, acquieſcamus.

Ad hiſtoriam huius terrae quod ſpectat, primus quidem, qui eam invenit, locum, in quo reperiatur, ſtudioſe celauit, vlterior tamen eorum, qui opera naturae indaganda ſibi ſumunt, diſquiſitio detexit, eaſdem in marmoris potiſſimum lapicidinis, in praefecturis *Zwickauienſi* et *Wieſenburgenſi* ſitis, *Wildenfenſenſi*, *Kalckgrünenſi*, *Schoenauienſi*, nec non ad pagos *Chansdorf* et *Planitz* deprehendi, polituram facile admittere, immo ad

r) Saxoniae Electoralis Miraculoſa Terra, *oder des weltberühmten Chur Sachſen Landes bewundernswürdige Erde, wie dieſelbe durch des höchſten Gottes ſonderbare Gnade, vnd verliehenen Bergwercks Verſtand auch vnermüdeten Fleiſs entdecket worden. Schneeberg 1732, 4.*

ad ipſum ophitim lapidem, ſiue marmora, ſic dicta ſerpentina[s], polienda eam commode adhiberi poſſe.

De iis itaque hactenus diximus terrarum ſpeciebus, quae verae et genuinae terrae indolem habent, vel dubiae ſaltim noſtram poſtulare ſunt viſae operam. Sequuntur nunc in ordine, ſupra a nobis conſtituto, terrae, quae ſpuriarum nomine indigitantur. Et de his quidem nihil in hoc capite monendum eſſet, in primis, cum in generum pertractatione praecipuas, quae iis inſunt, exponere ſtuduerimus differentias, et ipſae glebae, terream materiam ex parte tantum exhibentes, in enumerandis aliarum regni mineralis claſſium ſpeciebus deſcribendae forent. Cum vero ipſa ſpuriarum terrarum genera, ex rationibus ſupra allegatis[t], expoſuerimus, nunc etiam quaedam eorundem ſpecimina exhibenda ſunt, quo declarati ibidem conceptus eo melius cognoſcantur, et, an cum veris hae ſpuriae terrae comparandae ſint, per exempla pateſcat. Noluimus tamen hunc in finem ex omnibus Muſei Regii ſcriniis eas congregare glebas, quae aliqua tantum ex parte ad eum attingendum pertinere videbantur, ſed paucas tantum glebas, quas inter veras accepimus terras, ita ordinabimus, vt, et terrae nomine ab aliis inſignitae glebae, et ea, quae potiſſimum in iis adnotanda ſunt, enumerentur, terrarumque ad reliquas regni mineralis claſſes, leuiter tantum ſuperius adumbratus, tranſitus, per quaedam eorum exempla illuſtretur.

HVMVS tantam glebarum exhibet varietatem, vt ob particularum admixtarum diuerſitatem vix vlla ſpecies, nec iis ſubordinatae varietates rite deſcribi poſſint. Neque ita comparatae ſunt glebae, vt muſeis ſint ornamento, cum potius in excurſionibus, per arua et campos inſtitutis, differentia humi curioſis rerum naturalium ſcrutatoribus examinanda occurrat. Nonnullas tamen humi vulgaris ſpecies proponemus, quo quilibet a naturali ſtatu ad ipſas arte factas compoſitiones progredi, et his ſpeciebus innumeras, vix verbis ſatis definiendas, varietates ſubnectere queat.

I. Humus nigra, genuina.

Haec vnica et vera eſt ſpecies, quae ex animalium vegetabiliumque partibus putrefactis generatur. In ſyluis humidioribus et vmbroſis locis ſaepe ſponte producitur, et ad hortorum culturam adhibetur, in hortis vero ex vegetabilium partibus corruptis et ſtercore, pilis, ſanguine, aliisque animalium partibus, acquiritur. Subſidet quoque in aquarum ſtagnantium fundo, licet huic vt plurimum limoſi quid admixtum ſit. Huius igitur terrae aliqua portio, tanquam principium cum aliis, terreis potiſſimum partibus, remixta, ſequentes exhibet ſpecies ſubordinatas.

II. Humus

s) Hunc lapidem varium admodum deprehendi, permulta docent exempla, quorum deſcriptionem vide in Muſeo Richteriano pag. 200.

t) Cap. II pag. 64.

II. Humus caeſpitoſa, arenoſa, ſterilis.

Reptantes vt plurimum et corruptae plantarum radiculae, cum aliqua humi et arenae copioſioris parte miſcentur, ex qua miſcela haec terra prognaſcitur, quae in collibus in primis apricis, ſiccioribus, et ericetis deprehenditur.

III. Humus caeſpitoſa, mollior, praecedenti ſimilis, in pratis et paſcuis ſiccioribus collocata.

IV. Humus caeſpitoſa, vliginoſa, in pratis humidis et nemoribus vmbroſis et paludoſis inuenienda.

Indicatae hae tres ſpecies, cum varietas loci praecipuam inter eas conſtituat differentiam, ſub vno forte capite potuiſſent complecti, niſi diuerſa admodum earundem miſcela eo nos deduxiſſet, vt ſeparatim eas collocandas eſſe crederemus.

V. Humus limoſa, ſpiſſa, lenteſcens, ſterilis.

In aruis potiſſimum incultis, pinetis et argillaceis collibus haec terra poſita eſt. Humiditatem diu retinet, et exſiccata tandem finditur. Stercoratione et tenui, ex fluminibus in primis deſumta, arena corrigitur, et ad laetas ſegetes producendas apta redditur.

VI. Humus arenoſa, vix cohaerens, ſterilis.

Haec humi ſpecies in aruis incultis quoque obſeruatur, humiditatem vix recipit, et praeter gramina, quae reptatricem habent radicem, paucas fert plantas. Corrigitur ſtercoratione, vel calce viua.

Plures, quae in agris plus minuſue fertilibus, obſeruantur humi varietates, recenſere ſuperfluum eſſe arbitramur, in primis, cum binae vltimae ſpecies generalem ſatis de hac terrarum generatione nobis ſuppeditent ideam, et ipſa experientia doceat, agros, niſi per varios, huc usque excogitatos, modos meliores iterum reddantur, de anno in annum fertilitate magis magisque priuari, ita, vt, qui triticum antea aluerunt, vix hordeum et auenam nunc proferant [u], aliis in arenoſo potiſſimum ſolo vix fagopyrum ſuſcipientibus. Humum cretaceam, rupeſtrem et glareoſam, cum rarius talis occurrat, quae, quod ſitus agrorum et montium illud praecipue impediat, corrigi poſſit, nominandam tantum eſſe putauimus. Nec eas in praeſenti nobis explicandas ſumimus artes, quibus vel Marga, vel cineribus, vel aliis additis terris meliores et fertiliores reddere ſolent terras; illud enim nobis peragendum eſſe perſpeximus, vt ſingulares tantum, ab ipſa natura, ſine hominum labore, in terras productas mutationes et exortas inde ipſius ſoli differentias annotemus et diſquiramus. Mittimus itaque hanc humi inueſtigationem, alia de variis eius ſpeciebus quaerentes ad LINNAEVM [x] ablegantes, et reliquas, quae ſequuntur, ſpecies, ob curioſas tantum, humo admixtas, aliarum rerum partes ſubiungimus.

VII. Humus conchacea.

Haec ad littora maris in Helſingia et Roslagia, Sueciae prouinciis reperitur. Colore ex albo violaceo eſt praedita, et cum acidis efferueſcit. Conchae comminutae, quibus

u) Vid. IO. WOODWARD meditationes et experimenta de vegetatione in the Philoſophical Transactions num. 253 anno 1699 pag. 216.

x) In Syſtemate Naturae pag. 209. et in Differt. de Cultura Plantarum ex naturae legibus declarata in Act. Academ. Reg. Scient. Sueciae 1739 Obſ. I § 13 ſeqq.

bus parum arenae et terrae martialis admixtum eſt, maximam eius partem conſtituunt. In agris, quorum ſterilitas calce viua corrigi debet, haec terra illius loco vſurpari poteſt. Eam praeter ea WOODWARDVS[y], inter arenas recenſet, LINNAEVS[z] ad Cretas refert, WALLERIVS[a] denique humo animali annumerat. Addo duas varietates, quae ad hanc terram pertinent, illa tamen magis arenoſae ſunt:

α) Arena conchacea, ad portum Ferrarium reperta.

β) Arena ſimilis, ad littora Sardiniae inſulae inuenta.

VIII. Humus arſenicalis.

Terra nigricans, ad pagum *Reinhartz*, in praefectura Vitebergenſi effoſſa, prunis iniecta odorem, allio ſimilem, ſpargit.

IX. Humus martialis, ex nigro rufeſcens.

Ex lacu Maſio in Smalandia, Sueciae prouincia adducta, ex qua etiam ferrum coquunt illius regionis incolae.

X. Humus martialis, ex flauo et cinereo rufeſcens.

Haec durior quodam modo et arenoſa eſt, et in Cubitano Bohemiae circulo effoditur.

XI. Humus, Ochra martiali tincta, leuiter rufeſcens.

Hanc terram plantas aluiſſe ex radicibus, copioſius intextis, patet. Vbi inueniatur, indicatum non inuenimus.

XII. Humus flaueſcens, Ochra martiali tincta.

Haec in paroecia *Halsberg*, in Nericia, Sueciae prouincia, effoſſa fuit, ſub ſtrato glareoſo licet inuenta, copioſas tamen ſibi innatas radiculas oſtendit et calcinata rufeſcit.

TERRAE SALINAE, quoad terreſtrem ſui partem, inſigniter inter ſe diſcrepant. Cum illa, quae ſalis generationi fauet, particularum minimarum mixtio, nec oculis cognoſci, nec aptis ſatis verbis exprimi queat, omnes hae terrae, ex ſalis, quod continent, diuerſitate, in quaſdam tantum ſpecies diſponi debent, externa vero glebarum facies ipſis ſpecierum differentiis indicandis inſeruire poteſt. Nos ſpeciminis loco ſequentes adducemus glebas:

I. Terra vitriolica turfacea.

Haec nigricans eſt et in glebis, turfo ſimilibus, inſtar caeſpitis vſtilis, ad oppidum *Schmiedeberg*, in praefectura Vitebergenſi ſitum, effoditur. Vt ipſa huius terrae natura eo melius cognoſci poſſit, ſequentes eius, inter ſe diſcrepantes, glebas proponimus.

α) Terra aeri nondum expoſita, nec elota, quae ſparſim effloreſcentes vitrioli et pyritis particulas oſtendit.

β) Terra aeri expoſita et vnica vice elota, praecedenti fere ſimilis.

γ) Terra aeri altera vice expoſita, iterumque elota.

Haec ita tractata denſior fit, magisque ad humum nigricantem accedit, et vitriolici quidquam in ſuperficie oſtendit.

δ) Pyrites atramentoſus, ſiue vitriolicus in ipſa hac terra inuentus.

ε) Caput mortuum, ſiue terra martialis, rubra, leuis, ex reſiduo vitriolico Schmidebergenſi collecta.

II. Terra

y) In Method. Foſſil. in append. ad Claſſ. I. num. 4 pag. 7.

z) Syſtem. Natur. pag. 106.

a) Mineralogia §. 8 ſpec. 7. pag. 12.

II. Terra vitriolica, arenoſa,

Terra haec obſcure cinerea, ſpiculis vitriolicis ſcatens, ad monaſterium Oliua prope Dantiſcum et in montibus arenoſis Caſſubiae, in maſſas maiores coalita reperitur, quae, licet primum durae ſint, aeri tamen expoſitae dehiſcunt.

III. Terra vitriolica, lutoſa.

Glebae compactae, lutum ex nigro coeruleum referentes, ſaporis adſtringentis, odoris nullius, nobis iam ante aliquot annos traditae fuerunt, quae illo quidem tempore nulla ſalina ſpicula conſpicienda praebuerant, in ſcrinia deinde depoſitae, ſenſim ſenſimque dehiſcentes, tantam non ſpiculorum, ſed maſſularum vere vitriolicarum copiam exhibuerunt, vt terram, vitriolo magis impraegnatam, vix vnquam nos inueniſſe reminiſcamur. Hae glebae inuentae fuerunt in littore Sudauico, vbi, monente PHILIPPO IACOBO HARTMANNO [b], *in vitrioli interſtratis cryſtallis, in luti coerulei intertexto opere ſuccinum* deprehendunt. Venam lutoſam vitriolicam, cui ſuccinum inhaeret, in littore, ad pagum *Gros-Hubenig* reperiundam, indicauit HARTMANNVS [c], accuratius vero eandem deſcripſit NATHANAEL SENDELIVS [d]. Glebae noſtrae ſunt:

α) Magis impura, ſabulo et lapillis mixta.

β) Ex puriore terra confecta, vitriolo magis abundans.

IV. Terra vitriolica, calcareae ſimilis.

Gleba huc relata, ex Vrionum Alpibus eſt. Terram ſiſtit, quam calcareae ſimilem eſſe diximus, quoniam cum acidis non efferueſcit, ex albo flaueſcit, et ſpicula ſalina prodit, dura quodam modo eſt et difficulter digitis comminui poteſt.

V. Terra aluminoſa, lutoſa, lamellata.

Haec terra ad pagum *Schwemſel*, in praefectura Dubenenſi, quae ad circulum ſic dictum Lipſienſem pertinet, vt alumen inde praeparetur, effoditur. Nigra eſt, ſpiſſa, lamellata, ita, vt ad ligni foſſilis naturam aliquali ratione accedere videatur; ſplendeſcentia ſalis ſpicula, et cruſtas cinereo flaueſcentes, externae ſuperficiei inductas, oſtendit.

VI. Terra aluminoſa, ligno foſſili ſimilis, ex incognito nobis loco.

Gleba eſt parua, fuſca, ob ſalina, quae ipſi inſunt, ſpicula micans. Alumen ex ea coqui poteſt.

VII. Terra nitroſa.

Glebae cinereae ſunt, cruſtis albis obductae, ad pagum *Reudeburg* prope Halam Saxonum effoſſae.

OCHRAM martialem, variis glebis admixtam, in multis terrarum verarum ſpeciebus deprehendi, ſupra iamiam monuimus, nec veram et puram Ochram, cui non aliquae peregrinae terrae particulae admixtae ſunt, vnquam generari poſſe, firmiter nobis perſuaſum habemus. Hic tamen quasdam recenſemus glebas, quas, cum tanta ipſis inſit Ochrae martialis copia, vt ex hac ſola minera coflatae eſſe videantur, hic potius, quam alio loco commemorandas eſſe putauimus.

I. Ochra

b) Succincta Succini Pruſſici Hiſtoria Sect. II cap. I pag. 9 Berolin. 1699, 4.

c) Succini Pruſſici Hiſtoria Francofurti 1677, 8. Lib. I cap. 2 § 4 pag. 49.

d) Hiſtoria Succinorum Muſei Regii Lipſ. 1742 fol. Claſſ. III cap. 2 § 34 ſeqq. pag. 194.

I. Ochra ex flauo leuiter rufeſcens, ex fontibus medicatis Lauchſtadienſibus accepta.

II. Ochra flaua, ex aquis Spadanis, et quidem ex fonte, Tonneletio dicto, collecta.

III. Ochra flaua, ex thermis Carolinis, in monte *der Hirſchſprunck* appellato, reperta.

IV. Ochra lapidoſa, ex flauo rufeſcens.

Gleba eſt Hungarica, marte abundans; adiungimus huic duas alias glebas, quae communem cum illa patriam agnoſcunt,

α) Ochra lutea, Chremnicenſis, Hungarica, poroſa et lapidoſa.

β) Ochra rubra, terrae auriferae Chremnicenſis nomine inſignita.

V. Ochra factitia.

Non nullas tantum huius, artis ope confectae terrae, cum in finem addidi glebas, quo illae cum praecedentibus natiuis comparari queant.

α) Terra flaua, ochracea, poſt vitrioli praeparationem per praecipitationem elaborata, ex officina Beyerfeldenſi, in praefectura Grünhaynenſi.

β) Terra rufa, ex praecedenti calcinatione praeparata, inde et eſt, quod glebae extus rufae, intus vero flauae huic terrae admiſtae inueniantur.

γ) Terra flaua, ochracea, poſt vitrioli confectionem praecipitata, a praecedente α paulisper diuerſa.

MINERAE COMMINVTAE variis in metallis et in argenti potiſſimum mineris deprehenduntur. Has tamen, cum ad metallorum hiſtoriam omni iure ablegandae ſint, in ſuis in praeſenti relinquimus ſcriniis, et duas tantum martiales glebas, ex inſigni harum numero ſelectas, ſpeciminis loco proponimus.

I. Terra martialis, tenuiſſima, tactu pinguis, ex nigro rufeſcens, ab Hercyniae montibus ad nos delata.

Licet haec gleba, ob aliqualem, quem edit, ſplendorem minera mercurialis cognominetur, nihil tamen, quam martiales quasdam continet particulas.

II. Terra martialis, tactu pinguis, ex nigro violacea, quae ferro diues eſt, ex incerto loco apportata.

Ad inflammabiles terras et quasdam, ad eas pertinentes ſpecies declarandas nunc accedimus, in quibus ordinandis et vere ſic dictas ſulphureas et tinctorias, nec non caeſpitoſas ita inter ſe inuicem nexas deprehendimus, vt ſpecies vix accurate ſatis diſponi queant. Inter ea tamen, cum dictas has terras in generum declaratione, ipſa natura iubente, vt ſeparatas atque diſtinctas propoſuerimus, ita nunc illam pertractabimus materiem, vt proprie ſic dictis ſulphureis et bituminoſis inflammabilibus terris ligna foſſilia ſubnectamus, ad Vmbras deinde progrediamur, in Turfis tandem ſubſiſtentes.

Ex TERRIS SVLPHVREIS Puteolana primo loco commemoranda venit. Haec tenera eſt, friabilis, non nihil arenoſa, et verae terrae ſpeciem prae ſe fert, prunis vero iniecta, inſignem ſulphuris, flammam coeruleam excitantis, copiam oſtendit, ita, vt per ſublimationem ſulphur viuum elici inde poſſit. Admiſtae quidem ſunt duriores non nihil glebae, quae tamen

tamen digitis facile comminui poſſunt. Hanc terram egregie deſcribit CHIOCCVS [e] ita diſſerens: *Terra Puteolana cinereo colore tutiam officinarum aemulans, quae tamen veluti guttulis eminentibus et inaequalibus conſperſa, temporis tractu in lapideam duritiem eſt compacta.* Puluerem hunc Puteolanum, cum calce viua et caemento commixtum, non modo caeteris aedificiis firmitatem praeſtare, ſed moles etiam, quae in mari exſtruuntur, eius ope ſub aqua ſolideſcere et PLINIVS [f] et VITRVVIVS [g] affirmant. Terram cruſtoſam ex agro Puteolano, ſimul cum alia, ex collibus Leucogaeis deſumtam, adducit CHIOCCVS [h]. Sulphuris vero, in collibus Leucogaeis reperiundi, meminit PLINIVS [i], et CHIOCCVS [k] inſimul varias eius, nec non aluminis ſpecies [l] et ſal, ammoniaco ſali haud prorſus abſimile [m], in iisdem locis inueniri aſſerit, quae tamen diuerſa admodum naturae opera, ex noſtra forte terra, concurrentibus aliis naturalibus cauſſis oriri videntur. Quaenam ſit illa Creta, quam PLINIVS [n] inter Puteolos et Neapolin in colle Leucogaeo deprehendi ſtatuit, nos equidem, cum in aliis harum rerum explanatoribus nihil de ea relatum legamus, ac noſtra praeter ea terra nihil huius Cretae admixtum habeat, neque cum acidis efferueſcat, aliis definiendum relinquimus. CAPPELLERVS [o] quidem in deſcriptione montis Veſuuii ex calce vſta conſtare colles Leucogaeos meminit, ſed non niſi terram ipſam Puteolanam intelligit, qua calcis loco Romae et vicinis in locis vtuntur. Vulcani eo, vbi terra Puteolana colligitur, in loco, poſitum forum delineat atque deſcribit MERCATVS [p] licet de ipſa terra nihil moneat.

I. Terra ſulphurea, ex albo cinerea, Puteolana.

II. Terra ſulphurea, cinerea, prope *Artern*, in comitatu Mansfeldenſi reperta.
Glebae ſunt variae figurae, friabiles, partim ex albo cinereae, partim cinereae obſcuriores, quae in interſtitiis bituminoſae, paulo poſt deſcribendae, terrae inueniuntur. Tantam et certe maiorem, quam praecedens terra, ſulphuris copiam continent, eique ſimillimae inde euadunt.

III. Terra bituminoſa, lapidoſa, nigricans.
Gleba durior eſt, digitis vix conterenda, ex qua aſphaltum et naphtam coquunt. Forte Helueticae eſt originis; prunis iniecta gratum ſpargit odorem.

IV. Terra mineralis, inflammabilis, pyritica.
Plures huius terrae, diuerſis in locis ex lapidum rimis effoſſas, glebas collectas hic proponimus.

α) Glebae, quae in lapidibus Schandauienſibus et Pirnenſibus deprehenduntur, ab ALBINO [q] indicatae et a KENTMANNO [r] medulla picea ſaxorum Pirnenſium appellatae.

1. Glebae

e) In Muſ. Calceolar. Sect. II pag. 132.
f) Hiſt. Natur. Lib. XXXV cap. 13.
g) Architectur. Lib. II cap. 6 citante CHARLETONO de Variis Foſſil. Gener. pag. 3.
h) Loc. cit. pag. 133.
i) Loc. cit. cap. 15.
k) Loc. cit. pag. 173.
l) Loc. cit. pag. 168. 169.
m) Loc. cit. pag. 149.
n) Loc. cit. Lib. XVIII cap. 11.
o) *In den Breslauiſchen Sammlungen 17 Verſuch.* Anno 1731. Claſſ. IV. Menſ. Auguſt. pag. 164.
p) In Metalloth. Vatic. Arm. V cap. 1 pag. 79.
q) *In der Meiſniſchen Berg-Chronick*, pag. 176.
r) Nomenclat. Foſſil. fol. 6. b.

1. Glebae variae ſplendentes, quae carbones foſſiles referunt, flammamque facile concipiunt, eandem tamen, quoniam igni iniectae cruſta vitreſcente alba obducuntur, diu non alunt
2. Puluis huius terrae, ex nigro fuſcus, non ita inflammabilis.

β) Terra mineralis, pyritica, ex lapicidina Magdeburgica.

1. Glebae terrenae, non admodum ſplendentes.
2. Glebae ſplendentes, quae carbones foſſiles imitantes, puluerem iis ſimilem tenuiſſimum admixtum habent.

γ) Terra pyritica, nigra, ex Abbatia Angelimontana, pagi Subſyluanienſis, Heluetiae.

Glebae praecedenti fere ſimiles, quae a SCHEVCHZERO quoque commemorantur [s].

δ) Terra pyritica, Reichſteinenſis ex Sileſia.

Glebae minores externa ſuperficie non ſplendent, ſed ad lignum foſſile magis accedunt, fractae vero egregium produnt ſplendorem. E rimis ſaxorum, vt praecedentes, eductae eſſe videntur.

V. Terra foliata, bituminoſa, Sicula.

Singulare hoc, a natura productum, corpus, quod terrae ſimile, ſed prorſus inflammabilis et bituminoſae eſt indolis, ſecundum optimam illam, quam nunc repetimus, a BOCCONE [t] prolatam deſcriptionem, in colliculis circa Mililli in Sicilia, et in primis in loco, la Coſta di Garita appellato, inuenitur: recens effoſſa terra flexilis admodum eſt et mollis, colorem ex luteo viridem exhibet, et in ſtrata, tenuiſſimae chartae haud crasſiora, diſpoſita deprehenditur, quae facile a ſe inuicem ſeparari poſſunt, vſta denique cornu raſi vel ſulphuris foetidum odorem ſpargit. Praeter hanc, ab ante nominato BOCCONE huius terrae deſcriptionem, eam quoque delineatam [u], et cum alia ſimili gleba, ſeu lapide cruſtoſo ferrugineo comparatam inuenimus. Poſſet hic ſimul in cenſum venire tractatio de geode ſulphureo Siculo, quem idem auctor deſcribit [x].

α) Gleba obſcure flaua, virideſcens, ex copioſiſſimis lamellis compoſita, in qua non nullae eminentiae, quae foliorum quaſi coſtas repraeſentant, conſpiciuntur, ita, vt ſi per artem naturam explicare velis, multorum exſiccatorum et arctiſſime coagmentatorum foliorum tabaci, imaginem referat. Et primo intuitu facile imponere poſſet ſpectatoribus, vt deſumtum e regno vegetabili corpus ſibi exhiberi credant. Huius terrae partes flamma facile deſtruuntur, eamque alunt.

β) Lamellae aliae minores, ad praecedentem glebam pertinentes, aſt magis flauae, quae intercurrentes laminas albas oſtendunt, flamma facile deſtruuntur, et praecedentis odorem referunt, ipſae tamen flammam non alunt.

VI Terra bituminoſa, Altenburgenſis.

Haec in horto quodam prope Altenburgum ad nouem vlnarum profunditatem effoditur, et ignem alit, vt Turfum, ideoque recens, humida adhuc, in cubos formatur, aerique, vt exſiccetur, relicta, igni ſuſcipiendo apta redditur, prunasque exhibet, ſub cineribus per duodecim fere horas candentes. Pictores hac terra, inſtar Vmbrae praeparatae vtuntur, ſuccina eam in viſceribus habere recondita, non nulli ſunt, qui affirmarent, licet nulla eius, permultis perluſtratis in glebis, deprehenderim veſtigia. Similem huic terram, in colle inter pagum *Meiſelwitz* et Altenburgum inveniri, oſtendit MATTHIAS ZACHARIAS PILLINGIVS [y], et totam venam bituminoſam, ligno foſſili ſcatentem, et ſuperne ac inferne argilloſa terra inueſtitam, ſtudioſe deſcribit.

Glebae noſtrae ſunt:

α) Terra fuſca, obſcura.
β) Terra fuſca, pallidior.
γ Gleba in cubum formata et exſiccata.
δ) Lignum foſſile, fuſci coloris, in hac ipſa terra deprehenſum.

Pauca

s) In Itineribus Alpinis Itin. I pag. 24.
t) Recherches et Obſeruations Naturelles. Amſterd. 1674. 8 pag. 116 ſqq.
u) Loc. cit. in Tab. ad pag. 119.
x) In Muſeo di Fiſica Obſerv. XXXVIII pag. 239.
y) Bitumen et Lignum Foſſile Bituminoſum deſcriptum Altenburgi 1674. 8 cap. 7 pag. 45. ſeqq.

Pauca hic commemorare liceat, quae foſſilis, in terris his reperiundi, ligni indolem et naturam declarant, et, quamuis non proprie ad noſtrum inſtitutum ſpectent, antecedentes tamen aeque ac ſequentes glebas quodam modo illuſtrant, et bituminoſi principii in terris mutationem oſtendunt. Ligna foſſilia duplicis fere ſunt generis, petrefacta nimirum et bituminoſa, et id quidem, quod de prioribus tantum KIRCHERVS [z] et AGRICOLA [a] aſſerunt, alia ſcilicet veras eſſe vegetabilium truncorum partes, alia contra concreta tantum lapidoſa, ligno ſimilia, id etiam de noſtris bituminoſis lignis aſſeuerare poterimus. Nemo enim facile negabit, arborum truncos, aliasque vegetabilium duriores, in terram caſu delapſas, partes corrumpi quodam modo, a carie exedi, et poroſas reddi, ita, vt bituminoſi vapores in eas penetrare, et quandam denuo denſitatem, quam tamen ligna foſſilia, in genere conſiderata, tam inſignem, quam alia corpora, nunquam acquirunt, iis conciliare poſſint. Sed, licet in turfaceis aliquando ſtratis, tales particulas effoſſas eſſe, concedamus, inſignia tamen illa ligni bituminoſi ſtrata, quae in terra, noſtrae ſimili, ſaepius effodiuntur, et integram quaſi ligni venam oſtendunt, pro eiusmodi congerie truncorum vegetabilium habenda eſſe, merito cum MARTINO SCHOOCKIO [b] et PILLINGIO [c] dubitamus, licet et NICOLAVM STENONEM [d], egregie de ſubterraneis mutationibus differentem, aliosque multos inueniamus auctores, qui haec quoque ligna vegetabilis eſſe proſapiae affirment.

Superfluum omnino foret, ſi agitatam hac de re controuerſiam fuſiori oratione proſequi, et argumenta, ab vtraque parte, pro defendenda aſſumta opinione, prolata diiudicare vellemus, cum ea tantum, quae ex glebis noſtris cognoſci poſſunt, in praeſenti annotaſſe ſufficiat. Ita vero extenſae ligni foſſilis venae inueniuntur, ut in media terrae bituminoſae parte haereant, et in finibus paululum et ſucceſſiue quidem mutatam, mediam quaſi inter lignoſam et terrenam oſtendant ſubſtantiam, quae temporis forte ſucceſſu in ligno ſimilem materiem mutatur. Lamellatam porro quidem ſubſtantiam, ſed talem produnt, quae poſt exſiccatam et fiſſam inde terram, lamellarum ſpeciem indepta, neque ab ipſa natura ita efformata eſſe videtur. Hae autem lamellae irregulares plerumque ſunt, ſaepius tamen annui, in lignorum truncis obſeruandi, incrementi ſimilitudinem referunt. In irregularibus ipſa quidem materies, ligno foſſili ſimilis, eſſe videtur, lamellae tamen nullam prorſus cum ligni corrupti laminis habent

z) In Mund. Subterran. Lib. VIII cap. 6.

a) De Natura Foſſil. Lib. VII pag. 638.

b) De Ceſpitibus Bituminoſis ſeu Turfis cap. 12.

c) Loc. cit. cap. 8 pag. 53.

d) In Prodromo diſſertationis de Solido intra Solidum naturaliter contento Lugd. Bat. 1679. 12. pag. 99.

bent conuenientiam. In regularibus lamellae, in vno tractu positae, crassitiem non semper eandem inuenio, prout illa in ligni veri incremento obseruatur: in natiuis namque vegetabilium truncis annua, sic dicta, ligni incrementa, vel pro differentia annorum inter se, vel in diuersis circumferentiae locis quoad crassitiem differunt, nunquam vero in vno longitudinali tractu discrepant. Nec transuersas illas, quae longitudinales secant, fibras, quas in ligno vero accurate satis distinguimus, in fossilibus, a me disquisitis, frustis vt separatas a reliquis conspicere potui. Si itaque hae ligni fossilis bituminosi lamellae cum aliis eiusmodi naturalibus corporibus comparandae sunt, lamellatis potius in terris, lapidibus et aliis, in regno minerali reperiundis, concretionibus, quam ligno, proprie sic dicto, vegetabili eas conuenire arbitror. Quibus de caussis non adeo absonam iudicauerim opinionem, quod terrena, argillacea forte, intra sabulum posita, strata matricem sistant, in quam hi halitus sulphurei et bituminosi suscipiantur, accedentibus insimul salinis principiis noua, ligno forte quodam modo similis, substantia in terrae visceribus producatur: vti et illa quoque admitti potest huius rei explicatio, quam iam nominatus PILLINGIVS [e] proposuit, quippe, quae ex attenta consideratione venae bituminosae, ligneae, in colle Meiselwicensi reperiundae, enata, validis satis argumentis confirmatur. Egregie quoque nostram corroborat sententiam FRANCISCI STELLVTI [f] obseruatio, qui concretum, ligno fossili simile describit, quod in Vmbria, Italiae regione in agro Tudertino deprehenditur, et ex terra quadam, vt dicit, cretosa, forte argillacea paulum sicciore, per vapores sulphureos bituminosos generatur, cum ibi locorum fumi, nec non flammae saepius erumpant.

VII. Terra bituminosa, ligno fossili similis, lamellis irregularibus praedita.

Glebae variae sunt irregulares, quae ad septem orgyiarum profunditatem, sub humo et aliis argillaceo sabulosis terris, notabile stratum efformant, quod ad decem vel duodecim vlnarum profunditatem descendens, prope *Artern*, in comitatu Mansfeldensi deprehenditur, et ab artis metallicae peritis *der Kohlenflötz* appellatur. Harum glebarum interstitiis sulphurea II. superius a nobis descripta, terra inhaeret.

Ipsae glebae duplicis sunt generis:

α) Ex nigro fuscae, densae, fragiles, quae ligni fossilis frusta, et terream lutosam substantiam aemulantes, aquam non absorbent, neque humectatae et digitis pertractatae pastam efficiunt, eadem, vt carbones fossiles, ratione ignem optime sustentant. Hae maximam commemorati antea strati partem efficiunt.

β) Glebae ex luteo fuscae, magis friabiles, quam praecedentes, quae inter priores quidem positae sunt, minime tamen in stratis distinctis, sed in earum interstitiis quasi nidulantur. Quaedam ex his glebae in lateribus, quibus priorem terram contingunt, Tripelam cineream aspersam habent, aliae vero, ligno fossili similes, ordinem magis seruantes, lamellatae inueniuntur. Ignem quoque alunt, bituminosam tamen materiem non adeo copiose, quam praecedentes, continent.

VIII. Terra

e) Loc. cit. cap. 9 pag 78 seqq.

f) In tractatu de Ligno Fossili Minerali nouiter detecto, qui italico sermone conscriptus prodiit Romae 1635. Versio eius extat in Ephemerid. Nat. Cur. Dec. I An. III in Append. pag. 523. Conf. quoque WORMIVS in Mus. Lib. II cap. 16 pag. 168 sqq.

VIII. Terra bituminoſa, ſuccinea.

Sunt glebae minores venae lignеae bituminoſae, ex qua ſuccina eruuntur, quam venam SENDELIVS[g], in littore Sudauico, ad pagum *Gros-Hubenig* poſitam, fuſius deſcribit.

* Lignum foſſile bituminoſum, ex eodem loco, quod terrae vitriolicae inter terras ſalinas III. ſupra adductae admixtum, cum praecedente non adeo conuenit, copioſo vitriolico ſale ſcatet, et verum fortaſſe atque natiuum, in vena lutoſa in foſſile bituminoſum mutatum, lignum conſpiciendum praebet.

IX. Terra bituminoſa foſſilis, in ditione Serueſtana reperta.

Locus, vbi haec terra effoditur, ad littora Albis, prope oppidum *Coſwick* poſitus, *der Koblenberg* appellatur. Magna huius collis pars, aquarum vndis abrepta, interiora perluſtranda praebet. Ibi enim inter ſabuloſa ſtrata terra noſtra, diuerſimode mutata, conſpicitur, id, quod glebae nunc recenſendae optime docent.

α) Terra ex nigro fuſca, parum lamellata.

β) Terra ex nigro fuſca, lamellata, quae terrae ipſius in lignum foſſile mutationem indicat.

γ) Fragmentum ligni foſſilis veri, corticem et lignum ipſum cum fibris ſuis oſtendens, cuius color dilute fuſcus eſt.

δ) Fragmenta ligni foſſilis, bituminoſi, de quibus dubii adhuc ſumus, vtrum vere vegetabilis ſint proſapiae, an potius pro mineralibus, ligni ſpecie apparentibus, habendae ſint partibus, quae copioſo vitriolico ſale ſcatent.

ε) Fragmenta ligni praecedentis, coctione a ſalinis liberata particulis, integram tamen formam retinentia, praecedentibus prorſus ſimilia inueniuntur.

Omnes adductae hactenus huius terrae partes et recenſita ligni fragmenta ignem alunt.

ζ) Arena compacta, vitriolica, ipſis his terris admixta.

Enumeratae huc usque glebae ad Vmbrae conſiderationem nos deducunt, ex iis namque plurimae ita praeparari potuerunt, vt cum Vmbris, quae a pictoribus imaginibus inducuntur, conueniant. Sed, cum hae terrae ob ſulphureum et bituminoſum, quod ipſis a natura datum eſt, principium ignem alant, ſulphureis terris, iure ita dicendis, eas annumerandas eſſe putauimus, et illas tantum glebas ad tinctorias terras, ſiue veras Vmbras retulimus, quae particulis ſulphureo bituminoſis, quoad maximam partem deſtitutae, in igne quidem candent, et cineres relinquunt, flammam vero vix concipiunt, neque eandem ſuſtentant.

In VMBRIS, in genere conſideratis, quaedam ſtatuenda eſt differentia, aliae enim leues admodum inueniuntur, ita vt aquae innatent, aliae contra ab admixta lutoſa terra non nihil ponderoſae euadunt: ſed, cum gradu diſcrepans haec indicata diuerſitas, aptis non ſatis exprimi poſſit verbis, ad variantem potiſſimum earum colorem in ordinandis glebis noſtris reſpeximus. Licet vero in omnibus quidem Vmbris flauus in primis vel fuſcus obſeruetur, et glebae ex hac quoque parte gradu tantum a ſe inuicem recedant, fuſcus tamen ille color, cum in flauum plerumque, rubrum et nigricantem ita vergat, vt primo ſtatim intuitu diſtinctionis iuſtam

g) Hiſt. Succin. Muſ. Reg. Claſſ. III cap. 2 § 10 ſqq. pag. 184.

ſtam praebeat cauſſam, anſam nobis ſuppeditauit, vt huic potius, quam aliis obſeruandis ſpecificis differentiis inhaereamus.

I. Vmbra flaua.

α) Vmbra leuis, micaceis punctis ſplendens, ex fodina ferri, quae Norbergae in Nericia, Sueciae prouincia, eſt deſumta.

β) Vmbra praecedenti ſimilis, ex fodina *Klacken*, loco, parum a praecedenti remoto, eruta.

γ) Gleba cubica, praeparata, ex praefectura Schwartzenbergenſi.

II. Vmbra ex flauo rubens.

α) Gleba Salfendenſis, praeparata.

β) Terra ex flauo rubens, Annabergenſis, ex crypta *die Alt-Väter* dicta.
Haec micaceis particulis conſpicua, praeter ea non nihil arenoſa eſt.

γ) Gleba praecedenti ſimilis, ſed magis impura et limoſa.

δ) Vmbra rubens, quae copioſas ferri particulas continet, ex paroecia *Halsberg*, in Nericia, Sueciae prouincia.

ε) Vmbra denſior, Schoenbühelenſis, prope montem *Klein Aubrich*, quo deſcenditur in vallem Silanam ditionis Suitenſis. SCHEVCHZERVS [h] ad Bolum hanc terram refert, cum tamen, terra noſtra copioſam bituminoſi principii partem admixtam habeat, ad Vmbras referri meretur.

ζ) Vmbra rubens, prope oppidum *Königsbrück*, in Luſatia ſuperiori ſitum, effoſſa.

η) Vmbra rubens, in praefectura Schwartzenbergenſi praeparata.

θ) Vmbra rubens, perſicorum floribus haud abſimilem colorem referens, ex eodem loco.

III. Vmbra pallide fuſca.

α) Vmbra Sonneburgenſis, praeparata, ponderoſa.

β) Vmbra ex praetectura Schwartzenbergenſi.

1. Gleba cubica.

2. Puluis huius Vmbrae ſubtilis, pallidior quam antecedens gleba.

3. Glebae minores, obſcurioris coloris.

γ) Vmbra Annabergenſis.

δ) Vmbra Mariaeburgenſis.

ε) Vmbra Salfeldenſis.

ζ) Vmbra Gieshübelenſis, ex praefectura Pirnenſi.

η) Vmbra Numburgenſis.

θ) Vmbra Anglica.
Gleba eſt denſa, praeparata, leuiter virideſcens. Vmbram Briſtolienſem MERRETVS [i] quidem nominat, num vero noſtram hoc ſub nomine indigitauerit terram, ex ea, quam dedit, deſcriptione colligere non potuimus.

IV. Vmbra obſcure fuſca.

α) Vmbra denſior, ex praefectura Schwartzenbergenſi.

1. Glebae maiores, irreguiares, quas pro ipſa natiua terra habemus.

2. Glebae minores, praeparatae.

3. Eadem terra in pollinem tenuiſſimum redacta.

β) Vmbra leuis, natiua, ex incerto loco.

γ) Vmbra impura, fabuloſa, ex praefectura Zwickauienſi.

V. Vmbra ex fuſco nigricans.

α) Terra Colonienſis.
Sub hoc nomine pictores Vmbram, obſcurioris paululum coloris intelligunt, licet illud, quod ipſis ſub hoc titulo traditur pigmentum, non ſemper ex agro Colonienſi, a quo nomen habet, ſed ex aliis plerumque locis depromtum ſit Colonienſem autem ſic dictam terram SAVARY [k] quoque Vmbris annumerat.
Nos duas exhibemus glebas, pro certo tamen de iis affirmare non poſſumus, quod Colonienſis ſint originis.

1. Natiua

h) *Naturgeſchichte der Schweitz II Theil.* pag. 178.

i) Pinax. Rer. Nat. Britann. pag. 215.

k) Diction. Vniv. de Commerce To. II pag. 1750. vid. quoque VALENTINI Muſ. Muſ. To. I Lib. I cap. 2 § 10 pag. 8.

1. Natiua, magis nigra, leuis.
2. Praeparata, denſa magis, obſcure fuſca.

β) Vmbra Auerswaldenſis, ex praefectura Rochlicenſi.

Haec ex lapicidina calcarei, ibidem reperiundi, lapidis eruitur.

1. Terrae fragmenta leuiſſima, quae, licet ſat magna ſint, aquae tamen innatant.
2. Terra praecedente paulo ponderoſior.
3. Tenuiſſimus et puriſſimus huius terrae puluis.

γ) Vmbra ex praefectura Schwartzenbergenſi.

1. Gleba cubica, praeparata.
2. Eadem terra in ſubtiliſſimum pollinem redacta.

δ) Vmbra Annabergenſis, non nihil arenoſa, ad fines pyriticae venae inuenta.

Poſt Vmbras, haud adeo inflammabiles, caeſpitoſas terras ſiue TVRFA conſideranda nobis nunc ſumimus. Haec, vt priores, ſulphureae et bituminoſae terrae, flammam iterum alunt, et hanc quidem ob rationem Vmbris anteponenda fuiſſent, quoniam tamen non mineralis tantum indolis, ſed vegetabilium inſimul rudimenta produnt, poſt Vmbras ea collocare, et per quaedam modo exempla vltimam hanc inflammabilium terrarum claſſem illuſtrare placuit.

I. Turfum compactum, ex Belgio allatum. vitriolo effloreſcente notatum.

Primum huic inflammabili terrae concesſimus locum, optima enim et praeſtantior reliquis, ex iſtis prouinciis eius acquiritur ſpecies.

II. Turfum praecedenti fere ſimile, prope Hamburgum effoſſum.

III. Turfum Hamburgenſe, ex fodinis Ritzebütelenſibus.

α) Stratum ſuperius friabile, radiculis et paleis remixtum.
β) Stratum alterum, vegetabile magis et poroſum, praecedente tamen denſius.
γ) Stratum tertium, denſum, minerale potius, quam vegetabile, Ochra martiali flaua et vitriolo effloreſcente conſpicuum.

IV. Turfum Suecicum, ex prouincia Weſtmannia.

Hoc ob ſingularem cinerum mutationem prae reliquis obſeruari meretur [1], ſiſtimus enim:

α) Glebam denſam, ſed arundine et radicibus intermixtis refertam.
β) Carbonem huius Turfi nigrum, friabilem.
γ) Cineres triplices:

1. Flauos, quos a combuſtis ſimul fiſtulis, radicibus et foliis arundinaceis prouenire dicunt, quoniam, quae his deſtituuntur, Turfi glebae eiusmodi cineres non relinquunt. Id, quod prorſus quidem non negamus, aſt martialem tantum Ochram, ſimul cum reliquis aſſumtis cauſſis, colori flauo generando inſeruire, veritati conſentaneum eſſe arbitramur.
2. Nigros, qui fiunt ex partibus Turfi parum exuſtis, ſi nimirum illae, candentes adhuc, per aſperſam aquam extinguuntur, vnde carbones, ſubtiliter triti, nigrum colorem oſtendentes cineres referunt.
3. Albos, qui remanent, ſi Turfum vehementiori igne comburitur.

V. Turfum ex comitatu Baruth, in circulo, ſic dicto, electorali effoſſum.

α) Terra denſa, leuis, marte paululum impraegnata.
β) Terra ponderoſa, marte diues, cuius cineres in Ochram martialem mutantur, vel, vt in praecedenti ſpecie annotauimus, ea tinguntur.

VI. Turfum

1) Vid. Act. Soc. Suec. Scient. Stockholm. 1745. Vol. VI pag. 181 ſqq.

VI. Turfum vegetabile, fuſcum, prope acidularum Egranarum ſcaturiginem effoſſum.

Ad Egram, Bohemiae vrbem, quandam bituminoſae, ſulphureae, nigrae, vndique Argilla obductae terrae, venam inuentam fuiſſe, PILLINGIVS [m] monet, haec tamen cum noſtra terra, nec quoad natalem locum, neque quoad colorem conuenire videtur.

VII. Turfum vegetabile, haud ita pridem apud nos ad oppidum *Schkeuditz* effoſſum.

Gleba noſtra eſt ſuperius inflammabilis terrae ſtratum, quod denſioris et nobilioris Turfi prouentum aliquando ſperandum eſſe indicat.

VIII. Turfum fungiferum, Italicum.

Hoc ſub titulo glebam nunc declarandam mihi ſumo, quae lapidis fungiferi nomine inſignita ab aliis deprehenditur; eoque confidentius huc eam reduco, quo maiorem cum his, quam cum lapidibus habet conuenientiam et, vt ex dicendis apparebit, vix alium in locum commode transferri potuit. Hanc terram in agro Neapolitano in monte Serculi et aliis vicinis in locis reperiri MERCATVS [n] notauit, KEYSLERVS [o] vero, qui noſtris adhuc temporibus ſcripſit, in inferiori ſtatus ſic dicti eccleſiaſtici parte, et in Neapolitano quoque regno eandem inuenit. Famam et celebritatem ſingulari huic concreto terreo conciliauit, quod illud in aere humido detentum, vel ab aſperſa aqua humectatum, vel ſub humida quodam modo terra occultatum, perfectos atque maturos, qui comedi poſſint, emittat fungos. Dignum hinc illud iudicauit MERCATVS [p] delineatione et ſequentem in modum deſcripſit. *Lapis eſt primo intuitu terrae glebam referens, non multum grauis, pumicoſus, guſtu partim adſtringens, partim mordicans, colore pallidus et non aequaliter tinctus per omnes partes, ſed candidis quibusdam lineis diſtinctus, non ſecus atque Cadmia.* Subnectimus his a MERCATO mutuatis verbis BOCCONIS [q], quam dedit, huius terrae deſcriptionem. Ita ille: *Doppo hauer eſaminato eſſo corpo, o pietra, trouo, che non ſia aſſolutamente pietra, ma vna ſpecie di tubero, compoſto di terra, legno fracido, e fibre di piante diuerſe; e ſtimo, che in queſto compleſſo, e in queſto miſto vi ſia il ſeme et l'ouario di queſta ſpecie de fungo, quindi e che io habbia voluto chiamarlo: Tuberaſter fungos ferens.* Licet vero ea, quam appoſuit glebae delineatio [r] non accurata ſatis ſit, varia tamen lectu certe digna notata ab eo inueniuntur, quae ad huius terrae hiſtoriam penitius perſpiciendam prae reliquis euolui merentur. Nec reticenda denique ſunt ea, quae IO. MARIA LANCISIVS [s] de turfacea hacce terra memoriae prodidit. Ille enim non per propriam tantum diſquiſitionem edoctus, ſed VALISNIERI quoque obſeruationibus inſtructus, ita de ea

m) De Bitum. et Lign. Foſſ. cap. 8 pag. 57. cap. 9 pag. 86.

n) Metalloth. Vatic. Arm. VII cap. 4 pag. 147.

o) IOH. GEORGE KAYSLERS *neueſte Reiſen durch Deutſchland &c. Hannover 1740. 4to. In der Fortſetzung 1741. 51 Brief pag. 219.*

p) Loc. cit.

q) Muſeo di Fiſica Obſ. XXXXVI pag. 293.

r) Loc. cit. in Tab. ad pag. 300.

s) In Diſſertatione Epiſtolari de ortu vegetatione et textura fungorum, edita ad calcem operis MARSILII de Generatione Fungorum Romae 1714. Fol. maj. in Append. §. 16 pag. 15. exſtat etiam in Edit. Opp. LANCISII Venetiis 1739. Fol. Tom. II Diſſ. VIII §. 16 pag. 116.

ea differit: *Eſt enim vero lapis fungarius non quidem in verorum lapidum ordinem redigendus, vt ex vulgi errore opinari quis poſſet, ſed concretum quoddam ex complexu lapillorum, radicum, ſuccorum, ſeminum terraeque lapideſcentis coaleſcens.*

Non opus in praeſenti eſſe arbitramur, vt plura de noſtra terra ex aliorum libris adducamus, ea enim, praeter id, quod maximam partem incompleta admodum ſint, a MARCO AVRELIO SEVERINO [t] in epiſtola de lapide fungifero ad BESLERVM ſcripta iam recenſita inueniuntur, quamuis de ipſa eius natura nihil notatu dignum auctor ſubiungat. Ex his inter alia cognoſcimus terram noſtram lapidem lyncurium, ſiue lyncaeum ab HERMOLAO BARBARO, ab aliis lyncis lapidem exinde appellatum fuiſſe, quoniam lyncis vrina coagulari hanc maſſam opinabantur. Phrygius lapis, qui a PLINIO [u] vt pumicoſus deſcribitur, et ex DIOSCORIDIS [x] ſententia pallidus, mediocriter ponderoſus erat, et venas albas oſtendebat, ad declaratam hactenus terram MERCATO [y] pertinere videtur, ſed cum ille tingendis veſtibus adhibitus fuerit, ex noſtra vero gleba praeter paucam martialem Ochram, vix quidquam, quod colorem inducere queat, artis ope praeparari poſſit, ſtabilitam hanc ſententiam non omni exceptione maiorem eſſe intelleximus.

Noſtra gleba cum adductis ſupra deſcriptionibus egregie conuenit, et candidas quoque, quas MERCATVS in hac terra notauit, oſtendit lineas. Pumicoſam quidem terram noſtram eſſe idem auctor monet, ſed haec adiudicata ipſi proprietas raritatem, non vero lapideam eius naturam indicat. Gleba diffracta in partes irregulares ſecedit, quae ex humo et partibus ligni corrupti [z] coalitae quaſi et lamellatae apparent. Color huius terrae obſcurus ex nigro et fuſco pallidus eſt, in interſtitiis albae potiſſimum lamellae et fibrae excurrunt, quae cum arboribus adhaerente lichene quodam modo conueniunt, in quarum confiniis fungorum forte ſemina deliteſcunt. Ea, de qua hactenas diximus, gleba Dresdae anno huius ſeculi quadrageſimo ſecundo, aqua tantum humectata duos fungos eſculentos produxit.

Cum igitur principes, ex iis, qui dicti huius lapidis mentionem faciunt, auctores in eo conuenire videam, quod illum ad terrarum magis quam lapidum claſſem referendum eſſe cenſeant, non diu quidem dubitavi quemnam ipſi locum in noſtris terris aſſignare debeam, ad lapidoſas enim

t) Exſtat cum BAPTISTAE FIERAE Coena. Patavii 1649. 4to.

u) Hiſt. Nat. Lib. XXXVI cap. 19.

x) Lib. V cap. 94.

y) Loc. cit.

z) KEYSLERVS, loc. cit. ex corrupto ligno fagi vel potius orni cum terra compingi monuit.

enim nullo modo accedit terras, inflammabilibus potius glebis, et, id quod ſequentia nos docent experimenta, turfis in primis annumerandus eſt. Quoddam huius terrae fragmentum, quod drachmae circiter vnius et ſemis pondus aequabat, limpidae aquae iniecimus, parum illud liquorem fugebat, ſed eidem ſupernatabat, et ſexta demum hora peracta, ob poros temporis ſucceſſu repletos fundum petebat. Poſt viginti quatuor horas, nec reſolutum illud, ſed integrum adhuc erat, neque aquam, vt cum aliis terris fieri ſolet, turbidam reddebat. Alia candentibus prunis commiſſa particula flammam ſuſcipiebat, alebat eam et in carbonem mutabatur, qui dum in aqua extingueretur, non denſus, ſed friabilis, et cum humo remixtus inueniebatur. Odor ex parte combuſta vere ſulphureus percipiebatur, cineres autem leuiter tantum flaveſcebant. Manducata denique huius terrae portio, nullum equidem ſapidi cuiusdam in ea deliteſcentis principii excitabat ſenſum, ſtridorem tamen, arenae admixtae teſtem, in ore relinquebat.

Ex omnibus his enumeratis hactenus experimentis ita de natura terrae noſtrae ſtatuimus, quod humus cum corruptis vegetabilium partibus in poroſum, ſed cohaerens inſimul corpus abeat, et ſulphureo quodam, turfaceis terris plerumque inhaerente, vapore impraegnatum eiusmodi glebas conſtituat, in quibus foecunda, quae ipſis innata ſunt, ſemina fouentur, et calore humiditateque auxiliante fungos progenerant. Licet enim MARSILII [a], cui LANCISIVM quoque ſubſcribentem deprehendimus [b], ſententiae, de generatione fungorum ex putrilagine, ponderis quicquam ex glebae noſtrae conſideratione accedere videatur, praeter aliorum tamen, qui melius hac de re ſentiunt, hiſtoriae naturalis ſcrutatorum auctoritatem, ſatis iam accurate a recentioribus detecta fungorum ſemina, quae huic terrae facile ſe immiſcent, ad confirmandam eam, quam, ipſa rerum natura ſic ordinante, fouemus ſententiam, adhibere poſſumus. Ante nominatus LANCISIVS eam equidem obſeruationem, quod haec terra multa prole edita effoeta tandem ſterileſcat, alia adhuc ratione explicare annititur; non vero opus eſſe arbitramur arguta et hypotheſeos cauſſa aſſumta argumentatione, cum ſeminum defectus ad intelligendam hanc terrae ſterilitatem ſufficiat, ita VT KEYSLERVS recte inde aſſerat, eiusmodi glebas non continuo fungos producere, ſed vnum interdum ex iis intactum relinquendum eſſe, qui noua ſemina ſpargat, et priſtinam hac ratione terrae foecunditatem impertiatur.

Accedimus ad terras lapidoſas, quae obiter tantum conſideratae vix locum hoc in opere mereri videntur, cum ipſae iam dubiae terrae nos ad eos,

a) De Generatione Fungorum §. 41 pag. 23. b) Loc. cit. §. 15. 16.

eos, qui lapidum claſſem definiunt, limites deduxerint. Sed, cum ex recenſitis antea Cretis, Graphiis et Lithomargis verae adhuc terrae notio declarari poſſit, obſeruandus praeter ea in aliis terrenis corporibus ad lapides progreſſus, licet veri lapidis ideam nondum prorſus exprimat, viam ad lapidum magis, quam terrarum, conſiderationem nobis pandat; non nullas tantum glebas, quae aliquo inde iure ad noſtrum opus referri poſſunt, ſpeciminis loco enumerare, operae omnino pretium eſſe duximus. Earum autem numerum inſigniter certe augere potuiſſemus, ſi omnes illos, a MERCATO [c] iam recenſitos, terrae ſimiles lapides adducere vellemus, quoniam tamen ex his alii minus certo determinari queant, alii vero rectius ad lapides veros referendi ſint, hoc in praeſenti ſuperſedemus labore, et de ARENIS primo omnium acturi, pauca tantum nominabimus harum terrarum exempla.

Arenoſa quaedam terra, ſingularibus praedita proprietatibus, et medicis Italis potiſſimum nomine terrae di Baira commendata, optime a BOCCONE [d] deſcribitur. Puluis plerumque Claramontanus, *la poluere del Chiaramonte*, ab auctore quodam cognominatur, qui eam in ſchediaſmate, cuius titulum in Boccone indicatum non inuenimus, deſcripſit et elixir ſiue bezoar minerale Siculum appellauit. Non tantum in monte canis ex ponderoſis, lapidi arenario ſimilibus, et ex ſubtiliſſimis granis compactis, glebis eruitur: ſed in agro quoque Panormitano, in loco, qui Baira dicitur, deprehenditur, inde terrae di Baira nomen accepit, et hic potiſſimum, calore aeſtus ingruente, et fiſſa inde terrae ſuperficie, in venis paruis, inſtar albi pulueris, inuenitur. Hic puluis, aeſtiuo tempore, ob maiorem forte ipſi conciliatum ſiccitatis gradum, collectus, et per arctius contextum cribrum tranſmiſſus, ab adhaerentibus purgatur ſordibus, prunis vero obſcuriori paululum in loco iniectus, quaedam coeruleae, quae ſulphuri propria eſt, flammae indicia praebet.

Illa, quam accepimus, terra ex monte canis effoſſa fuit, prunis iniecta egregie micat, ſed, licet ſcintillae coeruleam ſulphuris flammam imitari videantur, ſulphuris tamen odor nulla ratione percipitur, ita, vt ſulphur, aliis cum partibus mixtum, vel intime iunctum, arenariam hanc terram conſtituat. Ipſi tamen huic Arenae inflammabile quoddam principium adhaerere, inde eo magis confirmatur, quod permultae, ſimili modo prunis iniectae, Arenae flammam non augeant, eam potius in iis, quos tangunt, locis prorſus extinguant. Quo vero eo magis de ſingularis huius terrae natura conſtaret, eam guſtu explorare tentauimus. Ab initio nil,

c) In Metalloth. Vatican. Arm. VII pag. 145 ſeqq. d) In Muſeo di Fiſica Obſ. VII pag. 51.

nil, niſi Arenae ſtridorem ſentiebamus, paulo poſt tamen aliquid acris et mordicantis in lingua percipiebatur. Non alcalinus, nec ſulphuri, ab alcali ſoluto, ſimilis erat, hic quem reliquit, ſenſus, licet alcalini quid alere terram noſtram ex eo pateat, quod cum oleo vitrioli et ſpiritu nitri vehementer, cum aceto vero vix ac ne vix quidem efferueſcit.

Sed, quod ad vires huius terrae attinet, eam vt medicinam in plurimis morbis, in febribus v. c. malignis, debilitate ventriculi, doloribus colicis, et aliis corporis aegritudinibus, cum apto quodam vehiculo ad cochlearis menſuram exhiberi, BOCCONE [e] oſtendit, et eius ab aliis praedicatos effectus non ſolum recenſet, ſed ex propriis inſimul, quas ipſe collegit, obſeruationibus eam ad debellandos morbos haud ineptam eſſe confirmat. Licet vero haec, primo intuitu tanquam Arena conſiderata, terra, a corporis noſtri humoribus ſolui non poſſit, ideoque omni medica virtute deſtituta eſſe videatur, tamen, cum acrem edat ſaporem, cum acidis praeter ea efferueſcat, et inde peculiarem quandam mixtionem prodat, ob quam in corpore noſtro operari poteſt, ipſi ab auctore adſcriptis laudibus nec contradicimus, neque illas, cum experientiae hac in re plurimum tribuendum ſit, in quantum huic terrae competant, ad amuſſim determinare audemus. Si rationi locus relictus eſt, eam, cum ſubtili aceti acido non ſoluatur, forte etiam non omnia morboſa, in primis viis contenta, acida, tanquam abſorbens remedium, corrigere poſſe opinamur.

I. Arena ſubtiliſſima, alba, terra di Baira dicta.

II. Arena alba, vitro inde parando aptisſima.
- α) Arena Melitenſis, ſubtiliſſima.
- β) Arena Italica, ex loco, St. Iohannes ex Valle d'Arno dicto, deſumta.

III. Arena cinerea, ſubtilis, ad *Philippſtad* in Wermelandia, Sueciae prouincia, reperiunda.

IV. Arena micacea, fuſca.
- α) Arena Italica, egregium auri colorem referens, Aimmochryſos dicta [f].
  Haec ob deſtructas et in Arenae formam redactas, micaceas partes ſplendorem edit.
- β) Arena paucioribus eiusmodi particulis praedita, ex Smalandia, Sueciae prouincia.
- γ) Arena pallidior, ad Queſtenbergam in comitatu Stollbergenſi in Hercynia effoſſa.

V. Arena micacea, rufeſcens.
- α) Arena micacea, martialis, ex Angermannia, Sueciae prouincia.
  Haec praeter rubras, nigras quoque, virides et albas particulas admixtas habet.
- β) Arena micacea, purpuraſcens, ad Wyburgum in Finnlandia reperta.

VI. Arena micacea, nigra.
- α) Arena nigra, egregie ſplendens, ex inſula Ilua.
- β) Arena ex nigro cinerea, ſplendens, ex Hercynia.
- γ) Arena martialis, nigra, parum ſplendens, ex paroecia Ilmola, in Oſtrobothnia, Sueciae prouincia.

VII. Arena

e) Lib. cit. pag. 52 et Obſerv. XII pag. 72.
f) Vid. MERCATVS in Metalloth. Vatic. Arm. VII cap. 9 pag. 153 & LEMERY Dict. de Drog. pag. 24.

VII. Arena nigra, farinacea, pyritica.

Haec terra tactu mollis, inſtar ſerici, *Sammet-Erde* appellatur, et ex cryſtalli fodinis prope *Waſſen*, ex monte *Vrſch Lauwi*[g] dicto, effoditur.

VIII. Arena martialis, Vmbrae fuſcae colore tincta, in lacubus reperiunda, ex Wermelandia Sueciae prouincia.

Ad finem nunc huius capitis properantes, paucas tantum adducemus glebas, quae ex terrarum, tanquam proprie ipſis natura, in duram maſſam tranſmutatae inueniuntur, et ideo LAPIDOSAE dicuntur.

I. Lapis calaminaris, germanice *Galmey* dictus.

Licet naturale hoc corpus lapidis nomine inſigniatur, ſaepius etiam inſignem duritiem acquirat, et ab aqua non emolliatur, plurimae tamen glebae, dum conquaſſantur, denſum ex ſuperficie puluerem dimittunt, contuſae vero in pollinem terrae magis ſimilem, quam in Arenam mutantur. AGRICOLA[h], qui hunc lapidem cadmiam foſſilem appellat, inter illa eum ſimul cum aliis, qui eius ſententiam amplectuntur[i], refert concreta, quae medium quaſi inter lapidem, terram et metallum obtinent locum. Ipſe vero AGRICOLA, dum triplicem cadmiae ſpeciem ſtatuendam eſſe autumat, foſſilem ſcilicet, metallicam et fornacum, *foſſilis*, inquit, *lapis eſt durus, grauis, ex albo pallens, interdum tamen non admodum durus eſt, quare Feſtus Pompeius dicit eſſe terram. Vſtus luteum fumum emittit, et fit mollior ac leuior, atque ſpecie et potiſſimum colore differt: nam vnus eſt ſubluteus et ſincerus atque fere leuis, qui optimus aliquem medicis vſum praebet, alter ex pallido albeſcit et ſcaber eſt, qui medium locum tenet, tertius ex nigro rubeſcit et impurus eſt, qui deterrimus.* Conuenientem huic in plurimis quidem momentis deſcriptionem CRAMERVS[k] exhibet, et praeter volatiles, zinci floribus haud abſimiles, partes, plurimum ferri et terram non metallicam copioſam eidem adſcribit.

Glebae noſtrae ſunt:

α) Gleba ex luteo pallida, denſa, lapidoſa.

Haec terra ex monte *Altenberg*, prope Aquiſgranum effoſſa, pro optima habetur, et a plurimis auctoribus, nec non ab iis, qui ex dicto hoc lapide, ſimul cum cupro, orichalcum conficiunt, laudatur.

β) Glebae cinereo pallidae, irregulares, prope Heidelbergam effoſſae.

γ) Glebae ſimiles irregulares, denſae, obſcurioris coloris, Cometauienſes ex Bohemia.

II. Terra Melitenſis, lapidoſa, cinereo pallida.

Gleba noſtra denſa quidem eſt, cultro tamen facile radi, et in varias formas figurari poteſt. De hac iam ſupra, cum de terra Melitenſi ageremus[l], ex auctorum adductis teſtimoniis verba nos feciſſe meminimus.

III. Terrae lapidoſae, ex praefectura Zwickauienſi.

Has quidem, admodum licet inter ſe diuerſas glebas, cum in iisdem reperiantur locis, e quibus ſupra Lithomargam X. VI. ſiue terram Saxoniae miraculoſam eductam fuiſſe monuimus, coniunctas tamen proponere placuit. Colorum varietate eadem, vt illa terra, ratione ludunt, quoad ſubſtantiam vero diuerſae ab ea inueniuntur, ita, vt hic potius recenſeri, quam Lithomargis ſubnecti debeant.

α) Terra lapidoſa, lamellata, e viridi et rubro variegata, ex lapicidina Planicenſi.

Ochra cupri, Argillae cum ſabulo mixtae, inſperſa huic terrae praebuit materiam.

β) Terra

g) Vid. SVLTZERI *Beſchreibung einiger Merckwürdigkeiten des Schweitzerlandes* pag. 42.

h) De Natura Foſſil. Lib. V pag. 609.

i) Vid. MERCATVS in Metalloth. Vatic. Arm. VII cap. 3 pag. 146. NEVMANNVS in Praelect. Chem. pag. 1524. GEOFFROI in Mat. Med. P. I de Foſſilibus pag. 206.

k) In Element. Art. Docimaſt. Part. I pag. 296.

l) In Speciebus Morochti pag. 84.

β) Terra lapidoſa, violacea, ex eodem loco eruta.
Haec albis, nigrisque diſperſis punctis notata, carneas maiores paſſim oſtendit maculas, et lapis inde varioloſas *Blatterſtein* plerumque cognominatur.

γ) Terra lapidoſa, ex fuſco liueſcens.
Haec glebas paruas, oblongas, terrae ſubſtantiae immixtas monſtrat, quae cortice quaſi, ab Ochra martiali tincto, obducuntur et intus prorſus albae ſunt. Quod vero aliquam cum amygdalorum nucleis ſimilitudinem habere videntur, monti, ex quo prope *Chansdorf* effodiuntur, nomen dederunt, vt *der Mandelkernberg* appelletur [m].

δ) Terra lapidoſa, ex nigro cinerea, ex loco, priori vicino. Haec corpuſcula ſphaerica diuerſae magnitudinis ſparſim immixta habet, quae cum fabae vel viciae ſeminibus ex parte conueniunt, vnde eiusmodi gleba noſtra *Bohnen-oder Wickenſtein* dicitur. In his corpuſculis cruſta denſa, nigra conſpicitur, intus vero vel ſelenitica, vel terreſtris alba deprehenditur ſubſtantia, terra lapidoſa ipſa, in cauis, vbi paulo ante deſcripta corpuſcula adhaeſerant, virideſcit.

ε) Terra lapidoſa, obſcure cinerea, corpuſcula ſphaerica, nigra continens, ob quae ſitus inter *Schoenau* et *Vielau* mons, *der Pillenberg* et glebae *der Pillenſtein* vulgo dicuntur. Corpuſcula illa cruſtam nigram, non admodum denſam habent, intus vero, vel cava prorſus ſunt, vel terram continent ochraceam.

IV. Terra lapidoſa, rubra.

In pertinentibus ad hanc terram glebis Argilla et ſabulum in duritiem fere lapideam tranſire incipiunt.

α) Gleba lapidoſa, in lapidibus rubris, denſioribus, prope Zwickauiam ad Muldum fluvium quaſi nidulans.

β) Gleba ſimilis, in calcarei lapidis fodina, ad *Ottendorf* in praefectura Freybergenſi reperta.

V. Terra lapidoſa, alba, lamellata, ex praefectura Schwartzenbergenſi.

VI. Terra lapidoſa, obſcure cinerea.

α) Gleba ex Argilla vitreſcente et martiali admixta Arena conſtans, exigua quaedam lithophytorum fragmenta continens et in maſſam duram, lapidoſam coaleſcens, in colliculo prope Magdeburgum ad Albis ripas inuenitur.

β) Glebae ſimiles, prope Glaucham Oſterlandiae repertae.

VII. Terra lapidoſa, albida, ex venarum Argilla indurata, oborta.

Eſt pyritis flaui portio, cui quaedam, ex alba venarum Argilla efformata, adhaerent ſtrata, e quibus interiora quidem magis lapidoſa, externa vero magis argillacea eſſe videntur.

VIII. Terrae lapidoſae, Hildeſienſes.

α) Terra lapidoſa, lamellata, alba, ex cinereis interſperſis punctis gryſea, rubro colore in ea, qua terra bolari adhaeſerat, ſuperficie tincta. Terram candidam in Hildeſienſi agro ad pagum Haſdam inueniri, quae rubigine infecta et aſpera ſit, AGRICOLA [n] auctor eſt.

β) Terra lapidoſa, lamellata, Ochra tincta, ex fodina arenaria Hildeſienſi.

γ) Terra lapidoſa, lamellata, nigra, ex antro nanorum, *das Zwergloch* dicta, eruta.
Haec Nigricae ſpeciem refert, lineas tamen non ducit, lamellae intus prorſus nigrae, illae vero, quibus ſe inuicem tangunt, ſuperficies cinereae ſunt.

Finem itaque huic ſpecierum recenſioni imponimus, ſecundum quam terrae, eo, quo nunc enarratae a nobis fuerunt, ordine in Regio Muſeo, in ſuis diſpoſitae ſcriniis, aliisque egregiis glebis, coronatae quaſi conſpiciuntur, et, vt in omni hiſtoriae naturalis claſſe fieri ſolet, nouis quotidie acceſſionibus ſplendidiores et ampliores redduntur. Plura praeter

m) De hac et ſequenti vid. G. F. MYLII Memorabilium Saxoniae Subterraneae Pars I Relat. V pag. 33 ſeqq. et Fig. 1, 2, 3 Lipſ. 1709. 4.

n) De Nat. Foſſil. Lib. II pag. 580.

ter ea de variis, quae in diverſis, Regia auctoritate conſtitutis, officinis elaborantur terris commemorari potuiſſent; eas tamen, cum ob colorum in primis varietatem appoſitae inueniantur, et omnes fere praeparatae tantum a naturali terrarum indole quodam modo recedant, oculis ſpectatorum potius, quam lectorum attentioni relinquendas eſſe putauimus.

Cum vero tam late pateat terrarum ambitus, et innumerae fere variantes reperiantur glebae, olim quidem conſilium cepimus, in peculiari capite omnes, ab aliis auctoribus deſcriptas, a nobis vero nunquam viſas, terras, ipſis eorum verbis deſcribere, et perfectam, quantum fieri potuiſſet, terrarum hiſtoriam cum ſedulis naturae contemplatoribus hac ratione communicare. Non deerat maxima, a RIVINO ex variis auctoribus collectarum terrarum, copia, neque permultae aliae, a recentioribus poſt ea tempora deſcriptae, defuiſſent glebae, facillimo itaque labore congeri cuncta, et geographico, quem RIVINVS in ſchedis ſuis ſecutus eſt, ordine enumerari potuiſſent. Sed, dum haec omnia ita ordinare ſuſcipiebam, plurimis terris falſa nomina impoſita et incompletas deſcriptiones adiectas inueni, ita, vt de earum indole, niſi terra ipſa conſiderata et inſtitutis cum ea experimentis tentata prius fuerit, nihil certi proponi poſſit. His rebus ita comparatis, cum imperfectae deſcriptiones lectorem magis confundant, quam inſtruant, conſilium mutauimus, et non nullas paſſim in enumeratione noſtrarum terrarum ſubiunximus auctorum ſententias, in earum potiſſimum glebarum recenſione, in quibus quaedam ex loci vicinia, vel coloris et materiei conuenientia oborta fuerat ſuſpicio, noſtras glebas terras eſſe ab auctoribus olim deſcriptas, vel cum iis commode comparandas. Simili etiam modo in ſequenti agemus capite, vbi de ſigillatis glebis dicturi ſumus. Illi itaque, deſcriptas ab auctoribus, a nobis vero in hoc opere ex inſtituto omiſſas terras, ad ſua genera, ſpecies et varietates reducant, et accurate, vt decet, deſcribant, quibus in corporum naturalium diſquiſitione vnam alteramque glebam, vel in natali loco contemplari, vel ab amicis communicatam diiudicare dabitur.

Quanquam vero lubenter has praetereamus terras, varias tamen, medico in primis et oeconomico vſu celebres, a veteribus indicatas, et a recentioribus materiae medicae ſcriptoribus repetitas inuenimus terras, quas in praeſenti intactas prorſus dimittere non potuimus. Facile quidem largimur, omnes a nobis adhuc adumbrandas terras, nec declarari ſatis, neque debito modo ad genera noſtra reduci poſſe, cum tamen illae veterum terrae, vix ac ne vix quidem ex ſuis amplius natalibus locis erutae ad nos perueniant, omnes, qui eas tractare tentant, aeque ac nos, nihil, quod magis certum ſit, de iis vnquam pronunciare poterunt, quam quod ex di-

verſis, qui de iis memoriae quid prodiderunt, auctoribus collectum, ex ipſis veterum monumentis ratiocinando concludi, vel, ſi bene res cedit, ex eorum cum cognitis terris comparatione intelligi queat. Bolum Armenum, Lemniam, Damaſcenam, et alias inſuper terras, ſuo iam quamlibet loco propoſuimus, reſtat itaque, vt huic capiti, non nullas alias, quae forte adhuc deficere videntur, ſubiungamus.

CHIA TERRA in inſula maris Aegaei, Chio, in confiniis minoris Aſiae ſita °, olim effodiebatur, eam tamen in multis quoque Phrygiae locis inuentam fuiſſe, ex BELLONII [p] teſtimonio conſtat, vtpote qui ipſe quandam, ex qua eruebatur, fodinam ad Lampſacum, e regione Callipolis ſitam, vidit. AVICENNA [q] hanc terram, lutum terrae maſticis appellat, quia in inſula Chio ſolum, vt aiebant, maſtix naſcebatur [r], vel optima ſaltim eius ſpecies ibidem reperiebatur. Candidi erat et in cinereum vergentis coloris, gleboſa, tenuis, variis atque fictitiis formis differens, et Samiae terrae quam ſimillima vt DIOSCORIDES autumat [s]. Cum Samia tamen eam non conuenire CAESIVS [t] exinde colligit, quod tantam, vt illa, in ſedandis inflammationibus virtutem non exſerat, quae differentia, cum gradu tantum diſcrepet, nec ipſam terrae materiam, ſed ſperandum ab ea effectum concernat, vix attendenda erit.

Si igitur, quae ad noſtram quam proxime accedat, terra, profiteri debeamus, CHARLETONI [u] prae reliquis valere ſtatuimus ſententiam. Is enim Bolo albo officinarum ſimilem eam fuiſſe aſſerit, idem fere cum AGRICOLA ſentiens [x], qui conſiſtentia ſua pinguem, raram, et mollem eam pronunciat, quod ſi, vti videtur, aſſumendum eſt, ad Smectidis certe ſpeciem, licet vnguinoſa fuerit atque gleboſa, referri non poteſt, praeſertim, cum inter vnguenta, cuti applicanda, quo in caſu magis rarae, quam ſpiſſae terrae conueniunt, adhibita fuerit.

Noſtrae praeter ea terrae virtus leniter abſtergendi adſcribitur, quae, cum faciei et totius corporis cutim ex nonnullorum ſententia eruget, et amabilem bonitatis colorem conciliet [y], ab omnibus fere vt ſaponaceum ſmegma collaudata fuit. In huius aſſerti demonſtrationem BELLONII verba commemoraſſe iuuabit [z]: *Ruſticorum Aſiaticorum feminae ſingularis ſunt formae, molles, candidae, cuteque adeo erugata et leui, vt holoſericum ſe quis*

o) CAESIVS de Mineralib. Lib. II cap. 2 ſect. 9 pag. 151.
p) Obſerv. Lib. III cap. 34.
q) In Operib. Lib. II Tract. II cap. 424. pag. 329.
r) Vid. SIMON IANVENSIS in Clav. Sanit. Fol. 40. [b] et MATTH. SYLVATICVS Pandect. fol. 146.
s) Lib. V cap. 165.
t) Loc. cit.
u) De Foſſil. Gener. pag. 4.
x) De Nat. Foſſil. Lib. II pag. 581.
y) Vid. DIOSCORIDES loc. cit. PLINIVS Lib. XXXV cap. 16. GALENVS de Simpl. Med. Fac. Lib. IX cap. 1 no. 4. ORIBASIVS de Med. Simpl. Lib. II.
z) Loc. cit.

ſe quis manibus tractare exiſtimet. Inter reliqua autem medicamenta, quae cutim ita laeuigant, vnguentum ex terra Chia pingui conficere norunt, et paulo poſt: *Macerata haec terra vnguinis conſiſtentiam capit, quo balnea ingreſſae vniuerſum corpus et faciem diligenter inungunt atque capillos.* Medicatae inſuper ipſi attribuuntur vires, eam enim vlcera manantia ſanaſſe, et ad cicatricem perduxiſſe notatum legimus [a].

COA TERRA qualisnam fuerit, difficilius definiri poteſt. HIPPOCRATES enim Cous diuerſis in locis [b] Milton ſiue Rubricam ſimpliciter eam nominat, hinc RIVINO, ex cuius aduerſariis hanc deſcribimus terram, HIPPOCRATEM Rubricam optimam et vulgatiſſimam, quae in patria inſula inueniebatur, intellexiſſe, probabile admodum eſſe videtur, eum enim, vt opinatur, Lemniam et Synopicam nominare potuiſſet terram, ſi vnam ex his indicare voluiſſet: ex THEOPHRASTO [c] deinde conſtare, in Cea optimam Rubricam reperiri. Ceam autem et Coam vnam eandemque ſignificare inſulam, ex geographicis notum eſſe autumat [d]. Licet vero MARCVS ODDVS [e] Chiae Rubricae mentionem faciat, tamen, cum nullibi apud auctores Rubrica Chia indicata occurrat, ſed terrae, in Chio inſula effoſſae, candidae vel ex candido cinereae plerumque fuerint, Coam ab auctore intellectam fuiſſe coniicere licet. Vſu venit haec terra, HIPPOCRATE teſte, in ambuſtis, eam praeter ea cum melle ſubactam in prolapſu ani illinire iuſſit, et tandem, ſi mulier praegnans profluentes adhuc patiatur menſes, Rubricam hanc exhiberi poſſe pronuntiat.

ERETRIA quoque apud antiquos celebratiſſima fuit terra, quae ab Eretrio, inſulae Euboeae, in mari Aegaeo ſitae, oppido nomen traxit. Duae quidem huius terrae ſpecies, alia nimirum alba, alia vero cinerea ab auctoribus commemorantur [f], e quibus cinerea, ſi mollis ſit et aeri attrita violaceum acquirat colorem, alteri praeferendam eſſe iudicant. Num vero denſa haec terra aut rara, vel mediae inter has naturae fuerit, omni quoque opera adhibita e veterum monumentis ediſci non poſſe, optime iam monet AGRICOLA [g].

De colore dictae huius Eretriae terrae, notabilem, inter veteres enatum, diſſenſum obſeruare licet. Rubicundam enim eſſe Erethriam glebam,

a) PAVLVS AEGINETA de Re Medica Lib. VII cap. 3.
b) Lib. de Superfoetat. cap. 18 Tom. VII pag. 870. De Vlceribus cap. 15 Tom. XII pag. 139. De Fiſtulis cap. 8 Tom. XII pag. 145. notandum quoque eſt, in verſione locorum citatorum μίλτον, quod ſemper Rubricam indicat, minium appellari.
c) De Lapidibus pag. 11.
d) Vid. CHRISTOPH. CELLARII Geograph. Antiq. To. II Lib. III cap. 2 pag. 25.
e) Meditat. in Theriac. Serm. II cap. 17.
f) DIOSCORIDES Lib. V cap. 162. PLINIVS Lib. XXXV cap. 16.
g) De Nat. Foſſil. Lib. II pag. 582.

bam, eamque optimam, quae ſine ſabulo et lapillis inueniatur, GALENVS [h] aſſeruiſſe videtur. Hic tamen indicatus eius locus, cum DIOSCORIDIS et aliorum aſſertis contradicat, et in libro, a plerisque pro ſpurio habito, occurrat, ipſe praeter ea GALENVS alio in libro [i] Eretriae albae aeque ac cinereae terrae mentionem faciat, in priori denique loco Erethria, in altero Eretria terra ſcripta reperiatur, aliam certe rubram terram, γῆν ἐρυθρὴν ſeu Rubricam ipſam indicare videtur, in qua eo magis confirmamur ſententia, quod omnes Rubricae, proprie ſic appellatae, bonitatis notae noſtrae, quam nunc diſquirimus, terrae a GALENO adiudicantur. Ex quibus patere arbitramur, Eretriam, rubro colore tinctam, terram nunquam inuentam fuiſſe, vti et HIPPOCRATEM Rubricam intellexiſſe opinamur, quando, occaſione experimenti, ex quo grauidam factam eſſe mulierem perſpiciebat, τῦ ἐρυθρῦ λιθῦ meminit [k], quae quidem, quacunque demum ratione interpretentur, verba [l], de rubro tantum lapide, ſiue, quod vnum idemque eſt, de Rubrica, non vero de Eretria terra accipienda ſunt.

Sed non crudam hanc terram vſurparunt veteres medici, lotam potius, vel, quod alter praeparandi modus erat, vſtam eam exhibuerunt. Ita enim GALENVS [m] qui maiorem adſtringendi facultatem Eretriae, quam Lemniae terrae adſcribit, lauando moderatiorem eam reddi docet, ſecunda vero vel tertia vice lotam perfectiorem fieri monet, et vſtione inſimul eam praeparari poſſe oſtendit, *quo videlicet eſſentiae reddant ſubtilioris et acrioris, vt et ad digerendi potentiam tranſeat*, et pergit: *Caeterum, ſi vſta lauetur, tunc depoſita in aquam acrimonia, ſubtilitatem quidem, quam ex toſtione acquiſiuerat, retinens deſiccantior conſtituitur.* Vtrumque lauandi et exurendi modum DIOSCORIDES ita deſcribit [n]. *Teritur ex aqua et vbi peſſum ierit humor leuiter excolatur, ſiccata ſolibus iterum teritur, interdum adiecta aqua, vt veſpere conſidat. Ante lucanis colo excernitur, et demum in ſole trita, ſi fieri poteſt, digeritur in paſtillos. Quod ſi toſta deſideretur, paſtilli magnitudine ciceris in fictile perforatum coniiciuntur, oreque vaſis diligenter obturato, ſupra carbones continenter follibus perflantur. Vbi vero cinis in fauillas ſe conuertit, aut aereum colorem contraxit, exempti reconduntur.*

Eretria terra, quae alba erat, et a pictoribus in primis vſurpabatur, optimum Bolum aemulaſſe videtur. Huic cineream, medico in primis vſui

h) De Simpl. Medicam. de Ge ſeu Terra Erethria. edit. CHARTERII Tom. XIII pag. 992.

i) De Simpl. Med. Facul. Lib. IX cap. 1 no. 4.

k) De Natur. Muliebr. cap. 98. edit. CHARTERII To. VIII pag. 721.

l) Quae verba vertuntur loco ex edit. CHARTERII cit. per *terram erythraeam*, in edit. LINDENII Tom. II pag. 408 per *rubrum lapidem* ſiue *terram erythream*, in edit. FOESII Sect. V pag. 148. per *terram erythraeam aut rubricam.*

m) De Simpl. Med. Facult. loc. cit.

n) Loc. cit.

vſui deſtinatam, eius ſpeciem, quoad materiem ſimilem fuiſſe ſuſpicamur. Vndenam vero cinereus ille prouenerit color, ne hariolando quidem aſſequi poſſumus, eum tamen a metallica quadam, ipſi forte admixta, parte deriuandum eſſe exinde colligimus, quod illa aeri attrita, violaceum prae ſe tulerit colorem, et igne tractata aeruginoſum eum acquiſiuerit. Neminem praeter ea inueniri, qui ex recentioribus in primis, hanc terram ſe conſpexiſſe gloriari poſſit, CAESALPINVS iam monuit [o], et licet CHIOCCVS [p] vtramque nominet, praeter colorum tamen differentiam, nullum adducit characterem, ex quo certi quicquam concludi queat.

Ad vires huius terrae quod attinet, adſtringendi, refrigerandi, leniterque emolliendi virtutem DIOSCORIDES [q] ipſi adſcribit, vulneraque cruenta eam glutinare perhibet, ad capitis quoque dolores mitigandos eam adhiberi potuiſſe PLINIVS [r] docet. Ad ea vero vlcera, quae carnem ſibi reſtitui aegre patiuntur, et ad ea, quae ad cicatricem difficulter perueniunt, prae reliquis hanc terram GALENVS ſtudioſe commendat [s].

Ex iis, quae propter inſignem in medendo efficaciam, celebres et a pictoribus ſimul ad perficiendas imagines adhibitae fuerunt, terris, MELIA quoque cognominanda venit. Haec ex Melo, Cycladum inſula apportata, Melina quoque, nomine cum priore prorſus conueniente, atque a Meliade et Melia, vt HERMOLAVS BARBARVS [t] monet, non diverſo, cognominata inuenitur. Hac vero appellandi ratione, in vera huius terrae ſpecie inſignienda, non vtebantur veteres, genuina namque et optima Melia terra in Melo tantum inſula copioſe reperiebatur, et licet PLINIVS [u] in Samo quoque hanc terram naſci referat, a priori tamen, toto, vt aiunt, coelo differebat, ea enim pictores, ipſo PLINIO teſte, ob nimiam pinguitudinem ac denſitatem vti non poterant. Candidam fuiſſe Meliam terram, edoctus a PLINIO [x], AGRICOLA [y] monet, colore vero cinereo praeditam et Eretriae ſimilem eam fuiſſe DIOSCORIDES [z] et ORIBASIVS [a], quorum ſententiam recentiorum non nulli amplectuntur [b], notatum reliquerunt. CAESALPINVS [c] vero non candidas tantum, pallidas et cinereas, ſed alias quoque, variis nigris punctis inſignitas, huius terrae glebas ſe conſpexiſſe profitetur. Sunt alii, qui crediderunt melinum luteum illum colorem a Melia hacce terra denominari, ſed, cum pleriqne

o) De Re Metallic. Lib. I cap. II.
p) Muſ. Calceolar. Sect. II pag. 124.
q) Loc. cit.
r) Hiſt. Nat. Lib. XXXV cap. 6.
s) Loc. cit.
t) Comment. in Dioſcorid. Lib. V cap. 171 pag. 339.
u) Loc. cit.
x) Loc. cit.
y) De Nat. Foſſil. Lib. II pag. 581.
z) Lib. V cap. 171.
a) Collect. Med. Lib. XIII.
b) RVLANDVS in Lexic. Alchem. pag. 463. et LACHMVND Oryctogr. Hildeſ. Sect. I cap. 3 pag. 4.
c) De Metallis Lib. I cap. 12 pag. 34.

plerique ſcriptores albam, vel cineream ſaltim ſaepius nominatam terram appellent, falſam hanc eſſe vocis ſignificationem inde pateſcit. Aptius longe melini coloris indolem SALMASIVS [d] exprimit, dum inquit: *A colore malorum appellationem ſumſit, ἀπὸ τῶν μήλων, qualem nempe habent mala matura, quae a ſole rubeſcunt et colorem rutilum, ſed pallidum induunt.*

Externas huius terrae affectiones ſequentes recenſet DIOSCORIDES [e]: *Aſpera tactu eſt, digitis fricata deraſi pumicis modo crepitat; vim habet aluminoſam, ſed remiſſiuſculam, id, quod guſtu deprehenditur, modice linguam ſiccat.* Ex quibus ipſi adiudicatis proprietatibus illam ad Morochti ſpecies referendam eſſe colligimus, idque eo firmius nobis perſuaſum habemus, cum eae in primis magni aeſtimatae fuerint glebae, quae recentes erant, et a liquore quocunque cito reſoluebantur, nec lapidoſi quidquam admixtum habebant. Ab his potiſſimum glebis eae expectabantur virtutes, quas DIOSCORIDES [f] recenſet, vt earum vſu corpus purum redderetur, pili extenuarentur, vitiligines et leprae abſtergerentur. Ad pingendas quoque imagines adhibita fuit, ita, vt PLINIVS [g] memoriae prodat, Appellem, aliosque eiusdem temporis celeberrimos pictores immortalia illa opera quatuor coloribus feciſſe et album in primis ex Melia terra adhibuiſſe. Et hoc quidem eo lubentius concedimus, quo magis veritati conueniat THEOPHRASTI [h] ſententia, omnes ſcilicet macras et raras terras, quibus noſtram adſcribendam eſſe ſupra iam declarauimus, picturae omnium optime inſeruire.

PARAETONIVM, cuius PLINIVS [i] iam mentionem fecit, ad pictorias veterum terras referri meretur. Nomen habet ab oppido et portu Aegypti, prope Alexandriam ſito. *Spumam maris eſſe dicunt, ſolidatam cum limo, et ideo conchae minutae inueniuntur in eo* [k]. Terra fuit candida, pinguis et tenaciſſima[l], Argilla forte alba, ad littora maris effoſſa. *E candidis coloribus pinguiſſimum et tectoriis tenaciſſimum propter laeuorem, Romaeque Creta Cimolia decocta conſpiſſataque adulterari* dicitur PLINIO [m]. ALDROVANDVS [n] hoc pigmenti genus Phalaridem terram THEOPHRASTI eſſe ſuſpicatur et paulo poſt aſſerit: *Generatur hoc terrae genus ex ſaxis pinguibus reſolutis, qualia ſunt calcaria; Hoc autem fit, quando aqua praedictos lapides lambit et abradit, ſecumque materiam per caecos meatus in mare ducit.* In icone, quam appoſuit, delineatur turben, cui Paraetonium inſtar cruſtae calcareae adhaeret. Ex his ita deſcriptis perſpicere tamen non

d) In Exercitat. Plinian. pag. 182.
e) Loc. cit.
f) Loc. cit.
g) Loc. cit. cap. 7.
h) De Lapidib. pag. 13.
i) Hiſt. Nat. Lib. XXXV cap. 6.
k) PLINIVS loc. cit.
l) PLINIVS Lib. XXXIII cap. 5.
m) Lib. XXXV cap. 6.
n) In Muſ. Metall. pag. 250, 251.

non poſſum, quid IMPERATVS [o], qui PLINII antea memorata verba adduxit, alio in loco [p] per Paraetonium intelligat, ita differens: *Paraetonium, terrae albae genus, quod vaſis, antequam inuitrentur, iuducitur, ſub appellatione gypſi notum, laxatur et induratur pariter ad ignem, atque hoc candidiſſimum eſt tactuque tenerum.*

SAMIA terra in Samo, inſula ſic dicti Archipelagi vel Aegaei maris effoſſa fuit. Venam, ex qua haec terra eruebatur, accurate ſatis THEOPHRASTVS [q] deſcribit, poſtquam enim eas, quae Samiam terram ab aliis, eidem ex parte tantum ſimilibus, terreis corporibus diſtinguunt, notas expoſuerat, ita de ea pergit: *Sane foſſor in metallis Samiis non poteſt rectus ſtare, ſed aut ſupinus, aut ad latus. Vena quippe ad longum extenditur, altitudine bipedali, latitudine multo maiori. Vtrinque vero ſaxis obſepitur, ex quibus ſecernitur. Eſt in media parte venula melior illa, quae extra eſt, rurſus altera, deinde quarta, ſibi inuicem oppoſitae, extrema eſt, quae dicitur Aſter.* Samiam hancce terram candido colore praeditam fuiſſe, praeter HIPPOCRATEM omnes fere conſentientes inuenimus ſcriptores, is enim nigram terram Samiam appellat [r], ſub quo tamen nigro colore cinereum forte Coum intellexiſſe, RIVINVS in aduerſariis aſſerit, nulla tamen, quae hanc opinionem confirment, argumenta ſubnectit.

Candidae huius terrae duae a DIOSCORIDE [s] recenſentur ſpecies, quarum prima Collyrion ipſi appellata, leuis eſt, tangenti linguae glutinoſa, mollis, ſuccoſa, friabilis, alter Aſter cognominatur, quae cruſtacea eſt et cotis modo praedenſa. Collyrion vero prima huius terrae ſpecies appellata fuit, quoniam iis oculorum medicamentis, quibus collyrii nomen impoſitum erat, immiſcebatur [t]. Solus ex omnibus PLINIVS [u] eandem ſpeciem Syropicon dicit, et ſimili, vt DIOSCORIDES, modo deſcribit. ALDROVANDVS [x] tamen monet, DALECHAMPIVM in codice manuſcripto non Syropicon ſed Collyrion poſitum inueniſſe, et ita pergit: *Quare non Tyropicon legi poſſet? quaſi dixerimus affectu caſei recenter coacti, cum Dioſcorides et Plinius leuem recentem et albam probent.* Altera huius terrae ſpecies Aſteris nomen obtinuit, num vero ex eo, quod ſtella, ſicuti Lemnia, cui caprae imaginem impreſſam fuiſſe legimus, inſigniretur, an inde, quod in ipſa terra multae micaceae, tanquam ſtellae ſplendentes, partes inuenirentur, Aſter appellata fuerit, plurimi auctorum [y] definire

o) Hiſt. Nat. Lib. IV cap. 11 pag. 113.

p) Lib. cit. Lib. V cap. 45 pag. 172.

q) De Lapidib. pag. 13. Conf. IMPERATVS Hiſt. Nat. Lib. V cap. 16 pag. 153. et CHIOCCVS in Muſ. Calceolar. Sect. II pag. 113.

r) De Natura Muliebri cap. 30 Tom. VII pag. 696.

s) Lib. V cap. 163.

t) Vid. SALMASIVS in Exercit. Plin. pag. 182. vbi Collyrii et Collurii differentiam indicat.

u) Hiſt. Nat. Lib. XXXV cap. 16.

x) Muſ. Metall. Lib. II cap. 4 pag. 239.

y) GORRAEVS in Definit. Med. Tit. Samia γῆ. ALDROVANDVS loc. cit. AGRICOLA de Nat. Foſſil. Lib. II pag. 581. CHARLETONVS de Foſſil. Gen. pag. 3.

definire non audent. MATTHIOLVS [z] equidem, Samiam ſe vidiſſe glebam refert, quae, ſi frangatur, radiantes quaſi oſtendat ſtellas, hacque de cauſſa Aſteris nomen ſuam traxiſſe originem iudicat, hanc tamen, huic terrae adſcriptam, proprietatem plerique eorum, qui de ea ſcripſerunt, obſeruare non potuerunt, vnde et eſt, quod altera, a ſtellae ſigno deſumta, ſententia ipſis magis placeat [a]. Alia praeter ea de Aſtere terra exorta fuit controuerſia, non nulli enim [b], AVICENNAE [c] forte opinione ſeducti, Aſtera illum eſſe lapidem putarunt, quem talcum plerumque nominamus, hos vero MATTHIOLVS [d] commiſſi erroris et recte quidem arguit. Talcum enim nunquam glutinis inſtar linguae adhaeret, neque cruſtoſum eſt, ſquamoſum potius atque pellucidum obſeruatur.

Samius lapis, quem in hac terra inuenerunt, vt DIOSCORIDES ſcribit [e], probatur candore et duritie, et, vt GESNERVS monet [f], cum Samia terra prorſus conuenit. Licet vero ALDROVANDVS [g] aſſerat, terram hanc duriorem quandam glebam, tanquam aetiten, in vtero ſuo fouere, aetiti tamen hunc lapidem aequipárare nollem, ſicuti etiam cum ſinyride, quae KIRCHERI [h] eſt ſententia, prorſus non conuenit, non obſtante, quod ex eius aſſerto ad poliendum aurum fuerit adhibitus. Samia namque terra, ob eas, quas antea ipſi competere vidimus, proprietates ad pingues certe terras referri meretur, et cum ex auctorum, quae appoſuimus, teſtimoniis, tenera, alba et pinguis fuerit, ad Argillas forte, et eas quidem, de quibus in prima dicti generis ſpecie et prioribus eius varietatibus diximus, pertinere videtur, niſi quis tertiae potius Boli ſpeciei hanc terram annumerare malit. Contentus vero in terra lapis macras, ex pingui terra collectas et induratas exhibuit partes, quae ad Morochtum et ad tertiam quidem eius ſpeciem reduci poſſent. Terra enim aeque ac lapis album habent colorem, matrix tamen magis pinguis et glutinoſa, quam contentae et ſparſim in matrice nidulantes glebae, quae macriores, ſic dicta pinguedine terreſtri deſtitutae apparuere.

Puram ſatis et nitidam fuiſſe hanc terram, pro indubitato habemus. Quamuis enim DIOSCORIDES [i] illam eadem, vt Eretria terra, ratione, lauando aeque ac vrendo praeparari aſſerat, GALENVS [k] tamen id minus

z) Comment. in Dioſcoridem Lib. V cap. 130 pag. 966. Vid. quoque AMATVS LVSITANVS in Dioſcorid. Lib. V Enarr. 131. GESNERVS de Lapidibus Figuratis cap. 2 pag. 42.

a) CAESALPINVS de Metall. Lib. I cap. 11 pag. 31. CHIOCCVS in Muſ. Calceolar. Sect. II pag. 113. IONSTONVS Not. Regn. Miner. Tit. II cap 1. pag. 9.

b) BRASSAVOLVS in Exam. Simpl. Medic. pag. 585. et AMATVS LVSITANVS loc. cit.

c) Lib. II Tract. II cap. 422.

d) Loc. cit.

e) Lib. V cap. 164. et CAESALPINVS loc. cit.

f) Loc. cit.

g) Loc. cit.

h) In Mund. Subterran. Lib. VI Sect. II cap. 4 pag. 358.

i) Loc. cit. It. PLINIVS Lib. XXXV cap. 16.

k) De Simpl. Med. Facult. Lib. IX. AETIVS Tetrabibl. I Serm. II cap. 6.

nus neceſſarium eſſe iudicat. De diuerſis vero glebis hoſce auctores verba feciſſe, AGRICOLA [l] iam recte id obſeruante, a veritate haud alienum eſſe videtur. DIOSCORIDES enim Collyrium tanquam pinguem mollemque terram deſcribit, GALENVS vero Aſterem lentum et glutinoſum dicit, ex quo factum eſt, vt prior Collyrium Aſteri anteponat, poſterior Aſterem Collyrio praeferat, interdum tamen Collyrio maiorem prae Aſtere efficaciam tribuat, et primas inde partes concedat. Sed condonandum eſſe hiſtoriae naturalis indagatoribus eiusmodi diſſenſum inde eo lubentius nobis perſuaderi patimur, quo certius, diuerſas admodum terras ex vno ſaepius eodemque ſtrato effodi, per experientiam edocemur.

Medicatae huius terrae vires, etſi ſummis laudibus a veteribus medicis celebrentur, a nobis tamen, cum ipſa terra deſtituamur, ex eorum tantum collectis obſeruationibus recenſendae ſunt. In genere adſtringentem vel roborantem et exſiccantem virtutem illi adſcripſerunt. Quare illam in ſanguinis eruptione ex pulmonibus laudatam [m], in fluore albo feminarum cum floribus punicae datam [n], in colico et dyſenterico fluxu, antequam vlcera putrida euaderent [o], vt praeſtantiſſimum medicamentum exhibitam fuiſſe inuenimus. Teſtium quoque et mammarum inflammationes [p], nec non omnes glanduloſarum partium morbos illita hac terra propulſaſſe atque ſedaſſe notatum legimus [q]. Contra venenatum praeter ea morſum ipſaque venena [r] in primis vero cantharides [s], pota e vino aſſumta, ad oculorum denique puſtulas collyrium, quod Samiam hanc terram admixtam habebat, commendatum fuiſſe obſeruamus [t]. Haec tamen terra a pictoribus ob nimiam pinguitudinem non adeo facile ad artis opera adhiberi potuit. Sed id, quod adhuc magis eam ad Argillas referendam eſſe, confirmat, fictilia inde, ab ipſo loco nominata, conficiebant vaſa, quae vero tenuia admodum et fragilia erant. Plura de hac terra in praeſenti non addimus; ea enim, de quibus adhuc moueri poteſt quaeſtio, ALDROVANDVS e veterum ſcriptis collegit, et ſtudioſe omnia diſpoſuit [u].

Cum Samia, de qua hactenus diximus, terra omnino conuenit PARTHENIA, quam NICANDER [x], vbi de cantharidum antidotis loquitur, ſequentibus deſcribit verbis et eius ortum poetarum more ita proponit:

Καὶ

l) De Nat. Foſſil. Lib. II pag. 581.
m) AETIVS loc. cit. SCRIBONIVS LARGVS de Compoſitionibus Medicis cap. 21 pag. 52 et 54. edit. IO. RHODII Patauii. 1655. 4.
n) DIOSCORIDES. loc. cit.
o) GALENVS loc. cit. ORIBASIVS de Virtut. Simpl. Lib. II.
p) AETIVS loc. cit. DIOSCORIDES loc. cit. quo in loco MARC. VERGILIVS in Commentar. ab omnibus aliorum commentatorum interpretationibus recedens, pro mammis oculos ponit.
q) ORIBASIVS loc. cit.
r) DIOSCORIDES loc. cit. ARDOYNVS de Venen. Lib. I cap. 9.
s) SCRIBONIVS LARGVS Lib. cit. cap. 27 pag. 68.
t) PLINIVS loc. cit. CORN. AVREL. CELSVS Lib. VI cap. 6.
u) Loc. cit.
x) Alexipharmaca. IO. GORRAEO interprete edit. Pariſ. 1557. 4. pag. 138.

Καὶ δὲ σὺ δραχμάων πισύρων βάρος αἴνυσο γαίης
Παρθενίης, ἣν Φυλλὶς ὑπὸ κνημοῖσιν ἀνῆκεν
Ἰμβρασίδος γαίης χιονώδεος, ἣν τε κεράστης
Ἀμνὸς χησιάδεσσι νέον σημήνατο νύμφαις,
Κερκετέω νιφόεντος ὑπὸ σχοινώδεσιν ὄχθαις.

Vel tu Partheniae drachmarum pondera terrae
Quatuor accipias, quam Phyllis collibus altis
Imbraſiae profert, et quam quae cornua geſtat
Fertur Cheſiadis pecus oſtendiſſe puellis.
Iuxta Cercetii iuncoſa fluenta niuoſi.

GORRAEVS in notis, huic loco ſubnexis [y] Samium Aſtera intelligere NICANDRVM monet, et arietem eundem inueniſſe in phyllide, ſeu fodina ſic cognominata, addit. Cum vero ex omnibus, huc usque a nobis perluſtratis terris, haec a veteribus naturalium corporum indagatoribus neglecta fere fuerit, reliquis, ab antiquis ſcriptoribus petitis, adiumentis deſtituti, eam nunc ſubiungimus Partheniae terrae deſcriptionem, quam RIVINVS in ſuis ſchedis ex IO. LONICERO, NICANDRI interprete, deſumtam, ſua explicatione illuſtrare tentauit. Ita vero LONICERVS [z]: *Haec omnia nihil aliud valent, quam recipe terrae Samiae drachmas quatuor. Nam, quam Partheniam appellat, et inuentionem vel primam eius originem adducit, amplificatione poetica hoc facit. Parthenia vero non tota Samos, ſed quaedam in ea inſula inuenta terra dicitur. Phyllis ipſe locus, vel fodina terrae Samiae, appellat et eandem terram per ἀσυνδατόν et congeriem Imbraſidem terram, ab Imbro inſula, quae in Samo ſita fuit. Adiicit autem eam terram inuentam eſſe a cornuto agno, καταχρήσει et περιφράσει i. e. ab ariete: agni enim non ſunt inſigniti cornubus, ſed arietes: tandem Cheſiadibus puellis indicatam ab ariete terram illam, ab antiqua Sami gente ſic vocans nymphas. Cheſienſes enim primum Samum incoluerunt poſtea Aſtypelaenſes. Dioſc. Samiae terrae duas ſpecies facit, meliorem et commodiorem, quam aſtera dicunt, varias eius contra venena vires et virtutes recenſens. Carcetus Sami fluuius, apud quem ab ariete terram illam Samiam Samiis puellis indicatam tradit.* His denique ſequentia addit RIVINVS: „Mallem ſic verti, quam Phyllis produxit circa radicem „montis candidae Imbraſiae terrae, quam aries primum Cheſiadicis indi„cauit puellis, ſub iunco niueae Carceti ripae. Nimirum Imbroſus et „Carcetus ſunt, quae Samum noſtram intelligendam eſſe perſuadent. „Imbraſum enim flumen dici, quod ante hac Parthenium erat, teſtis eſt „STRABO Lib. X: in Samo montem eſſe Cercetium nobilem, nobilio-

„rem

y) Loc. cit. pag. 180

z) pag. 78. Edit. Colon. 1531. 4.

„rem Ampelam, imminentem vrbi Samiorum. Hallucinatur proinde „LONICERVS, quando Imbraſidem terram deducit ab inſula, in Samo „ſita: item, quando Carcetum Sami fluuium fingit. Ita enim PLINIVS „Hiſt. Nat. Lib. V cap. 31: Samon liberam, circuitu octoginta ſeptem „mille paſſuum: aut, vt ISIDORVS, centum: Partheniam primum ap- „pellatam ARISTOTELES tradit, poſtea Dryuſam, deinde Anthemu- „ſam. ARISTOCRITVS adiicit Melamphyllum, dein Cypariſſiam: alii Par- „thenoaruſam, Stephanen. Amnes in ea, Imbraſus, Cheſius, Ibettes. „Fontes Gigarto, Leucothea. Mons Cercetius. Adiacent inſulae, „Rhypara, Nymphaea, Achillea. Par claritate ab ea diſtat XCIII. M. „paſſuum, cum oppido Chios libera, quam Aethaliam EPHORVS priſco „nomine appellat: METRODORVS et CLEOBVLVS Chiam, a Chione „nympha: aliqui a niue, et Macrin et Pityuſam. Montem habet Pelle- „naeum, marmor Chium. Circuitu CXXV. mil. paſſuum colligit, vt ve- „teres tradidere. ISIDORVS IX. mil. adiecit. Poſita eſt inter Samum „et Lesbum, ex aduerſo maxime Erythrarum. Finitimae ſunt Thallu- „ſa, quam alii Daphnuſam ſcribunt, Oenuſſa, Elaphites, Euryanaſſa, „Arginuſa cum oppido. Iam haec circa Epheſum. cet.“ Item Phyllis ipſe „locus vel fodina terrae Samiae, (ἐν σαμοθράκῃ in graeco Scholiaſte) dici- „tur. Confundit enim Samothraciam cum Samo noſtra. Idem feciſſe „ſub tit. Samos VARRONEM, Autorem Fori Romani atque ipſum deinde „ALDROVANDVM Muſ. Metall. pag. 239. video, dum vaſa fictilia ex Cre- „ta Samothraciae fabricata, terramque Samiam hinc allatam eſſe ſta- „tuunt.„

SELINVSIA terra ex Selinunte, oppido Siciliae nomen accepit [a]. Haec a veteribus quoque laudata et Chiae ſimilis iudicata fuit, optima enim ex illorum ſententia erat gleba, quae vehementer reſplendebat, et candida atque friabilis facillime in aqua affuſſa ſoluebatur [b]. Boli itaque albi ſpeciem illam fuiſſe, ex iis, quas ſupra de Chia terra propoſuimus, bolaris terrae notis colligimus. Moderatam abſtergendi facultatem eidem GALENVS [c] adſcribit, et tanquam optimum ad ambuſta remedium, cum aliis, ipſi aſſentientibus, illius aeui medicis [d] eam commendat. Dubito vero, an recte ſentiat IONSTONVS [e] dum inſtar nitri noſtram terram ſplendere pronuntiat. Eam denique pictoribus in vſu fuiſſe VITRVVII [f] locus confirmat, ex eo enim diſcimus,

a) MERCATVS in Metall. Vatican. Arm. I. cap. 9 pag. 16.

b) DIOSCORIDES Lib. V cap. 176. PLINIVS Hiſt. Nat. Lib. XXXV cap. 16.

c) De Simpl. Med. Facult. Lib. IX.

d) ORIBASIVS Medicin. Collect. Lib. XIII et Lib. XV. it. de Virtute Simpl. Lib. II cap. I. AETIVS Tetr. I Serm. II cap. 7. PAVLVS AEGINETA de Re Med. Lib. VII cap. 3.

e) Notit Regn. Miner. pag. 10.

f) Architect. Lib. VII cap. 14. citante MERCATO loc. cit.

ſcimus, noſtram terram, ſi coeruleo inficiatur, colorem indici imitari.

Vlterius adhuc in enumerandis veterum terris progredi et Sardam, quae alba erat [g] Bezaariam [h], Calcimoniam [i], eodem, quem hactenus ſecuti ſumus, ordine declarare potuiſſemus. Sed, cum pauca forte, et ea tantum, de iis monenda ſuperſint, quae in nominatis auctoribus facili inueniri poterunt negotio, huic nunc capiti finem imponimus, et longius iamiam in his, appendicis loco ſubnectendis, terris commorati, ad alia, a nobis nunc exequenda, paramus tranſitum.

g) PLINIVS Hiſt. Nat. Lib. XXXV cap. 17. PAVLVS AEGINETA de Re Med. Lib. IV cap. 146.

h) IMPERATVS Hiſt. Nat. Lib. V cap. 34 p. 163.

i) IMPERATVS Lib. cit. cap. 40 pag. 166.

CAP.



CAPVT IV.
DE TERRIS SIGILLATIS.

Ea eſt hiſtoriae naturalis conditio, vt illa, quamcunque eius partem conſideremus, non artis ope producta, ſed ab ipſa natura progenita corpora diſquirat et prima eorundem principia et innatas quaſi affectiones declaret. In terris itaque, ſecundum hanc normam tractandis, cum omnis earum diſquiſitio in terris crudis ſuſcipi, et ex his tantum corporum naturalium limites, terrarumque ad lapides et alias mineras tranſitus edoceri debeat, alienum equidem ab hiſtoriae naturalis ſcriptore eſſe videtur, ſi terras vel lotas, vel depuratas et ſigillatas ampla admodum proſequi velit oratione. Attamen, cum celeberrimus, cuius veſtigiis inſiſtimus, RIVINVS in terris ſigillatis colligendis multum induſtriae poſuerit, eaedem vero nunc inter Muſei Regii ornamenta collocatae multumque auctae inueniantur, non nullae praeter ea terrae, quas in crudis glebis recenſendis exhibere haud potuimus, in ſigillatis locum obtineant, noſtrum opus inſigni hoc ornamento priuare noluimus.

Nec in eo quidem errorem me commiſiſſe exiſtimo, quem enim latet, rerum naturalium collectionibus haud incommode arte facta iungi poſſe, terras quoque, figura et ſigillo impreſſo ſaepius tantum mutatas, indolem crudarum penitus neutiquam exuere, ſubſtantiam potius et differentes earum colores non raro clare ſatis inde cognoſci poſſe. Medici deinde ex officinis pharmaceuticis non crudas tantum, ſed ſigillatas plerumque deſiderant glebas, quae, cum ſaepius ſuppoſititiam terram et ignobilem quandam Argillam pro terra optima et nobili quadam Marga ſiſtant, in ſimplicium medicamentorum diſquiſitione ſollicite inueſtigari debent. Dum itaque ſigillatarum glebarum, a RIVINO olim aliisque auctoribus

exhibitas imagines, auctas quidem, et meliori ordine diſpoſitas, nec non nitidius aeri inciſas, exhibemus et cupido harum rerum ſcrutatori tradimus, opus a celeberrimis iam viris deſideratum[k], et attentione dignum nos ſuſcepturos ſperamus.

Terras iam olim ob ſummum earum et ſingularem in medicina vſum ſigillatas fuiſſe, Lemnia terra, quippe quae omnium prima ſigillo impreſſo notata, et, vt alibi oſtendimus, Lemnium ſigillum appellata fuit, ſatis abundeque teſtatur. Inter Arabes quoque et Bolus Armenus et Lemnia terra, ſigillo exornata in vſu fuerunt, ſoli deinde Turcae, qui illas, in quibus inueniebantur, regiones occupauerant, veras has terras obtulere, ex quo factum eſt, vt nemo medicorum, ſaeculo decimo quinto et ſexto viuentium, glebam aliquam pro genuina habuerit, niſi illam a Turcarum imperatore, vel alio nobili Turca, ad aulam quandam Europae regiam ſimul cum aliis donis tranſmiſſam fuiſſe conſtaret, licet omni hac adhibita cura impediri non potuerit, quo minus eo quoque tempore ſpuriae multae et ſuppoſititiae terrae in Europam introducerentur.

Terram tandem medicatam, ſigillatis veterum terris vel praeferendam vel ad minimum aequiparandam IOHANNES MONTANVS detexit, quae ſub terrae ſigillatae Strigonienſis nomine vendita fuit, qua diuulgata aliae quoque medicatae terrae genuinae, Sileſiacae in primis, Bohemicae, Saxonicae, et aliae multae ignobiliores Argillae ſigillatae fuerunt.

Sed alia quoque ſubeſſe videtur ratio, cur terreae glebae impreſſis ſigillis exornatae inueniantur. Nobilioribus Palaeſtinae terris, quae ſacrae vt plurimum appellantur, virtus quaedam miraculoſa magis, quam quae ex partium, eas conſtituentium, compoſitione deduci poterat, adſcripta fuit, ſanctorum itaque imagines et alii ipſis impreſſi characteres easdem partim ad cultum ſanctorum, partim ad medicum vſum aptas reddiderunt. Quae breuiter nunc indicata ex glebarum ſigillatarum enumeratione luculentius adhuc apparebunt.

Ita vero tabulas, quae glebarum ſigillatarum aeri inciſas ſiſtunt figuras, expoſituri ſumus: imagines terrarum eum in modum ordinabimus, vt terrae primum Sileſiacae, quarum inſignis eſt numerus atque varietas, poſtea Bohemicae, Saxonicae, et reliquae in Germania repertae, aliae porro Europaeae, dein Aſiaticae, ſacrae ſcilicet, Lemniae et Arabicae, non nullae denique ex locis non ſatis cognitis depromtae occurrant, his vero ſpuriae

k) VALENTINI in Hiſt. Simpl. Reform. Lib. I cap. I § 2 pag. 1. it. in Ephemerid. Nat. Cur. Cent. I et II Obſ. 179 pag. 384. et RVNDMANNI Rariora Naturae et Artis Sect. I Artic. 31 pag. 250.

ſpuriae quaedam immiſceantur. In ipſis autem ſigillis explicandis multi non erimus, ſed primarias tantum earum affectiones enumerabimus, cum reliqua, vel in nominandis a nobis auctoribus deſcripta inueniantur, vel ex icone conſiderata pateſcant. Terrae tamen indolem et in primis colorem in glebis, quae in Muſeo Regio inueniuntur, exponemus, eum potiſſimum in finem, vt inde appareat, quaenam glebae nobiles et in medicina aſſumendas exhibeant terras, quaenam contra ignobiles et falſae fuerint inuentae. Ad pondus cuiuslibet glebae quod attinet, illud, cum nullum vt plurimum praeſtet vſum, determinare operae pretium non eſſe duximus, praeſertim, cum illud ex ipſius delineatae glebae ambitu cognoſci plerumque poſſit. Auctores tandem, qui glebas vel delineatas vel deſcriptas exhibuerunt, vbique ſubnectemus, earum tamen non nullas, quas non niſi in collectione iconum RIVINI delineatas inuenimus, cum ob harum glebarum defectum in ſola huius viri fide acquieſcendum ſit, iis, quas in lucem olim edidit, tabulis tantum citatis, adducemus.

TABVLA I.

1. *TERRA DANICA HELENIA* dicta, ex RIVINI Tab. XXI. 18. Terram hanc crudam WORMIVS [l] ſequentibus deſcribit verbis: *Inuenta hic nuper eſt in Seelandia ad fontem, olim diuae Helenae ſacrum, et variorum aegrorum concurſibus nobilitatum, terra quaedam cinerea ad luteum inclinans, ex laminis quibusdam coagmentata, cuius venae per arenoſos tumulos in oppoſito fontis perreptant, intercurſantibus ochrae luteae venis, quae cum terra ſigillata magnam affinitatem habere videtur. Cruda magis adſtringit lota, in ore guſtata liqueſcit. Ibidem et reperitur et arenoſa magis et minus pinguis. Sunt qui vires, quas aquis iſtis tribuunt, ab hac terra dependere putant, quae ochrae permiſcetur.*
2. *TERRA SIGILLATA LIVONICA*, ſic inſcribitur gleba, quae templi, duabus turribus vtrinque inſtructi, inter quas medio et ſuperiori in loco duae claues, decuſſatim poſitae conſpiciuntur, imaginem refert. Glebam ipſam non habemus, ſed ex WORMIO [m] et IACOBAEO [n] eam delineandam curauimus. Forſitan illa fuit terra, quam ſupra in Argillis Cap. III. Argilla XIII. I. *α*. Liuonicam eſſe aſſeruimus.
3. Imaginem IOHANNIS MONTANI ſiſtit, vt VOLCKMANNVS oſtendit [o]. Nos duplicem nitide expreſſam habemus glebam: (*α*) flaueſcentem,

l) In Muſ. Sect. I cap. 4 pag. 10. Vid. quoque OLIGER. IACOBAEVS in Muſ. Regis Daniae pag. 40. CHARLETONVS de Var. Foſſil. Generib. pag. 5. it. KOENIGIVS in Regn. Mineral. pag. 4.

m) Loc. cit. pag. 12.

n) In Muſ. Reg. Daniae pag. 39. qui terram hanc cum inſignibus Liuoniae anno 1593 & 1594 delineatam exhibuit.

o) In Sileſ. Subterran. cap. 13 § 8 pag. 279. Tab. 2 Fig. 1.

tem, ex vera terra Strigonienſi, vel eidem ſimillima efformatam, (β) albam, ex terra bolari puriſſima confectam. Vocabulum *GOLDBERGENSIS* minus accurate expreſſum eſt, in RIVINI interim ſententiam abire vix poſſumus, qui eandem Colbergenſem dixit, et inter Pomeranas retulit terras, ſpuria forſitan MICH. RVPERTI BESLERI [p] delineatione in errorem deductus, quam VALENTINVS repetiit [q]. In glebis noſtris litera G accurate expreſſa eſt, et licet D prorſus deficiat, reliquis tamen vocabuli mendis hunc errorem annumerandum eſſe putamus.

4. Glebam, ex muſeo Beyeriano communicatam, delineatam exhibet, quae ibidem coloris albi et rubri erat ac bolaris inueniebatur. Valde dubitamus, an a praecedente differat, ex partium potius ſitu et litterarum ſimilitudine delineantem, ea, quae in gleba obliterata fuerunt, ſupplere voluiſſe, haud absque omni veritatis ſpecie coniicere licet.

Cum ſequentes inſignibus ANDREAE BERTHOLDI AB OSCHATZ ornatae glebae nunc explicandae ſint, pauca de hoc viro, qui inter hiſtoriae terrarum explanatores non vltimum meretur locum, monere placuit. Erat vero modo nominatus BERTHOLDVS, Oſchacenſis Miſnicus [r], amicus MONTANI [s]. Vtrum medicinam ſit profeſſus, an potius ob rerum mineralium, qua pollebat, cognitionem et medicamentorum praeparationem medici tantum formam acquiſiuerit [t], determinari non poteſt, id tamen pro comperto habemus, eum per Germaniam et terras ſigillatas et alia forſitan medicamenta diuendiſſe [u] et circumforaneorum more principum

p) In Gazophylacio Anno 1642. Tab. 30.

q) In Muſ. Muſeorum pag. 1.

r) Ita eum appellatum fuiſſe, ex ſequenti, quem exhibemus editi ab eo libelli, titulo colligimus. Terrae ſigillatae nuper in Germania repertae vires atque virtutes admirandae eiusque adminiſtrandae et vſurpandae ratio, ex multiplici experientia ANDREAE BERTHOLDI Oſchacenſis Miſnici. Francof. ad Moenum 1583. 4. ex officina Chriſtophori Coruini. Errorem itaque commiſit OSWALDVS CROLLIVS, dum noſtrum Oſchatzienſem Sileſium vocat, in praefatione ad tractatum de Signaturis Rerum Internis pag. 4. qui ſubiungitur Baſilicae Chymicae, ab eodem auctore conſcriptae, edit Wechelian. 1608. 4. In Sileſia tamen BERTHOLDVM per longum temporis interuallum vixiſſe, ipſe in tractatu ſupra citato profitetur, ita differens: *Super montem vulgariter dictum Kupferberg, penes auriferum fluuium, Bober dictum lingua Germanica, vltra primam originem fluminis Albis, vulgo die Elbe, milliaribus ſeptem, prope montem dictum germanice Rieſenberg.*

s) Haud ignotum MONTANVM BERTHOLDO fuiſſe, ex ſequentibus eius concludimus verbis: *Terra*, inquit, *illa etiam a* IO. MONTANO *Med. Doctore, in Striga moram trahenti, haberi poteſt.* Forſitan igitur MONTANO in examinanda et praeparanda terra adſtitit.

t) In nominato ſaepius libello medicas quidem terrae deſcribit vires, inde tamen probari non poteſt, illum in vniverſa medicina, ſed in chemicis potius verſatum fuiſſe. Recte itaque CROLLIVS loc. cit. BERTHOLDVM noſtrum, *curioſum et ſedulum ſubterraneorum ſcrutatorem*, et IO. THEODOR. SCHENCKIVS in Diſſ. de Terra Sigillata cap. II *rerum metallicarum magiſtrum eum nominat.* Vnicus forte IOH. IVST. WINCKELMANNVS, Medicinae Doctoris titulum ei tribuit *in der Beſchreibung des Fürſtenthums Heſſen und Hirſchfeld.* pag. 36.

u) Ita enim in monito ad lectorem, quod libello, ab ipſo conſcripto, iunctum eſt, promittit, ſe ſingulis nundinis nouiter inuentam terram et gemmas, in medicina vſitatas, ad Chriſtophorum Coruinum, ciuem et typographum Francofurtenſem tranſmittere velle, eum in finem, vt in loco, non multum a Rheno fluuio diſtante, ea reperiri et haberi facile queat.

pum et ciuitatum de viribus ſuae terrae obtinuiſſe teſtimonia, eaque promulgaſſe [x] et Freybergae denique diem obiiſſe ſupremum [y].

Non equidem eſt cur dubitemus, BERTHOLDVM terras Sileſiacas, in primis Strigonienſem flaueſcentem et albam Goldbergenſem, quarum variae glebae nunc in medium proferendae ſunt, prae reliquis praeparatas exhibuiſſe [z], inter ea tamen, cum ipſe in variis Germaniae locis vixerit, omnes illas ſigillatas glebas, quae primis nominis ſui litteris, variisque inſignibus ſole v. c. luna et ſtellis exornatae conſpiciuntur, non Sileſiacas ſemper fuiſſe credimus, licet easdem, quod alium ipſis locum aſſignare haud potuimus, hic recenſere cogamur.

5. Gleba ſubrufa, terrae Strigonienſi quodam modo ſimilis, ex vtroque latere ſigillata. Huic accedit alia gleba, ex vna parte tantum ſignata, (α) quae flaueſcens et griſea parum deprehenditur.
6. Gleba praecedente pallidior, vtrinque ſigillata, quae ad naturam terrae Strigonienſis propius accedit, quam alia, obſcure rubicunda gleba, (β) quae in vna tantum facie impreſſum habet ſigillum.
7. Gleba vtrinque ſigillata, ex muſeo Beyeriano delineata.
8. Gleba alba et purior argillacea, quae inſignia gentilitia vel acquiſita ANDREAE BERTHOLDI ab Oſchatz oſtendit. In auerſa parte feminae, quae cornu copiae manu tenet, formam exprimit, quam tamen, cum imperfecta eſſet, delineare noluimus.
9. Gleba flaueſcens, verae Strigonienſi ſimillima, a KVNDMANNO [a] deſcripta, quae expreſſis verbis *TERRA SIGILLATA MONTIS ACVTI* appellatur.

Cum glebae, tribus montibus inſignitae, nunc recenſendae veniant, ea, quae ſupra [b] dum Strigonienſem tractauimus terram, de tribus Strigae vicinis

x) Vid. SCHENCKIVS loc. cit. cap. II vbi aſſerit: *hanc terram a* BERTHOLDO, *ſub montis et ſeptem ſtellarum ſigno, olim venditam et Statibus Sacri Romani Imperii in comitiis praeſentatam fuiſſe.* BERTHOLDI etiam libello addita inueniuntur: *Principium et magiſtratuum teſtimonia, qui experimenta, ac velut miraculoſa, terrae ſigillatae Sileſiorum dictae, prodigia viderunt ipſimet in praeſentia ſua fieri:* I. GVILIELMI, *Landgrauii Haſſiae cet.* cuius iuſſu variis canibus, diuerſi generis venena, vel cum vel ſine hac terra ſigillata exhibita fuerunt, praeſentibus MAVRITIO THAVRER et LAVRENTIO HYPERIO, Med. Doctoribus. II. WOLFGANGI, Comitis de Hohenloe, Domini in Langenbourg, vbi mercurius ſublimatus homini ad drachmam ſemis propinatus, vnica tantum huius terrae drachma aſſumta, nociua, quam exerit, virtute ita fuit priuatus, vt ipſe aeger laetus inde ſuperuixerit. III. Ciuitatis Iuliacenſis teſtimonium, ciui Colonienſi, Criſanto a Cronenbourg cognominato, pro Domino ANDREA BERTHOLDO, Oſchacenſi datum, qui terram ſubrufam et ſubgriſeam, ſigillo ANDREAE BERTHOLDI ab Oſchatz notatam, cani poſt deuoratum mercurium ſublimatum cum ſucceſſu exhibuit.

y) Vid. MOLLERI Chronicon Freybergenſe in Annalibus pag. 395. Anno 1610. d. 14 April. *iſt Andreas Berthold von Oſchatz, welcher ein fleiſſiger Erforſcher der natürlichen Kräffte in Mineralien geweſen, und unter andern die deutſche* terram ſigillatam *erfinden helfen, im Hoſpital zu Freyberg ſeines Alters im 80ſten Jahre verſtorben.*

z) In teſtimoniis enim ſupra citatis terrae Sileſiacae mentio fit, et quoad colorum diuerſitatem deſcribitur, in ipſo vero BERTHOLDI tractatu ſequentia inueniuntur: *De vtriusque terrae albae et flauae nomenclatura, vt aliquid etiam in medium proferamus* cet.

a) Rariora Naturae et artis Sect. I Art. 31 pag. 253. Tab. XIII n 3. it. *Breslauiſche Sammlungen Verſuch 20.* 1722 Menſ. Iunio Art. 5 pag. 604.

b) Cap. 3 pag. 127.

vicinis montibus expoſuimus, vt repetamus non opus eſt. Licet enim VALENTINI [c] tribus turribus has glebas notatas eſſe aſſerat, illud tamen, cum ſolus forte ex omnibus dictam hanc foueat opinionem, et ipſae praeter ea glebae, noſtram ſententiam ſatis et abunde confirment, operoſa et validis argumentis comprobata refutatione non indiget. Magis vero de his, et ſequentibus, in tabula prima et ſecunda expreſſis, terris obſeruandum eſt, non Strigonienſem tantum flaueſcentem vel ſubfuſcam, Lignicenſem vel Goldbergenſem albam, rubram et luteam, ſed alias quoque, quod ex colorum et ſubſtantiae inſigni differentia patet, praeparatas et lotas terras, in formam glebarum ſigillatarum reductas fuiſſe. Cum enim terra Strigenſis, in magno ſemper habita pretio, ab exteris quoque expetita fuerit, dubium non eſt, quin extra Sileſiam [d], vel, vt plura dicam, extra Germaniae fines tribus montibus notata ſigilla efformata fuerint, ita vt, omnia haecce ſigilla vel Strigonii vel Lignicii aut Goldbergae eſſe impreſſa, pro indubitato proponi non poſſit, licet nomina in ipſis ſigillatis glebis inueniantur.

10. Gleba tres montes cum arboribus, ipſis adnaſcentibus ſiſtit; in ſcuto ſuperiori glebae parti impoſito, gladium cum claue decuſſatim poſita videmus [e]. Signata eſt. *TER. SIGIL. STREGON.* An. 1652. VOLCKMANN. Tab. I Fig. 1. Gleba noſtra flaua eſt, ex terra Strigonienſi vera praeparata.
11. Conuenit cum praecedente, excepto vocabulo *STRIGON.* quod hic per I ſcribitur. Glebae noſtrae ſunt: (α) fuſca, (β) luteola, ambae nobiliores Strigenſes, (γ) alba, bolaris, pinguior.
12. Similis praecedenti, anno 1653. confecta. VOLCKMANN. Tab. I Fig. 2. Gleba noſtra flaua eſt, Strigonienſis, nobilior.
13. Conuenit cum 10. anno 1662. ſignata. VALENTINI [f] inter Sileſiacas eam primo loco deſcribit.
14. Gleba ex flauo bruna, Strigonienſis vera.
15. Gleba flaua, nobilior, Strigonienſis, praecedente tamen minor.
16. Conuenit cum praecedentibus, exceptis litteris, quae aliter diſpoſitae inueniuntur. VOLCKMANN. Tab. I Fig. 3. Noſtrae glebae magnitudine quidem inter ſe diſcrepant, de reliquo tamen parum mutatae ſunt: (α) ex flauo bruna, (β) ſimilis minor, (γ) flaua, non nihil arenoſa, (δ) flaua, rufeſcens, maior. Omnes Strigonienſes verae eſſe videntur.

17. Con-

c) Muſ. Muſeor. Part. I Lib. I cap. 1 §. 2 pag. 2.

d) Sic CASPAR HOFFMANNVS in Paralipomenis Officinalibus cap. 45 pag. 28. Terram Veldenſem a ciue Herrſpruccenſi conquiri, mundari et in placentulas orbiculares cum ligno montium et inſcriptione terrae ſigillatae conformari, tradit.

e) Strigonium Paulum cum gladio et Petrum cum claue in inſignibus habere, tradit LVCAS *in der Schleſiſchen Chronick vom Fürſtenthum Schweidnitz* pag. 930, quae inde in ipſa glebarum ſigilla translata fuerunt.

f) Et in Muſ. Muſ. Tom. II ad Cap. 1 et in Hiſt. Simpl. Reformat. ad Cap. 1 ſimiles glebas deſignatas exhibuit, quas hic et in ſequentibus ſaepius citabimus, alias vero in Muſeo Muſeorum tantum expoſuit, ſigillarim indicandas.

17. Conuenit cum praecedente. Gleba eſt fuſca.
18. Praecedenti ſimilis, litteras tantum aliter ordinatas oſtendit. Glebae ſunt, (α) rutilans, bolaris, (β) ex fuſco obſcura, impurior, (γ) alia purior.
19. BESLERVS in Gazophylacio. VALENTINI Muſ. Muſ. Tom. I pag. 1.
20. In hac gleba, quae quoque Strigonienſis appellatur, duae claues decuſſatim in ſcuto poſitae reperiuntur, ex quo apparet, inſignia vrbis Lignicenſis cum Strigonienſibus in hac et ſequentibus glebis confundi[g]. RIVINVS Tab. XIV. 11.
21. VOLCKMANN. Tab. I. 9.
22. VOLCKMANN. Tab. I. 10.
23. VOLCKMANN. Tab. I. 5.
24. WORMIVS pag. 11[h].
25. VOLCKMANN. Tab. I. 8.
26. VOLCKMANN. Tab. I. 4. VALENTINI inter Sileſiacas 2.

In his omnibus, a 20 ad 26 enumeratis, terris, vario modo delineatae, ex VOLCKMANNO in primis deſumtae glebae exhibentur, licet ex illis ipſis conſtitui nequeat, vtrum ad veras Strigonienſes, an ad alias terras referendae ſint.

27. Gleba ex rubello bruna, quae aquilam duplicem, tribus collibus impoſitam, exhibet. VOLCKMANN. Tab. I. 12. Huius impreſſi ſigilli rationem modo nominatus auctor hanc eſſe putat[i], quod poſt obitum Duciſſae Agnes, filiae Leopoldi Glorioſi, Auſtriae Archiducis, Schwidnicenſis Ducatus cum Iauorino, ad Annam Henrici VII, Ducis Schwidnicenſis et Iauorini filiam et Caroli IV. Imperatoris Romanorum coniugem haereditatis iure peruenerit. KVNDMANNVS vero[k] haec longe ante terrae ſigillatae inuentionem contigiſſe, et ſigillum hoc tantum fictum fuiſſe, nec dominii in Ducatu Schwidnicenſi et Iauorino mutationem indicare, optime quidem monet, in primis cum ipſam glebam ex vera terra Strigonienſi formatam non eſſe cognoſcamus.
28. Similem, aquila duplici inſignitam glebam, exhibet, quae alba, bolaris, magis quam praecedens ſuppoſititia eſſe videtur, in plurimis quoque cum terris ſequentibus 30 ad 38. conuenit.
29. Haec gleba tres colles cum additis arboribus oſtendit, et licet inſcriptio Strigonienſem eam nominet, tamen, et (α) rubra et (β) alba, duplicem enim glebam habemus, a terra Strigonienſi vera longe diuerſa, et noſtro demum tempore ex Bolis Lignicenſibus praeparata eſſe videtur.

Ad

g) De inſignibus Lignicenſibus vid. VOLCKMANN. Sil. Subterr. pag. 279.

h) In Muſeo Lib. I Sect. I cap. 4 vbi et reliquae glebae, inpoſterum ſola pagina citata, indicandae erunt.

i) Loc. cit. pag. 278.

k) Rariora Naturae et Artis pag. 254.

Ad terras ſigillatas, quae Goldbergenſes dicuntur, accedimus. Hae aquilam, expanſis alis conſpicuam, et tribus monticulis inſidentem oſtendunt, quae non ducatus Goldbergenſis, ſed totius Sileſiae inſignia ſiſtit.

30. Alba et ex nobiliori terra Goldbergenſi, non ex Bolo, compacta eſt. In hac et paulo poſt 32. nominanda gleba, litterae B. T. illius forte, qui illis ſigillum impreſſit, nomen denotant. VOLCKMANN. Tab. II. 3.

31. Haec licet in inſcriptione alba dicatur, inſignem tamen colorum varietatem oſtendit, vt glebae promiſcue ex variis terris bolaribus et nobiliori quoque Marga effictae eſſe videantur. Glebae ſunt (α) alba, (β) pallida, praecedente denſior, (γ) rubra, (δ), lutea, tenera valde, (ε) fuſca, (ζ) obſcurior. VOLCKMANN. Tab. II. 4.

32. Aquilam alia ratione diſpoſitam et inſcriptionem circularem ſiſtit. Glebae ſunt (α) alba, (β) pallida et denſior, (γ) ex fuſco pallida, (δ) flauescens, (ε) rubra, (ζ) rubra pallidior. VOLCKMANN. Tab. II. 7.

33. Gleba rubra, bolaris eſt. VOLCKMANN. Tab. II. 5. VALENTINI inter Sileſiacas. 6.

34. Gleba fuſca eſt, ex terra Strigonienſi vel alia ſimili efformata.

35. Glebae ſunt variae: (α) alba, (β) pallida, (γ) rubra, (δ) rubra, pallidior, (ε) ex fuſco cinerea, (ζ) pallidior praecedente. VOLCKMANN. Tab. II. 6.

36. Cum praecedente conuenit, ſed colles extenſos magis et planiores paululum refert. Glebae ſunt (α) alba, (β) pallida.

37. Gleba ex Marga nobili Strigonienſi fuſca formata.

38. Huius terrae inſcriptio ſatis docet, quam imperiti ſaepius homines terras ſigillandas ſibi ſumſerint. Glebae ſunt: (α) alba, (β) rubra.

Terrae, quae aquila impreſſa inſignitae fuerunt, non tantum ad Goldbergenſes, ſed ad Lignicenſes quoque pertinent. Glebae 39. 40. 41. aquilam ſine lunula pectori impreſſa oſtendunt. 42. 43. 44. aquilam cum lunula ſiſtunt.

39. Glebae ſunt (α) rubra, minor, (β) alba, maior. VOLCKMANN. Tab. II. 11.

40. ALDROVANDVS [1] pag. 267. et VOLCKMANN. Tab. II. 12.

41. Gleba eſt rubra. VOLCKMANN. Tab. II. 9.

42. VOLCKMANN. Tab. II. 8.

43. VOLCKMANN. Tab. II. 13.

44. VOLCKMANN. Tab. II. 10. WORMIVS pag. 10. albam. pag. 14. luteam habet, ſed icones accurate conveniunt.

45. Gleba haec cum 32. quodam modo conuenit, litterae tamen I. B. euidenter expreſſae, illius forſitan nomen, qui glebam formauit, indicant, (α) alba, (β) rubra, bolaris.

46. RIVINVS. Tab. XII. 12.

TABVLA

1) In Muſ. Metall. Lib. II cap. 17 glebas varias in poſterum a nobis adducendas habet.

TABVLA II.

1. Glebae ſunt: (α) alba et craſſa (β) alba, tenuior.
2. Gleba haec fuſca, quae ex nobili terra Strigonienſi formata eſſe videtur, non tantum inſignia Strigonienſia, ſed litteram quoque S. inferius expreſſam oſtendit.
3. Gleba rubra eſt, cum ſequentibus ob inſignia ad Lignicenſes forte referenda.
4. Glebae ſunt: (α) admodum rubra, (β) rubra pallida (γ) pallidior praecedente.
5. Gleba fuſca eſt, Margae Strigonienſi ſimilis. VOLCKMANN. Tab. III. 5.
6. VOLCKMANN. Tab. I. 11.
7. VOLCKMANN. Tab. I. 7. WORMIVS pag. 13.
8. VOLCKMANN. Tab. I. 6. WORMIVS pag. 13.
9. VOLCKMANN. Tab. III. 10. WORMIVS pag. 13. ſed paululum mutatam expreſſit.
10. OLEARIVS [m]. Tab. XXX. 8.
11. Gleba alba eſt, quae temporis quidem ſucceſſu per frictionem obliterata eſſe videtur, ambitum tamen monticulorum ſine vmbris delineatum oſtendit.
12. Gleba haec comprobat, ſigilla Strigonienſia in exteris etiam terris imitata fuiſſe. Ex luteo rufeſcens enim eſt et ſubſtantia ſua ab omnibus quidem Sileſiacis terris differt, cum alia tamen Melitenſi, litteris arabicis inſignita, quam, vt hanc, ex Italia accepimus, quoad colorem et indolem, conuenit.
13. VOLCKMANN. Tab. II. 20.
14. VOLCKMANN. Tab. II. 21.
15. ALDROVANDVS 25. VOLCKMANN. Tab. III. 7. VALENTINI inter Sileſiacas. 3.
16. VOLCKMANN. Tab. III. 2.
17. Glebae ſunt: (α) fuſca, (β) pallida. VOLCKMANN. Tab. III. 1.
18. Glebae ſunt: (α) fuſca, (β) pallida. WORMIVS pag. 12.
19. Glebae ſunt: (α) alba, (β) pallida, (γ) fuſca, (δ) fuſca pallida, (ε) ex rubro pallida. Plurimae ex his, vt praecedentes, ex nobili Marga, vel optima terra bolari confectae eſſe videntur. VOLCKMANN. Tab. II. 18.
20. VOLCKMANN. Tab. II. 19.
21. Gleba eſt fuſca. VOLCKMANN. Tab. III. 3. vel ad eam ſaltim, quam ille deſcribit, proxime accedit.
22. Glebae ſunt: (α) fuſca, (β) pallida. VOLCKMANN. Tab. III. 4. 6.
23. VOLCKMANN. Tab. III. 9.

24. Gleba

m) ADAM OLEARII *Gottorffiſche Kunſt-Kammer. Schleſwich 1666.* 4.

24. Gleba eſt fuſca.
25. Gleba eſt ex fuſco rubra. VOLCKMANN. Tab. II. 15.
26. RIVINVS Tab. XIII. 3.
27. Glebae ſunt: (α) rubra, craſſa, (β) rubra, tenuis. VOLCKMANN. Tab. II. 4.
28. Glebae ſunt: (α) alba, (β) rubra. VOLCKMANN. Tab. II. 16. cuius delineatio, paucis tantum exceptis, ad noſtras glebas applicari poteſt.
29. Gleba eſt fuſca. VOLCKMANN. Tab. II. 17. paucis mutatis, ita vt, ſi ad VOLCKMANNI icones reſpicias, haec magis cum praecedente, et illa magis cum hac, quoad accedentes earum qualitates conueniat.
30. Gleba eſt fuſca.
31. Glebae ſunt: (α) fuſca, (β) praecedente pallidior. VOLCKMANN. Tab. II. 22. VALENTINI inter Sileſiacas. 5.
32. RIVINVS Tab. XIII. 14.
33. Haec gleba ad 23. proxime accedit, et non, niſi ob peculiarem quarundam linearum ductum, ab illa differt.
34. Gleba eſt fuſca.
35. Hanc quoque glebam ad 23. reduxiſſem, niſi RIVINVS easdem in tabulis ſuis diſtinxiſſet.
36. VOLCKMANN. Tab. III. 8.

Quae nunc ſequuntur terrae 37. 38. 39. quoad inſignia mutatae inueniuntur, bini namque gladii, decuſſatim poſiti, in iis conſpiciuntur, quod quidem num conſulto, an per errorem ita factum ſit, definire haud poſſumus, in primis cum ipſae glebae ad manus noſtras non peruenerint.

37. RIVINVS Tab. XIV. 18.
38. RIVINVS Tab. XIV. 19.
39. RIVINVS Tab. XIV. 17.

Ad terras Iauorinas nunc accedimus, quas quidem omnes nobiliores Margas eſſe deprehendimus, et eas illis iam temporibus ſigillatas fuiſſe credimus, in quibus falſae et ignobiliores terrae, Sigillis impreſſis, nondum nobiliores redditae fuerunt. Vtrum prope Iauorium erutae fuerint, vt VOLCKMANNVS[n] aſſerit, an vero ex aliis locis allatae ſub vrbis ſigillo, cubis ſcilicet rubris et albis, aleae inſtar diſpoſitis, venditae fuerunt, aliis diiudicandum relinquimus. A latere angelorum capita vel nubes vel vela ſuſpenſa obſeruantur, quae differentia ab imperfecta glebarum imitatione ortum traxiſſe videtur. Cur. no. 38. in quatuor prioribus glebis legatur, ne coniectura quidem aſſequi potuimus.

40. Glebae ſunt: (α) fuſca, (β) luteola, (γ) obſcura. VOLCKMANN. Tab. III. 20.
41. VOLCKMANN. Tab. III. 15.
42. VOLCKMANN. Tab. III. 16.
43. Glebae ſunt (α) fuſca, (β) rubella. VOLCKMANN. Tab. III. 18. BESLERVS in Gazophylacio, is tamen in vocabulo Lignicenſis, litteram primam. I in E mutavit.

44. Glebae

n) In Sileſ. Subterran. pag. 281.

44. Glebae ſunt: (α) obſcure fuſca, (β) liueſcens pallida. VOLCKMANN. Tab. III. 17.

45. Glebae ſunt: (α) obſcure griſea (β) pallidior praecedente. VOLCKMANN. Tab. III. 19.

46. Gleba eſt rubella. VOLCKMANN. Tab. III. 14. VALENTINI inter Bohemicas. I.

47. Glebam hanc depingit et varia, quae hiſtoriam eius concernunt, adducit KVNDMANNVS[o], eam ſcilicet Ienowicenſem eſſe, vt ſequentem et a L. B. de Oppersdorff, qui vt poſſeſſor fundi in montibus vicinis metalla quaeſiuerat, ſed horum loco terram, Strigonienſi ſimilem, inuenerat, ſigillatam fuiſſe oſtendit. Huius glebae mentionem non iniicit VOLCKMANNVS, licet in explicatione ſequentis glebae, quo modo tractus Ienowicenſis ad comitem de Noſtitz peruenerit, ſimul cum fatis primi poſſeſſoris recenſeat. In ipſo vero ſigillo oſtium cuniculi et varia metallifoſſorum ferramenta, et paullo ſuperius brachium, lorica indutum, cum gladio tanquam pars inſignium Oppersdorfianorum inuenitur, miror tamen, KVNDMANNVM neque colorem neque indolem terrae indicaſſe. Ad Bolum XIV. IV. vel Margam X. I. ita vt ſequentes, referri forte poterit.

48. Terra Ienowicenſis, ſiue Gehnwicenſis, inſignibus comitis de Noſtitz, ornata. VOLCKMANN. Tab. III. II.[p] Minime vero illa tantum nobilis Marga Ienowicenſis, ſed variae aliae terrae his inſignibus notatae fuerunt. Glebae enim noſtrae ſunt: (α) rubra, (β) alba, (γ) bruna, (δ) fuſca, (ε) pallidior praecedente.

49. Inſcriptio deficit, inſignia tamen comitis de Noſtitz in ea expreſſa ſunt. RIVINVS Tab. XV. 8.

TABVLA III.

1. Seichauienſis terra, inſignibus Domini de Falckenhayn exornata. VOLCKMANN. Tab. III. 31.[q] Licet nominatus auctor rubrae tantum et flauae mentionem faciat, noſtrae tamen glebae ſunt: (α) alba, (β) obſcure flaua, (γ) rubra.

2. Gleba haec, quae fuſci coloris eſt, vel obſcure flaua, ad terram nobilem Strigonienſem quam proxime accedit, hoc ſane prae ſe fert nomen, et vrbis inſignia, nec non annum 1652. expreſſa oſtendit, ab amico tamen, qui eam nobiſcum communicauit, eandem recentioribus demum temporibus impreſſam et vere Seichauienſem Margam II. v. eſſe accepimus.

3. Gleba eſt Petersdorfenſis ex dynaſtia Hainauienſi, quae ad ducatum Lignicenſem pertinet. Haec inſignia et nomen Fabiani de Reichenbach impreſſa

o) Rariora Naturae et Artis pag. 252. it. *in Breslauiſchen Sammlungen Verſuch* 20. pag. 603. Fig. 2.

p) Loc. cit. pag. 279.

q) Loc. cit. pag. 281.

impreſſa habet. VOLCKMANN. Tab. III. 12. Gleba noſtra pallide fuſca eſt, ex Marga nobiliori formata. Terram crudam non habemus, et ſigillatam tantum glebam deſcripſit VOLCKMANNVS[r]. Ad Argillam XIV. IV. *η*. quae Hainauienſis eſt, referri nequit.

4. Cum praecedente conuenit, illa tamen minor eſt, et cum annum 1589. expreſſum habeat, vna ex primis glebis videtur, quae poſt Strigonienſem impreſſae fuerunt.

5. Terra ex ducatu Iauorino, Brechelwicenſis dicta, ſigillo conventus Leobuſienſis notata. VOLCKMANN. Tab. III. 13.[s] Glebae noſtrae ſunt: (*α*) bruna, quodam modo rufeſcens (*β*) pallidior praecedente, quae ad Margam II. II. omnino referri poſſunt.

6. Gleba Prauſnicenſis, ſiue Bruſnicenſis, pallide lutea, quae inſignibus Domini de Rothkirch exornata conſpicitur. VOLCKMANN. Tab. I. 13.[t] Terra haec cum Bolo III. II. *γ*. non conuenit, eamque nec ſigillatam, neque crudam nanciſci potuimus.

7. Morochtus Maslenſis, ab inuentore *FOSSILE ARBORESCENS MASLENSE ET KLEINSCHWEINERENSE* dicitur, idque a locis vicinis, vbi terra haec inuenta fuit. VOLCKMANN. Tab. I. 15. VALENTINI Tab. I. Litterae initiales Leonhardi Dauid Hermanni, Maslenſis Sileſii Paſtoris inferiori in loco apponuntur. Gleba eſt alba, ex Morochto IV. I. formata. In noſtra gleba annus 1707. optime exprimitur, licet VALENTINI gleba eo deſtituatur.

8. Gleba alia, alba, minor, eodem ferme modo ſigillata, inſignibus tamen Domini de Kreckwitz condecorata, in qua annum indicantes numeri obliterati ferme inueniuntur. Inſcriptio *FOSSILE ARBORESCENS MASLENSE* tantum dicit.

9. *BOLVS MASLENSIS* ex fuſco liueſcens, Argillam quandam macram Ochra tinctam refert. Gleba inſignibus Domini de Kreckwitz ornata eſt. VOLCKMANN. Tab. I. 17. Terra cruda ſub Morochto XI. IX. a nobis deſcripta eſt.

10. Tres montes vrnis impoſitis inſigniti, locum indicant, vbi haec terra inuenta fuit, montem nimirum, a ſepulchralibus ibidem repertis vaſis cognominatum, *der Theppelberg*, qui Maslae vicinus eſt. *TERRA SIGILLATA MASLENSIS* appellatur. Glebae ſunt: (*α*) rubra, (*β*) carnea, (*γ*) cinerea, (*δ*) alba, omnes argillaceae. Argilla X. I. *β*. omnes has glebas exhibet, varius namque color in diuerſis partibus vnius eiusdemque terrae deprehenſus fuit. VOLCKMANN. Tab. I. 16.

11. Haec cum praecedente conuenit, ſigillum vero minus accurate expreſſum oſtendit. Gleba cinerea eſt cum 10. *γ*. conueniens.

12. Terra

r) Loc. cit. pag. 280.
s) Loc. cit. pag. 281.
t) Loc. cit. pag. 281.

12. Terra ſigillata Magniplufnicenſis, quam KVNDMANNVS deſcripſit [u], inſignibus Domini de Wehner, Senatoris Vratislauienſis notata. Gleba eſt rubra et inter crudas in Bolo XV. VII. α. iam deſcripta.
13. Terra Nobarſowenſis ex Sileſia ſuperiore allata, et in villa prope Roſenbergam ſiue montem roſarum eruta, a Senatore Olſnenſi Wahlio inuenta et ſigillata fuit, qui praeter inſcriptionem *TERRA SIGILLATA NOBARSOWENSIS* roſarum fruticem et nomen ſuum ipſi impreſſit. VOLCKMANN. Tab. I. 14. VALENTINI Tab. I. Glebae ſunt: (α) alba, (β) cinerea. In ſchedula ſcripta, in qua terram noſtram inuolutam inuenimus, illa Polonica dicitur, quam indicatam de loco natali differentiam, cum inueſtigare huc usque non potuerim, vtrum Nobarſowa ad Sileſiam, an rectius ad quandam Poloniae prouinciam pertineat, aliis iudicandum relinquo. Ob crudae vero terrae defectum, ea, quae de medica eius virtute aſſeruntur, hic inſerenda eſſe putaui. DAVID A GREBNER [x] itaque hac de terra ſequentem differit in modum: *Anno milleſimo ſeptingenteſimo terra ſigillata Nobarſowenſis apud nos communis fieri coepit, cuius partem vnam et alteram ab inuentore vel auctore Domino Godofredo Wahl, Senatore Olſnenſi, amico noſtro, oblatam in diarrhaea et fluxibus ventris proficuam fuiſſe experientia comprobavit.* Cui PHILIPPVS LIBER AB HVLDEN [y] aſſentitur, *natura*, inquiens, *tibi ad intima viſcerum penetralia propter indefeſſum ſtudium claues conceſſit, in gremio terrae Nobarſowenſis nouam terram perquirere, neque deſiderio tuo fruſtratas, ſpecialem ductum terrae medicae et in tentamine vel ſolutiuo, tum praeparato, ac Strigenſi ſumme praeualentem adinueniſti.*
14. Gleba eſt fuſca, ad Strigonienſes quodam modo accedens, ob inſignia tamen Lignicenſibus forſitan annumeranda.
15. Haec gleba a RIVINO inter Lemnias quidem relata fuit Tab. I. 13. ſed nulla alia eſt, quam Sileſiaca alba, quae copioſe a myropolis noſtris divenditur, ex omnibus, quae nunc vſu veniunt, noſtris temporibus maxime vulgaris et Goldbergenſi Bolo ſimillima. Glebae ſunt: (α) alba, (β) fuſca, quae Bolus potius eſt, quam nobilis Marga.
16. Terra haec ex Sileſia miſſa, frequentiſſime ibidem venditur. Glebae ſunt: (α) alba, (β) rubra. Haec cum Bohemicis Tab. IV. 21. 22. 23. inſignem habet conuenientiam.
17. Rubra eſt et cum praecedente fere conuenit.
18. Gleba rubra eſt. VALENTINI inter Sileſiacas. 4.
19. Priori ſimilis. Variae vero, quas poſſidemus, glebae diuerſum prae ſe ferunt colorem, ſunt enim (α) rubra, (β) luteola, (γ) pallide lutea, (δ) alba, (ε) fuſca, (ζ) fuſca, impurior.

20. Prae-

u) Rariora Naturae et Artis pag. 250. Tab. XIII. 1. it. *Breslauiſche Sammlungen Verſuch 20.* pag. 602.
x) Vid. Animaduerſiones. Hiſt. Morb. Vratislav. pag. 77.
y) In Epiſt. Gratulat. ad GREBNERVM data Neofori d. 6 Dec. 1700. vid. IOH. SINAPII Olſnographia. Part. II pag. 283. 284.

20. Praecedenti ſimilis, (α) fuſca, (β) luteola.

21. Terra bolaris, admodum rubra, ſecundum BAIERVM, ex cuius muſeo deſumta eſt, inter Sileſiacas ponenda. Expreſſae in gleba iconis explicationem nullibi inueni, nec ipſe eandem, vt fictam, exhibere volui.

TABVLA IV.

Inter terras Bohemicas primum occupat locum Brundiſiaca, quae, vt videtur, ſtatim poſt Sileſiacas Strigonienſes ſigillata fuit, et ad quam glebae forſitan quatuor priores huius tabulae pertinent. Primus eius mentionem fecit CROLLIVS[z] ita differens: *Auguſtiſſimus noſter Imperator Rudolphus II. Brunduſii in ſuo horto curauit effodi praeter Bolum, duas ſolis et lunae, vt Paracelſus vocat, axungias, quarum partem, a ſua maieſtate dono acceptam, in vſu medico, comprobata illarum bonitate, verae Lemniae congenerem ac efficaciſſimam, nec terrae Turcicae cedentem animaduerti.* IACOBVS deinde DOBRZENSKY, vir medendi arte clarus, in elogio IOH. MARCI MARCI[a], qui huius forſitan terrae inuentor erat, ſequentia et ſingularia prorſus de ea proponit:

Sola terra ſigillata grandia Marcus fecit miracula!
Cuius hic vno milliari etiam ad currus copia
Graſſante Pragae peſte
Huius vnius pauxillo venenum omne fugit et fugauit
Adeo a vita ipſa ſigillatam hanc terram diceres
Aegrorum vix immiſſa ori
Senſit vitae ſigillum mors
Nil aegrius ferens quam tam vili remedio exturbari.

Ita vero laudata haec terra ad eam Boli ſpeciem accedebat, cuius CROLLIVS quoque meminit, et ex quo ſigillatae, a nobis nunc commemorandae, glebae praeparatae eſſe videntur. Nobilioris tamen illius terrae, quas ſolis et lunae axungiam vocauit CROLLIVS, nos quidem in ſigillatis glebis nulla inuenimus exempla. Forſitan itaque intra Boli ſtrata paucas tantum, nobilioris cuiusdam terrae, glebas inuentas, vero eo Brundiſiaco ſigillo donatas fuiſſe ſuſpicamur. Terram hanc Brundiſiacam vel Brandeiſenſem prae reliquis Bohemicis HOFFMANNVS[b] et KOENIGIVS[c], vt laude dignam, commendant.

1. RIVINVS Tab. XVI. 13.

2. Gleba eſt ex rubro pallida, quae, cum vera Brundiſiaca eſſe videatur, eam ad Bolos magis, quam ad Margam referendam eſſe, docet.

3. Gleba

z) In Praefat. ad Tract. de Signaturis pag. 4. et ex eo BOHVS. BALBINVS Miſc. Hiſt. Reg. Bohemiae Lib. I cap. 49.

a) Liturgiae Mentis, ab ipſo conſcriptae, et editae Ratisbonae 1678. 4. praemiſſo.

b) In POTERII Pharmac. Spagyr. Lib. I cap. 4 pag. 524.

c) In Regn. Mineral. Sect. IV Part. III cap. 2 pag. 402.

3. Gleba rubra eſt et cum praecedente conuenire videtur, in primis cum aeque ac antea deſcripta terra, aquila duplici, vt inſignibus Imperatoris, exornata conſpiciatur.

4. Erlachiana gleba, hepatis colorem referens. WORMIVS [d] hanc delineatam dedit et praeter ea monuit, eam non adeo pinguem eſſe, ſed maſticatam linguam aſperitate aliqua arenacea mordicare, aqua tamen facile diſſolui. Bolum, qui iecinoris colorem prae ſe fert, ex Bohemiae fodinis adduci, CHIOCCVS [e] auctor eſt.

5. Iablonenſis terra, quae Gabellae, *zur Gabel*, iuſſu eſt auctoritate comitis Henrici Wolf Bercka ſigillata fuit, cuius etiam nominis primae litterae in glebis expreſſae inueniuntur. In Muſeo Speneriano haec rubra appellatur [f].

6. Gleba eſt coloris bruni ad praecedentem proxime accedens. In Muſeo Speneriano zigulata legitur, nos vero iconem ex Riuianis Tabulis XVI. 2. deſumſimus, ex ipſâ quidem gleba an S vel Z legi debeat, cum ea detrita quodam modo ſit, definire non poſſumus, A vero, quod in V mutatur, accurate ſatis expreſſum obſeruauimus. Additae vero ſunt, vt in ſequentibus plurimis litterae K B, et licet ſchedulae germanicae, in qua huius terrae virtutes recenſentur, adſcriptum ſit: *Zu Vhrkund und mehrerer Sicherheit willen wird ſolche neu erfundene Bœhmiſche* Terra ſigillata *mit unſerer gnædigen Obrigkeit, als dem hoch und wohlgebohrnen GG. H. Heinrich Wolf Bercka Siegel bekrafftiget und nunmehr zu der Gabel zugerichtet, durch Barthel Bleyleben*, tamen non niſi no. 8. et 11. K in R nunquam vero in B mutatum conſpeximus.

7. Glebae ſunt: (α) bruna, (β) flaueſcens, (γ) alba.

8. Gleba eſt bruna, cum praecedente in plurimis conueniens.

9. Glebae ſunt: (α) rubra, (β) alba, (γ) fuſca, (δ) rutilans, (ε) cinerea. Exhibuimus quidem in Marga X. VIII. cinerearn quandam et ad ſigillum ſuſcipiendum facile praeparandam terram nobiliorem Iablonenſem, ſed in declaratis huc usque et ſequentibus his glebis, quae ob expreſſas in ſigillis imagines maxime inter ſe conueniunt, praeter hanc cinerearn et no. 11. γ. nullam inuenimus, quae ad indicatam natiuam terram referri poſſit. Licet enim earum nonnullae nobiliores Margae faciem referant, aliae tamen bolares ſunt, et colore rubro, fuſco, bruno, luteolo et albo inſigniter variant, ita, vt diuerſas terras vno ſaepius et eodem ſigillo notatas fuiſſe ex his quoque exemplis cognoſcamus.

10. Glebae ſunt: (α) rubra, pallida, (β) flaueſcens.

11. Glebae ſunt: (α) rubra, (β) alba, (γ) cinerea.

12. Glebae ſunt: (α) bruna, (β) rubra, (γ) carnea, quae in violaceum vergit colorem, (δ) alba rutilans, (ε) alba.

13. Gleba

d) In Muſ. pag. 12.
e) In Muſ. Calceolar. Sect. II pag. 111.
f) pag. 78.

13. Gleba eſt rubra.

14. Haec praecedentibus admodum ſimilis eſt, et licet Strigonienſis in impreſſo glebae ſigillo nominetur, tamen cum gleba ex rubro pallida inueniatur, eam tantum ad imitationem Strigonienſis factam fuiſſe ſuſpicamur.

15. RIVINVS Tab. XX. 17. ob litteras inſcriptas praecedentibus annumerari debuit.

16. Haec ſimili de cauſſa, licet a praecedentibus quodam modo differat, huc relata fuit. Glebae ſunt: (α) rutilans, (β) praecedente pallidior, (γ) cinerea in violaceum vergens colorem, (δ) alba. Ex his cinerea ad Iablonenſem quoque, ſupra citatam, terram accedit.

17. Haec terra, cum in officinis pharmaceuticis rubrae glebae, quae eius ſunt varietates, ſub nomine terrae ſigillatae rubrae Sileſiacae vendantur, ad Sileſiacas referri potuiſſet, impreſſum tamen ſigillum eam Bohemicam veram eſſe ſuadet, quae in ditione Kulmenſi Iohannis Franciſci Krakowsky, Comitis de Kolowrath eruatur. Glebae ſunt: (α) rubra, (β) alba, (γ) cinerea. Et haec cinerea gleba, cum terris cinereis, in violaceum colorem vergentibus, magis, quam cum aliis Sileſiacis conuenit. RIVINVS Tab. XX. 16. hanc terram Kulkenſem dicit, ſed quaedam ex noſtris glebis adeo accurate expreſſae ſunt, vt litteram M. euidenter oſtendant.

18. Gleba eſt rubra. Cum ex impreſſis ei figuris nihil certi de natali terrae loco elici queat, RIVINVM ſumus ſequuti, qui eandem in Tab. XVI. 14. inter Bohemicas retulit.

19. Gleba eſt fuſca, eodem, vt praecedens, iure ad Bohemicas relata terras.

20. Glebae ſunt: (α) rubra, (β) alba, quae an Bohemicis annumeranda ſit, dubito, certum tamen et competentem illi locum aſſignare non potui.

21. Glebae ſunt: (α) flaua, (β) rubra, (γ) alba.

22. Gleba eſt pallide rubra. Haec et praecedens terra, a RIVINO ad Bohemicas relatae, quinque oſtendunt monticulos cum arbuſculis, quae in illis creſcunt, et cum Tab. III. 16. 17, quae etiam ratione loci natalis dubiae erant, quoad plurima conueniunt momenta.

23. Gleba eſt rubra, quae ad praecedentes accedit et inter bolares, noſtris temporibus ſignatas, terras referenda eſt.

24. Gleba haec cum ſequentibus 25. 26. 27. eam tantum ob rationem ad Bohemicas relatae fuerunt, quoniam RIVINVS easdem in tabula, quae terras ex Bohemia deſumtas oſtendit, propoſuit. Gleba noſtra fuſca eſt.

25. Gleba praecedenti admodum ſimilis (α) rutilans, (β) flaueſcens.

26. Gleba eſt fuſca.

27. Glebae

27. Glebae ſunt: (α) rubra, (β) fuſca.

28. 29. 30. Glebae hae albae ſunt et ex tenera terra bolari formatae. Initiales igitur, quae in ipſis inueniuntur, litterae terram Bohemicam indicare videntur. Gleba 28 alba eſt, Muſ. Spener. 13. pag. 62. Gleba 29. quoque alba, Muſ. Spener. 14. pag. 62. Glebam 30. a nemine indicatam, ſed a RIVINO tantum in Tab. XVI. 18. vna cum reliquis delineatam fuiſſe deprehendimus.

31. Gleba magna, cubica, rubra Boli indolem prodit, licet lota et praeparata ad Margam nobilem quodam modo accedere videatur, cum parum ſiticuloſa ſit. In vno cubi latere et media quidem eius parte littera B expreſſa eſt, quae vel Bolum vel Bohemicam terram indicare videtur, in quatuor vero ſuperficiei angulis triangula, ad ſe inuicem redevntia, conſpiciuntur.

Reliquae, quae nunc ſequuntur, terrae ſunt Saxonicae, quarum tamen numerus admodum eſt exiguus. Licet enim terrae, praecedentibus ſimiles et nobiliores quoque, medica virtute haudquaquam deſtitutae, glebae, quae Sileſiacas praeter ea et Bohemicas, nunc effoſſas et praeparatas, praeſtantia multum ſuperant, apud nos inueniantur, nemo tamen ſigillo illas diſtinguit, cum ex Sileſia aeque ac Bohemia, pharmaceuticae noſtrae officinae magnam ſigillatarum terrarum copiam acquirant, quae eo lubentius aſſumuntur, quod omnes inde prouenientes terrae, quamuis non ſemper nobiliores ſint, viliori tamen pretio vendantur. Neceſſitas vero non cogit, vt de ſigillandis terris Saxonicis adeo ſolliciti ſint medici, cum, vt de Rochlicenſi aliisque ſimilibus ſupra iam monuimus, crudas medicis vſibus longe aptiores eſſe, experientia nos doceat.

32. Gleba alba, magna, cubica, conſuetis metallifoſſorum inſignibus, malleo nimirum et ferro cuſpidato, inſignita, ex praefectura metallica Altenbergenſi deſumta. Haec ſigillata terra nobilem quandam Margam prodit, et, licet annus non ſit expreſſus, ex ipſa tamen gleba cognovimus, eandem noſtris temporibus ſigillatam non fuiſſe, quo ſpatii rationem haberemus, non omnem cubi ambitum, ſed impreſſum tantum ſigillum delineare curauimus.

33. Haec a RIVINO Tab. XVIII. 3. inter Saxonicas terras relata fuit; cum ipſam glebam non acceperimus, imperfectam et infirmis tantum argumentis comprobatam iconis deſcriptionem exhibere noluimus.

34. Terrae Gieshübelenſes in gleba hac ſiſtuntur, de quibus, vt crudis, Smectis VI. I. Marga II. XVI. IV. V. Lithomarga V. IV. et aliae videri poſſunt. Forte et Marga II. VIII. ad eas referenda erit. Illae vero, licet dicto loco non eruantur, ibidem tamen praeparantur et ſigillo impreſſo notantur. Gleba (α) rubra et (β) cinerea Zittavienſes ſunt, (γ) flaua

vero, vel ex flauo fuſca, nec non (δ) nigricans Bornenſes vocantur, et ad lapidem vnum, ab officina vitraria Glashuttenſi effodiuntur. Additae ſunt aliae cubicae glebae, quarum medio eadem ſigilla impreſſa ſunt. Ad Argillas venarum primo intuitu et ex natali, nobis indicato, loco eas referendas eſſe putaui, ſed puritas et Bornenſis Margae II. XVI. ſupra deſcriptae natura, in ſtratis, non vero in venis has terras inueniri demonſtrant. Diuerſa, in quibus hae terrae inueniuntur, loca, nomina quidem quodam modo, multiplicarunt, accurata tamen, quoad ſigillum, in omnibus obſeruatur conuenientia.

35. Hanc terram VOLCKMANNVS [g] Tab. III. 22. delineauit, eamque Sileſiacam Sielberbergenſem appellauit. In icone ipſa ad vocem *SIELBER* litteram B addidit, quam tamen in gleba noſtra non inuenimus, paululum vero a prioribus remota littera N a VOLCKMANNO expreſſa, in noſtra gleba H eſſe videtur. Hanc terram, cum RIVINVS Tab. XVIII. 5. Saxonicis annumerauerit terris, eam ex fodina, *Sielber Hoffnung* nominata, de qua nunc dicendi erit occaſio, erutam eſſe opinamur. Glebae ſunt: (α) rutilans, (β) cinerea, (γ) alba.

36. De hac et praecedente RIVINVS in ſuis, de terris collectis, ſchedis ſequentia memorat. *Prope Schneebergam pagus eſt Graul, vbi terra et alba et rubra effoditur, ſigillatur autem in vicino oppido Beyerfeld. Fodinam, vnde eruitur, appellant Sielber Hoffnung, ideoque alba ſignatur anchora, quae ſpei ſymbolum eſt, et lunae ſigno; rubra vero ſignatur duobus malleis;* quod vltimum, licet ipſam rubram glebam non habeamus, de praecedenti forte intelligendum erit. Loca vero, ex quibus hae terrae deſumtae ſunt, non accurate ſatis a RIVINO indicata fuiſſe, ex amicorum litteris cognouimus. Illae namque referunt, prope Schwartzenbergam binas vitrioli et ſulphuris eſſe officinas, quarum vna prope Beyerfeldam, pagum a Schwartzenberga parum diſtantem, inveniatur, a fodina forte, quae olim ibidem fuit, cuius tamen nulla nunc ſuperſunt veſtigia, *Sielber Hoffnung* appellata; altera vero ad lapidem circiter vnum a Schwartzenberga et Beyerfelda diſtat. Tractus ille, vbi deprehenditur *der Graul oder Geraul* nominatur, aedificia ſcilicet, ad officinam vitriolicam ſpectantia, ſimul cum fodina, *der Stamm Aſar* dicta, quae omnia, a nobis deſcripta, loca praefecturae metallicae Annabergicae ſubiacent. Quod ſi igitur terrae, vt noſtrae nobis perſuadere videntur, iam olim ſigillatae fuerunt, locus earum natalis quodam modo erit incertus. Albae recentiores forſitan ex fodina, tribus Aſar dicta, eruuntur, rubrae vero ex terra rubra, quae in coctione vitrioli praecipitatur, artis ope efformatae eſſe videntur. Glebae, ad hanc vltimam iconem ſpectantes, ſunt: (α) alba, (β) liueſcens.

TABVLA

g) Sileſ. Subterran. pag. 282.

TABVLA V.

Haec tabula poſt nonnullas ex Franconicis terris, Italicas potiſſimum ſigillatas glebas ſiſtit, inter quas Norica primo loco nominanda venit.

1. Gleba haec fuſca eſt, ex Marga nobili facta, quam BAIERVS [h] delineatam et deſcriptam exhibuit, illam tamen, quam ciuis Herrſprucenſis, Strigonienſem terram vt imitaretur, ſigno trium montium notauit, inuenire non potuit, quae forte, ſi coniecturae locus relictus eſt, in noſtris iconibus ad Sileſiacas veras, ob ſigilli ſimilitudinem, relata inuenitur. Et parum certe refert, quem locum haec terra teneat, ſi enim, vti videtur, ex Veldenſi Marga II. IX. efformata fuit, quoad praeſtantiam cum vera Strigonienſi conuenit [i].
2. Gleba alba, bolaris, Franconica, noſtris demum temporibus, ab hominibus minus peritis, cum *TERRA SIGVLATA* inſcribatur, praeparata. Locus, vbi eruatur, omni quoque adhibita opera detegi non potuit, nec inter Bolos III. terra Franconica continetur, licet haec et ſequens gleba ex ſimili illis bolari terra effictae eſſe videantur.
3. Haec cum praecedente valdopere conuenit, et eam tantum ob rationem a nobis adducta fuit, vt paſſim quoque in Germania terras, characteribus, Arabicis ſimilibus, inſigniri appareat.
4. Gleba ex albo rubella, bolaris, ex comitatu Tyrolenſi prope Tridentum, in Dynaſtia Perchinenſi apportata.
5. Gleba haec ex Marga nobili Laubacenſi confecta, inſignia Comitum de Solms oſtendit, et rubella quodam modo apparet [k]. Anno 1643. eam impreſſam fuiſſe, gleba ipſa docet, LIEBKNECHT [l] tamen hanc terram iam anno 1635. venditam fuiſſe aſſerit, licet ipſe in gleba delineata [m] annum 43. exprimat.
6. Gleba ſimilis, ſed maior paulo, coloris pallidi, ex nobili quoque Marga praeparata, et anno 1645. impreſſa.
7. Gleba coloris carnei, ſubcinerea. Muſ. Spener. pag. 72.
8. Gleba fuſca, ex Marga nobili facta.
9. Gleba ſimilis. Haec et antecedens gleba, poſtquam Carolus Otto, Comes de Solms derelictas hactenus terrae Laubacenſis fodinas reſtaurare iuſſerat [n], ſigillatae fuerunt.
10. Gleba pallida, ex nobili Marga efformata, in cuius ambitu expreſſa ſunt verba, *CVNR. COM. IN SOLMS DN. IN MVNTZB.* Haec itaque terra

h) In Oryctographia Norica pag. 16 Tab. I Fig. 1. Conf. quoque BESLERI Gazophylacium, et VALENTINI Muſ. Muſ. Tom. I pag. 1. vbi tamen variae litterarum mendae occurrunt.

i) Vid. CASP. HOFFMANNVS in Paralipom. Officinal. cap. XXV. et FRID. HOFFMANNVS in POTERII Op. Pract. Chym. pag. 525.

k) Muſ. Spener. pag. 73. cinereae et carneae glebae meminit.

l) In Diſcurſu de Diluuio Maximo cet. c. II §. 8 p. 96.

m) Loc. cit. Tab. I Fig. 1.

n) Vid. LIEBKNECHT loc. cit. §. 9 pag. 99 qui etiam prioris iconem dedit Tab. I Fig. 2. et 10. GOTTFRIED. GEILFVSIVS de Terra Sigillata Laubacenſi Lib. cit. pag. 366.

terra prima forte poſt Sileſiacas in Solmenſi comitatu ſigillata fuit. Conradus enim, cuius nomen in ſigillo obſeruamus, anno ſeculi decimi ſexti quadrageſimo natus, eiusdem nonageſimo ſecundo anno diem obiit ſupremum [o].

11. RIVINVS Tab. XVII. 13. Litterae L. S. vel in aliis glebis S. L. poſitae Laubach Solms vel Solms Laubach indicare videntur, id, quod inde eo magis confirmatur, cum inſignia ipſa leonem oſtendant, quem in reliquis hactenus enumeratis glebis obſeruare licet.

12. Gleba eſt rubra, bolaris, quae ad praecedentium praeſtantiam vix accedit. RIVINVS tamen Tab. XVII. 8. ad Laubacenſes eam exinde forte retulit, quoniam inſignia roſae figuram, et ſcuto ipſo et galeae coronatae impoſitam, oſtendunt, quae ſcilicet in Solmenſibus inſimul deprehenditur inſignibus.

13. Gleba hepatis colorem referens. Impreſſum huic glebae annum, quem in icone RIVINI Tab. XVII. 2. 3. diſtinguere nullo modo potuimus, ſeculi decimi ſeptimi quadrageſimum ſecundum eſſe Muſ. Spener. pag. 73. nos docet, delineatum in ea caput imaginem ſeruatoris exprimere tradit.

14. Hanc glebam RIVINVS Tab. XVII. 10. ad Laubacenſes retulit.

15. Gleba cinerea eſt. Muſ. Spener. pag. 74.

16. Gleba oblonga, maior, cui loco ſigilli impreſſi ſunt characteres. *B. SIG. TERRAE LEMNIAE CONG,* inferiori autem parti, ſiue latiori eius baſi paruum, lilium gallicum quodam modo referens, ſignum impoſitum conſpicitur. WORMIVS pag. 14. qui hanc glebam depingit, ex tractu Blaeſenſi eam depromtam, quoad indolem pinguem, adſtringentem et in liquore facile ſolubilem eſſe aſſerit: quo vero magis adhuc de loco natali, colore, et aliis huius terrae qualitatibus conſtet, alii quoque audiendi ſunt auctores. ALDROVANDVS [p] ſequentem in modum de ea differit: *Terra ſigillanda et ſigillata in Bloſio, Galliae oppido, etiam effoditur, quae praerogatiuas verae Lemniae poſſidet: quemadmodum Georgius Braun in theatro vrbium diuulgauit. Haec terra, cum in agro Bloſienſis oppidi eruta fuerit, et inuenta ab erudito viro, rerumque naturalium diligenti inquiſitore Franciſco Guerino, non immerito a loco natali Bloſiaca et ab inuentore Guerinenſis appellabitur.* STROBELBERGERVS [q] deinde Bleſenſem ante aliquot annos ad vrbem Bloſum (Blois) inuentam terram loco terrae Armeniae adhiberi, et a Richerio de Belleval in peculiari quodam tractatu deſcriptam eſſe, monet, et alio in loco [r] rubicundum ipſi colorem tribuit. Bleſenſem etiam Bolum optimum eſſe

POMET

o) Vid. A. O. BILGEN Genealogia *oder Stammbaum der Grafen von Solms. Franckf. am Mayn. 1622.* 4. pag. 34. it. C. H. ZEIBICHII *Genealogiſche Tabellen des Reichsgræflichen Hauſes zu Solms. Wittenberg 1709.* Tab. III pag. 8 no. 61.

p) Muſ. Metallic. Lib. II pag. 276.

q) In Deſcript. Galliae Polit. Med. pag. 259.

r) Lib. cit. pag. 29.

POMET [s] oſtendit, et SAVARY [t] Lemniae terrae ſimilem eam cenſet. Terram ſimilem ſigillatam albam deſcribit OLIGER. IACOBAEVS [u].

17. Gleba ſimilis, rotunda. RIVINVS Tab. XX. 14.

18. Gleba ſimili inſcriptione donata. WORMIVS pag. 14. Quodſi tres commemoratae hae glebae ex Galliae Bleſenſi tractu non ſint depromtae, licet WORMIVS ex amici teſtimonio id confirmet, ſequentibus forte, quas nunc recenſebimus, terris annumerandae erunt. Illae enim in magni Ducis Hetruriae ditione, in Ilua potiſſimum et Lilio, maris Tyrrheni inſulis, inueniendae et a nobis ſub Bolo I. III. VIII. I. IX. II. XIV. V. iam tanquam crudae conſideratae glebae, eadem, vt hae, ratione lilium in ipſis expreſſum oſtendunt, quod ſignum Ludouicum XI. Galliae Regem, Hetruriae Ducibus dono quaſi dediſſe legimus [x].

19. Gleba in vtraque facie ſigillata, tenuis, luteola. Haec ex vna parte ſcutum cum liliis, ex altera vero magni Ducis Hetruriae inſignia ſiſtit.

20. Gleba quoque eſt tenuis luteola, praecedente pallidior, quae vtrinque ſignata, in vna parte inſignia Ducis Hetruriae, in altera contra ſtellatam quandam figuram, cum inſcriptione *FONDERIA DI SAS* oſtendit. Muſ. Spener. pag. 64. 35.

21. VALENTINI ex Florentinis 2. Forte gleba 32. ad hanc pertinet.

22. Gleba alba, bolaris, admodum arenoſa. Cum in Lilio inſula talis non reperiatur terra, et reliquae Florentinae omnes puriores ſint, eam ſuppoſititiis annumerandam eſſe putamus.

23. Gleba rubra, obſcura, pinguis, forte ex Lilio inſula deſumta, non publicum tamen, ſed priuati cuiusdam ſigillum exhibere videtur. Tria namque inferius collocata lilia, tres frondes galeae coronatae impoſitae, et, prout in vicinis F. M. ſic in hac F. S. adſcriptae litterae eam ab aliis deſcrepare faciunt.

24. Gleba ex luteo pallida, vtrinque ſigillata, quae cum 20 apprime convenit, et id tantum diſcriminis exhibet, quod radians ſtella, in ipſis radiorum apicibus, liliis exornata quaſi inueniatur.

25. Gleba alba, bolaris, in qua inſignia magni Ducis Hetruriae, ſcutum nempe, impoſita corona ornatum deprehenditur. VALENTINI inter Florentinas. 3.

26. Gleba praecedenti ſimilis, inſcriptionem tamen minus accuratam exhibens, (α) alba, (β) cinerea, ambae bolares.

27. Gleba rubella, bolaris, cum praecedente conueniens.

28. Gleba rubra, quae ad praecedentem accedit. VALENTINI inter Florentinas. 4.

29. Gleba

s) Diction. des Drogues Part. III Lib. V cap. 3 pag. 113. et LEMERY Diction. des Drogues. pag. 84.

t) Diction. de Commerce To. II pag. 1751.

u) In Muſ. Reg. Dan. Sect. VII pag. 39.

x) VVLSON DE LA COLOMBIERE Science Heroique cap. 9 pag. 66.

29. Gleba vnicornu impreſſum exinde forte oſtendens, quoniam hoc ſigno exornata terra vnicornu foſſile appellata fuerit, id, quod in aliis glebis, vt in prima huius tabulae figura, legitur. VALENTINI inter Florentinas. 5.
30. Gleba, quae a variis hactenus enarratis terris diuerſa vix eſſe videtur, et forte cum praecedente vtrinque ſigillatam conſtituit. VALENTINI inter Florentinas. 6
31. Gleba praecedentibus ſimilis, iis tamen maior. ALDROVANDVS. 22.
32. Gleba ſimilis. VALENTINI inter Florentinas. 1.
33. Haec gleba globulos octo nono circumpoſitos oſtendit. ALDROVANDVS. 21.
34. Gleba, quae roſae hexapetalae imaginem ſiſtit. RIVINVS Tab. X. 19.
35. Gleba globulos ſex, ſeptimum medium ambientes, exhibens, ad imitationem forte inſignium magni Ducis Hetruriae, de quibus in praecedentibus egimus, ita inſignita. ALDROVANDVS. 23.
36. Gleba 33. ſimilis, admodum irregularis.

Declaratis hactenus terris ſigillatas quasdam ſubiungere placuit terras, quae, ſi Florentinae non ſunt, ad Italicas tamen referri merentur.

37. Gleba, amoeno perſicorum flore conſpicua, quae vtrinque ſigillata ſanctorum imagines, minoribus roſis, in ambitu eleganter diſpoſitis, exornatas ſiſtit, et ope laccae, ſi dictae, Florentinae tincta eſſe videtur.
38. Gleba colore ex albo, griſeo et bruno mixto praedita.
39. Gleba eſt rubella, pinguis, in vtraque facie ſigillata, in altera litteras F. L. coronatas et inſignibus ordinis velleris aurei cinctas, in altera vero matrem Dei cum infante Ieſu depictam oſtendit. RIVINVS in Tab. XXIV. 4. litteras E. L, ſed minus recte expreſſit, gleba enim accuratius conſiderata punctum triangulare ad F. poſitum eſſe indicat, quod lineae inferioris continuationem imitari videtur.
40. Gleba ex fuſco flaueſcens, vel rutilans, pinguis, vtrinque ſigillata.
41. Gleba ouata, fuſca, in rubicundum non nihil vergens colorem, cum ſole et ceruo, aquam ex ſcaturigine bibente, ad dictum illud pſalmiſtae, in margine expreſſum, declarandum, exornatas.

TABVLA VI.

In hac tabula Nuceranae potiſſimum, quas ſuperius Cap. III. in Morochto IV. iv. deſcripſi, terrae proponuntur. Hae licet in Regio Muſeo non inueniantur, a RIVINO tamen ad noſtras iam ſigillatas terras ex Linckiano muſeo reductae fuerunt. Num vero omnes nunc expreſſae glebae, propriis inſignitae fuerint ſigillis, vt tertia et quarta, maxime quidem

quidem dubito, glebarum enim icones et magis adhuc, diligenter a me perluſtratae glebae, irregulares tantum, et cultri ope in ſigillatarum glebarum formam redactae, diffracti cuiusdam ſigni partes eſſe videntur. Similes inde euadunt illis rebus, quae ex gypſo formatae ſtyli ope effinguntur, minime vero ad certam quandam normam exprimuntur, licet adſcripta haec terris noſtris ſimilitudo, cum non gypſum, ſed ipſam Nuceranam vel eidem ſimillimam terram, deſcribendarum a nobis glebarum materiem conſtituere cognoſcamus, quoad externas tantum qualitates valeat. Recenſebo interim glebas eo ordine, quo commode in tabula collocari potuerunt, non enim, quod omnes inter ſe indole ſua conueniunt, vt diſponerentur ſtudioſius, operae fuit pretium.

1. Gleba, quae aquilam impreſſam oſtendit, cuius quidem imago accuratius formata fuiſſe videtur, notatae tamen circa oculos lineae per attritum forte, vel temporis iniuriam deletae quodam modo in ea deſiderantur.
2. Gleba, quae lilii gallici expanſi partem exp: eſſam exhibet.
3. Gleba praecedenti ſimilis, ſed minor et in formam verae glebae redacta.
4. Gleba, ſtella inſignita. Haec quidem, vt omnes Nuceranae terrae, ad Melitenſes quam proxime accedit, in muſeo tamen Linckiano ſimul cum praecedentibus inter terras Nuceranas repoſita deprehenditur.
5. Gleba longa, depreſſa, inaequalis, caput piſcis cum ventris ſquamati parte quadam repraeſentans, quae antea quam mutilaretur, integram forſitan piſcis figuram exhibuit.
6. 7. 8. 9. Varias irregulares, ex icone facile diſtinguendas, figuras oſtendunt, quas tamen omnes, cum non integrae amplius ſint, ſed ex parte tantum exhiberi queant, absque explicatione dimittimus.

Licet Melita, vel Maltha, Africae vicina, et inde ad eam quoque relata inſula, longius paulo a Nuceria vrbe remota eſſe videatur, Melitenſes tamen terras, cum dicta haec inſula medium quaſi Africam inter atque Italiam occupet locum, et ipſae potiſſimum ab ea cognominatae glebae, cum Nuceranis inſignem habeant conuenientiam, hactenus enumeratis terris ſubnectere et in hac aeque ac ſequenti tabula proponere placuit. Illud tamen in limine ſtatim monendum eſſe duximus, non omnes terras Melitaeas delineatas hic loci exhiberi, ſed reliquis tantum praeſtantiores ex inſigni earum, quas RIVINVS iam olim delineari curauit, aeque ac illarum, quae huic deinde collectioni acceſſerunt, numero ſelectas, in tabulis noſtris collocatas reperiri.

10. In hac gleba caput coronatum et poſita in inferiori parte ſerpente cinctum conſpicitur, quod vtrum Seruatoris, an S. Pauli, vel Iohannis imaginem exprimat, aliis diiudicandum relinquimus. In ambitu huius glebae poſita inſcriptio ſequens eſt: *VERA TERRA DELLA GROTTA*

GROTTA DI S. PAOLO. RIVINVS Tab. V. 5. pro verbo Terra Filira legit, VALENTINI vero inter Melitenſes 4. Eilira et Muſeum Spenerianum pag. 60. 7. Pilira habent. Quam quidem variam glebae denominationem, cum Melitenſes terrae molliores ſint aliis, ita, vt impreſſa ipſis ſigilla deteri facile poſſint, iis condonandum eſſe putamus, nos terram diximus, quoniam ex vocabulorum nexu Tierra ſaltim intelligenda fuiſſet. Illa, quam exhibemus, gleba in vtraque facie ſigillata eſt et ex altera parte ordinis Melitenſis inſignia, quibus laurus circumdata et corona ſuperimpoſita eſt, cum inſcriptione *INITIVM SAPIENTIAE EST TIMOR DOMINI,* oſtendit. Pictam in magnitudine naturali glebam ex vera Melitenſi terra formatam eſſe deprehendimus.

11. Haec gleba caput ſimile, octangulari, quae Melitenſi ordini propria eſt, cruci affixum et florum corona cinctum cum inſcriptione, *PROPTER VERITATEM ET IVSTITIAM,* ſiſtit, quoad materiem cum praecedenti conuenit et inſignia Melitenſia in auerſa quoque parte expreſſa habet, quae tamen, cum in antecedenti iam gleba exarata ſint, vt aliis adhuc figuris locus in tabula relinqueretur, denuo apponenda non eſſe iudicauimus. Nec operae pretium eſſe arbitramur, vt, quemnam apoſtolorum, vtrum Paulum, an Iohannem impreſſa haec Melitenſibus terris capita ſignificent, cum vterque eorum a Melitenſibus ſingulari afficiatur honore, longius protracta diſquiſitione indagemus. Licet enim Paulus ſerpentis morſum in hac inſula absque omni noxa expertus fuerit, et cauerna, ex qua terra eruitur, eidem conſecrata et cognominata ab eo inueniatur, additum tamen lemma, ob veritatem et iuſtitiam ad Iohannem quoque eos, qui glebas efformarunt, reſpexiſſe nos edocet.

12. Sancti Iohannis imago, cum agno a latere poſito, baculo, cui ſerpens circumuolutus eſt, et inſcriptione, *INTER NATOS MVLIERVM NON SVRREXIT MAIOR IOANNE BAPTISTA.* Haec gleba, in naturali magnitudine depicta, ex vera terra Melitenſi non formata, ſed argillacea magis eſt, et ex albo in cinereum vergit colorem. VALENTINI inter Melitenſes 3.

13.14.15. Icones ſancti Pauli vna cum baculis, quibus ſerpentes circumuoluuntur ex vna parte, ex altera vero crux Melitenſis octangularis expreſſa inueniuntur. Leuiores, quae in iconibus hiſce occurrunt, delineationis differentiae ex ipſis figuris facile cognoſci poterunt, nec vberiore inde deſcriptione indigent, omnes vero naturalem in tabula magnitudinem retinuerunt, et ex vera terra Melitenſi vel eidem ſimillima efformatae eſſe videntur. WORMIVS pag. 7. his fere ſimilem habet.

TABVLA

TABVLA VII.

1. Caput ſancti Pauli cum gladio, oblique ei ſuppoſito, huic ſerpentis, lacertae, ſcorpii, aſpidis, araneae circumpoſitae ſunt figurae, quae Melitenſem terram animalium venenis reſiſtere indicant. Gleba ex vera terra Melitenſi efformata et magnitudine eam ſuperat, quam nos in hac tabula propoſuimus.
2. Sancti Pauli imago, librum et clauem manibus gerentis. Ipſa gleba, vt praecedens, paulo maior eſt, ex terra genuina Melitenſi confecta.
3. Haec gleba quoad magnitudinem et indolem terrae cum praecedente conuenit et iconem ſancti Iacobi cum libro et haſta fiſtit, eius vero figura oblonga, octangularis, iisdem ornamentis cincta deprehenditur.
4. Sancti cuiusdam, forte Franciſci, Chriſtum cruci affixum pie adſpicientis, imago. Gleba naturali magnitudine delineata, ex vera quidem Melitenſi terra praeparata eſſe, gypſum tamen admixtum inſimul habere videtur, quo mediante conſiſtentiam firmiorem acquiſiuit. Glebae enim, quae ex genuina terra Melitenſi fiunt, friabiles admodum ſunt, vt impreſſae ipſis figurae obliterari facillime poſſint, iis itaque, cum adulteratae plerumque vendantur, in medicina vti, prout ſupra ex SARRACENO [y] monuimus, minus conuenit, Morochtus potius purior et ſiccior, minime pinguis et tenax, cum acidis efferueſcens, earum loco adhibendus eſt.
5. Hanc glebam, quae Seruatoris, ſpinis coronatum, linteo impreſſum caput cum inſcriptione, *VVLTVM MEVM DEPRECAPVNTVR*, oſtendit, RIVINVS Tab. VI. 1. delineatam dedit, ipſam tamen contemplandi nulla mihi cum euenerit occaſio, eam quae in figura forte notari potuiſſet, mendam emendandam mihi non ſumſi [z].
6. Icon ſanctae cuiusdam, Mariae fortaſſis. Gleba octangularis, vera Melitenſis, icone paulo maior.
7. Icon ſancti Philippi Betſaidis a Galilaea. Gleba ex genuina Melitenſi terra formata eſt, cuius figura, ita vt omnes, quae ſequuntur, naturalem glebae magnitudinem exprimit.
8. Gleba vtrinque ſigillata, ex genuina terra Melitenſi confecta, quae icone ſancti Pauli, vna cum baculo, cui ſerpens circumuoluitur, et inſcriptione, *TERRA. D. GROTTA. D. S. PAVLO*, ornatur. Auerſa vero huius glebae facies, cruci octangulari Melitenſi impoſitum caput, quo ſanctum Iohannem, a quo ordini huic adſcripti nomen habent, ſignificari opinamur, exhibet, cum inſcriptione, *PROPTER VERITATEM*, vltima tamen huius inſcriptionis littera in ipſa gleba deficit.

9. Gleba

y) pag. 86.

z) Vid. *Breslauiſche Sammlungen Verſuch 20.* pag. 601.

9. Gleba praecedenti ſimilis, cuius poſteriorem tantum faciem delineare curauimus, quoniam eam, quoad varias lineas mutatam inuenimus. Ex genuina interim Melitenſi terra praeparata eſſe videtur.
10. Icon ſancti Pauli vt no. 8. cum inſcriptione, *TERRA SIGILLATA SANCTI PAVLI*, in auerſa parte ſimilis quoque, vt in praecedenti, inſcriptio, *PROPTER VERITATEM*, conſpicitur. Gleba vero non eſt Melitenſis, ſed liueſcens quodam modo et argillacea deprehenditur.
11. Imago ſancti Iohannis cum agno, in brachiis repoſito et inſcriptione, *TERRA SIGILLATA SANCTI IOHANNIS*. Sed litteram S. in voce ſigillata, gleba expreſſam non oſtendit. In auerſa parte inſignia ſocietatis Ieſu ſiſtuntur. Gleba nobis duplex eſt: (α) alba, pinguis, margacea, (β) rubra, Bolo Armeno, a nobis deſcripto, ſimillima.
12. Conuenit cum 8. 9. 10. nullam tamen inſcriptionem, neque in auerſa parte caput, cruci impoſitum habet. Gleba vera Melitenſis eſſe videtur.
13. Gleba praecedenti in plurimis ſimilis momentis, excepto baculo, cum ſerpente circumuoluto, qui deficit. Gleba non eſt Melitenſis, ſed argillacei quid admixtum habet, et in cinereum colorem vergit.

Terram Sancti Pauli magni ſemper ab omnibus aeſtimatam fuiſſe, iam ſupra, vbi de terra hac, vt cruda egimus, notatum a nobis fuiſſe meminimus. Ipſum vero huic terrae conſtitutum pretium in cauſſa fuit, quo variae ſuppoſititiae glebae praeparatae et ſub verae Melitenſis terrae nomine diuenderentur, ex quarum ſat inſigni numero non nullas iam in hactenus deſcriptis glebis propoſuimus, quae, licet verae Melitenſes non ſint, ob imaginum tamen, ipſis impreſſarum, conuenientiam, vel commodiorem earum in tabulis diſpoſitionem genuinis iunctae, enumeratae fuerunt. Sequentes, quae adhuc reſtant, omnes ad ſpurias Melitaeas terras referri merentur.

14. Sanctum Paulum cum gladio ex vna parte, ex altera vero conſueta ſocietati Ieſu inſignia oſtendit. Ipſae, quae cum terris no. 11 conueniunt, glebae, ſunt: (α) alba, pinguis, margacea, (β) rubra, pinguis, margacea, (γ) rubra, bolaris, craſſa, quae tamen in auerſa parte impreſſum non habet ſigillum, et in aduerſa praeter ea facie, quoad lineas quasdam, mutata apparet.
15. Gleba praecedenti ſimilis, ſancti Pauli imaginem ſiſtens, alba, argillacea.
16. Haec aliam ſancti Pauli imaginem et minus accurate deſignatam inſcriptionem: *TERRA SIGEL PAVLI* ſiſtit. Terra ex nobili Marga praeparata eſt: (α) pallide fuſca, (β) fuſca, paulo minor quam praecedens.

17. Gleba

17. Gleba flaueſcens, pinguis, bolaris, ex Italia ad nos tranſmiſſa, quae crucis Melitenſis octangularis figuram paulo aliter, quam in antecedentibus oſtendit.

TABVLA VIII.

1. Gleba flaueſcens, Neoſolienſis, Hungarica, ex Marga II. XI. ſupra deſcripta, efformata. Hanc terram IOHANNES HAMBACHER, Medicus Neoſolienſis, cum RIVINO communicauit, et ſuum inſimul, quod litteras I. et H. germanico ductu exaratas, et inter ſe implicatas, cum corona ſuperimpoſita oſtendit, ſigillum ipſi glebae impreſſit, ex quo, nullibi forte ſimili ratione ſignatas reperiri glebas, colligimus.

Caprae, Dianae ſacrae, ſigno, Lemniam olim terram notatam fuiſſe, ſupra [a] variis auctorum teſtimoniis comprobauimus, num vero a recentioribus propoſita et a nobis nunc recenſenda huius terrae ſigilla, veterum glebas indigitent, maxime quidem dubitamus. Ex ſequentibus glebis, binae priores capram ſatis luculenter exprimunt, reliquae autem animalis quadrupedis non ſatis definiendam figuram proponunt.

2. VALENTINI inter Lemnias 2. Similem ferme caprae iconem expreſſit ALDROVANDVS 26.

3. Gleba oblonga, tranſuerſim ſignata, quam CONRADVS GESNERVS [b] rubicundam et verae Lemniae terrae ſimilem eſſe dicit. VALENTINI inter Lemnias. 6.

4. ALDROVANDVS 29. VALENTINI inter Lemnias. 5.

5. VALENTINI inter Lemnias. 1.

6. Haec gleba in ſuperiori parte ſtellam, ſub animalis vero imagine lunam expreſſam oſtendit. Muſ. Spener. 12. pag. 61. VALENTINI inter Lemnias. 9.

Sequuntur nunc quaedam glebae, quae ſcorpionis figuram referunt, quarum non nullae ad bolares rubras, tanquam ad veterum Lemniam terram proxime accedunt, et ideo a RIVINO Lemniis annumeratae fuerunt, licet Lemniam terram ſcorpionis figuram impreſſam habuiſſe, in iis, quos hunc in finem conſului, auctoribus nullibi reperire potuerim.

7. Gleba nobis eſt duplex: (α) bolaris, rubicunda, pallidior, (β) bolaris, alba, in cinereum vergens colorem.

8. Gleba vtrinque ſigillata, bolaris, rubicunda, quae vel exinde, quod nobilior ſit reliquis, vel quod amuleti loco fuerit adhibita, vt infra Tab. X. 43. adducenda, ex orichalco confectae capſulae incluſa eſt. Ex vna parte ſerpentes duos, in ſe inuicem conuolutos, ſiſtit, quorum dexter pedes et caput cornutum ad caprae figuram efformata oſtendit. In auerſa

a) pag. 137.

b) De Figuris Lapidum cap. 6 fol. 103. vid. Muſ. Calceolar. Sect. II pag. 117.

auerſa vero facie ſcorpionis, ſerpente circumuoluto cincta figura exprimitur. Indicata haec glebae deſignatio venenatorum animalium morſibus Lemnium mederi ſigillum indigitat.

9. Gleba paulo maior, quam praecedens, ex rubicunda bolari terra formata, ſcorpionis iconem exprimit.

Quae nunc recenſendae veniunt glebae et lunae et ſtellarum figuras oſtendunt. Cum praeter capram, lunam quoque Dianae ſignum fuiſſe inter omnes conſtet, forte et luna cum ſtellis his glebis impreſſa fuit, vel id eam inſimul ob rationem factum eſt, quoniam Turcae lunae cornutae imaginem, vt proprium ſibi ſignum elegerint, quaenam vero ex dictis his ſigillis cauſſis veritati propior ſit, cum alii de iis nihil fere moneant auctores, nos in praeſenti nobis definiendum non ſumimus.

10. Gleba rubicunda eſt, ex nobiliori Marga formata.

11. Gleba praecedenti quoad figuram fere ſimilis. RIVINVS Tab. I. 10.

12. Gleba eſt pallida, lutea, bolaris.

13. Gleba praecedenti quoad figuram ſimilis. VALENTINI inter Lemnias. 8.

14. VALENTINI inter Lemnias. 7.

15. ALDROVANDVS 24. Scutum, corona impoſita, ornatum, quod lunam cornutam delineatam exhibet.

Afterem Samium, inde quod ſtellatis quaſi micet particulis, vel quod ſigillatae glebae impreſſo ſtellae ſigno notatae fuerint, terram Samiam dictam fuiſſe, ſupra iam monuimus [c]. Noſtras vero glebas ad eam reducere nollem, Samiae enim, vtpote terrae albae, ſimiles non ſunt, ſed omnes rubicundae inueniuntur. ALDROVANDVM itaque et RIVINVM ſequuti, eiusmodi glebas omnes ad Lemnias terras retulimus.

16. Gleba pallide rubicunda, argillacea magis, quam bolaris.

17. Gleba pallide rubicunda, bolaris, purior.

18. Gleba, quoad figuram fere ſimilis praecedenti. Muſ. Spener. pag. 78.

19. Gleba pallide rubicunda, bolaris, purior. Hanc iconem, paululum tamen mutatam, BESLERVS quoque in Gazophylacio et VALENTINI in Muſ. Muſ. pag. 1 exaratam propoſuit.

20. Gleba ad praecedentem accedens. ALDROVANDVS. 18.

21. Haec gleba literam A, cum appendice ſurſum excurrente et multa inſimul adiecta puncta ſiſtit. RIVINVS Tab. I. 20. ad Lemnias eam reduxit, quam tamen et ſequentem glebam ipſi nunquam vidimus.

22. Praecedenti fere ſimilis, ſed minor. RIVINVS Tab. I. 21.

23. Hanc cum ſequente ad Lemnias quoque retulit RIVINVS, eam forte ob rationem, quoniam Arabicos characteres, minus tamen accurate expreſſos, prae ſe ferre videntur. Haec alba, bolaris eſt.

24. Alba

c) pag. 187.

24. Alba, bolaris, ſimilis praecedenti, ſed paulo maior.

25. Gleba, quae caput hominis ſiſtit, cui quaedam litterae adſcriptae ſunt, in Muſ. Spener. pag. 62. 17. Armeni legitur, in RIVINI icone Tab. I. 19. M. et N. quidem exprimuntur, reliquae vero litterae pene oblitteratae apparent. A Turcis hanc glebam non ſigillatam fuiſſe exinde pateſcit, quoniam hae gentes ex Mahumedanae religionis legibus, nec hominum, neque brutorum animalium imagines in ſigillis ſuis et nummis admittunt, quod etiam de antecedentibus, capra, ſerpente et ſcorpione ſignatis terris notandum eſt.

26. Gleba praecedenti fere ſimilis, ſine vllis in margine expreſſis litteris. Haec rubra, vt praecedens, deprehenditur.

27. Hanc ex Argilla Syriaca formatam glebam GESNERVS [d] a KENTMANNO accepit, qui in tranſmiſſa vna cum ea epiſtola ſequentia, quae explicationis loco ſubnectimus, de ea commemorat. *Mitto imaguncu-lam quandam ex iſta terra factam, quam ipſe filius Dei pedibus ſuis calcauit, cum pro nobis miſeris victima fieret, quam imaginem dono accepi a viro nobili Volrado a Wazdorff, is ſecum ex terra ſancta attulit, et mihi retulit, monachos eius loci nonnullos, qui ad ſanctam terram accedunt, cum magna teſtificatione amoris ſui peregrinatores eiusmodi dono ſolere ornare:* et paucis interiectis de indole atque colore terrae ita pergit: *Color in albo ad roſeum vergit perparum, modice arenoſa videtur guſtanti, non aſpera tamen, nec glutinoſa, vt aliae Argillae, ab altera parte crucifixi imago eſt.*

28. Alia praecedentis glebae delineatio, quam ALDROVANDVS exhibuit [e]. Ipſam glebam ex Creta Syriaca, ſeu terra, quam lac virginis appellant, formatam fuiſſe oſtendit, ita differens: *Bethlehemi e ſpecu ſubterraneo eruta traditur, in quem beata ſemper virgo cum infante Ieſu, inſidias Herodis fugiens, ſeceſſiſſe perhibetur. Haec Creta in orbem formari ſolet, cuius altera pars effigie Domini reſurgentis, altera imagine crucifixi ſignatur, ut in icone repraeſentata cernitur.* Hanc poſtmodum terram dono dari peregrinantibus et pro medicamento haberi aſſerit, cuius exigua, in vino vel alio liquore ſumta, portio lactis vberiorem prouentum efficiat. Alius inſuper in glebas redactae terrae mentionem iniicit, quae a terra, ſepulchro Seruatoris proxima, deſumatur, Cretam denique albam, terrae Melitenſi ſimilem, in monte caluariae reperiri tradit. Illius vero, primum commemoratae Bethlehemiticae terrae colorem album fuiſſe, ex prolatis de ea in medium colligimus, licet ante nominatus auctor non aperte ſatis eum indicet. Terram hanc ſeu Argillam potius Bethlehemiticam crudam CHIOCCVS deſcribit [f], dum ante nominato KENTMANNO aſſentiens, ita de ea differit: *Haec in colore candido ad roſeum parum vergit, modice eſt arenoſa, quia aquae ablutione non eſt purgata, guſtanti glutinoſa*

d) De Lapidibus Figuratis cap. 6 fol. 103.
e) Muſ. Merall. pag. 243. VALENTINI Hiſt. Simpl. Reform. inter Hieroſolymitanas primam adducit.
f) In Muſ. Calceolar. Sect. II pag. 138.

glutinoſa non apparet, nec minus aſpera. Eae inſuper, quas ex lota hac terra praeparatas recenſet, glebae, iconibus noſtris ſimiles prorſus inueniuntur. Cauernam Bethlehemiticam, ex qua dicta haec terra eruitur, IOH. IACOB BREVNIGIVS accurate ſatis adumbrat [g].

Terras Hieroſolymitanas, ſeu ſanctas ſic dictas, albas plerumque eſſe et crucis, vt plurimum, ſignum, ſiue PP. ſocietatis Ieſu ſymbolum I. H. S. impreſſum exhibere, VALENTINI [h] nos docet. Ad hanc itaque terrarum ſigillatarum ſpeciem ſequentes referendae ſunt glebae.

29. RIVINVS Tab. VIII. 15.

30. Gleba alba, cinerea, argillacea magis, quam bolaris.

31. Gleba praecedenti ſimilis, alba eſt, vtrinque ſigillata et in auerſa parte cor, cui tres claui infiguntur, exaratum oſtendit.

32. Gleba vtrinque ſigillata, coloris fuſci, ex margacea terra parata, ex vna parte poculum cum ſerpente, ipſi incumbente, ex altera vero ſaepius iam indicata ſocietatis Ieſu inſignia conſpicienda praebet.

33. Praecedenti fere ſimilis, quadrata, coloris fuſci.

34. Gleba parua, quae agnum Dei ex vna parte, nominata vero inſignia in altera oſtendit. BESLERVS in Gazophylacio. VALENTINI Muſ. Muſ. pag. 1.

35. Praecedentibus, quoad indolem, fere ſimilis, litteras M. R. A. quae Mariae forte nomen indicant, oſtendit. RIVINVS Tab. VIII. 17.

36. Terra ſigillata alba, figurae quadratae, in qua Chriſti, qui ſacrum illud lauacrum impertiri a Iohanne ſibi ſinit, effigies cernitur. Hanc glebam ab OLIGERO IACOBAEO deſcriptam inuenimus [i].

37. Gleba ex terra candida, talcoſa, quae Bolo I. ſimillima eſt, praeparata, hanc veram Bethlehemiticam eſſe BAIERVS, Altorfinus, qui eandem ſcriniis noſtris inſeruit, affirmat. Gleba eſt vtrinque ſigillata, in cuius aduerſa parte Mariae, infantem Ieſu vlnis amplectentis, in altera vero Sancti Bernhardi, Abbatis, conſpicitur effigies.

38. Gleba eſt luteola, parum vtrinque ſigillata. Illa eſſe videtur gleba, quam VALENTINI [k] lac Mariae appellat, eam enim crucifixi figura multisque crucibus inſignitam eſſe tradit.

39. Haec gleba laminam tenuem, vtrinque ſigillatam ſiſtit, in cuius priori parte Chriſto infanti, a ſapientibus illis, ex Oriente aduenientibus, praeſtitus cultus, in altera vero ipſa Chriſti natiuitas adumbratur. Licet haec gleba terreae ſit indolis, tamen, cum forte ex charta, dentibus manſa, ſimul admixta formata ſit, factitia eſſe videtur.

TABVLA

g) *Orientaliſche Reiſe, dritte Meerfarth* cap. 18. pag. 260.
h) Hiſt. Simpl. Reform. Lib. I cap. I §. 2 pag. 1.
i) In Muſeo Regis Daniae pag. 39.
k) Loc. cit.

TABVLA IX.

Sequuntur nunc eae ſigillatae glebae, quae Arabum characteribus inſignitae, ab omnibus fere hactenus recenſitis terris ſeſe diſtinguunt. In his vero, in tabulam nonam et decimam coniectis, ſigillis declarandis, ad illas mihi recurrendum erat ſchedas, quas ſimul cum RIVINI aduerſariis acceperam, neque ex his quidem de Arabum terris conſcriptis plagulis ea, quae ad explicandas has glebas requiruntur, depromere potuiſſem, niſi verſatiſſimum in hoc litterarum genere CLODIVM, ardui huius laboris comitem mihi ſumſiſſem. Hic celebris olim apud nos Profeſſor perluſtratis, quas ipſi tradidi, antea memoratis ſchedis, ordinem, ſecundum quem glebas in tabulis diſponere poſſem, et pauca quaedam, quae ad ipſas glebas ſpectant, me docuit, vberiorem inſimul earum explicationem promittens, eam tamen, e viuis ereptus, non perfecit. Nunc itaque in perpoliendo hoc opere occupatus, harum litterarum cognitione clarum adii IOHANNEM IACOBVM REISKIVM, Medicinae Doctorem, CLODIO in linguae Arabicae profeſſione ſuccedentem, et a ſingulari eius humanitate impetraui, vt pertractatis aliorum, quas ipſi exhibueram, obſeruationibus, ſuam de terris Arabicis diceret ſententiam, quam conſignatam, eo non refragante, huic ſigillatarum terrarum catalogo inſerere non dubitauimus, idque eo minus, quo breuior harum terrarum enumeratio, a nobis, Arabicae linguae prorſus ignaris, erit expectanda.

Interrogatus ab amiciſſimo Ludwigio, de vera lectione et ſignificatione characterum Arabicorum, illis terris ſigillatis impreſſorum, quae praeſentibus tabulis aeneis, nonae et decimae, inciſae exhibentur, ſtatuo, non vnam eandemque omnium inſcriptionem eſſe, quod plerique ſtatuerunt in has tabulas commentati, quos deinceps allegabo; ſed, vt protinus ad ipſam rem omiſſis ambagibus accedam, nouem diuerſas inſcriptiones hic legi. Et

1) Primo quidem loco maxime ſolemnis harum terrarum inſcriptio memoranda venit طين مختوم *Tin Machtum*, aut *Tin Makhtoum* Gallico more ſcribendi, id eſt terra, Bolus, Argilla, ſignata vel ſigillata. Haec conſpicitur in Tab. IX. fig. 1. facie prima ſeu antica, fig. 2. 9. 10. 11. 12. 14. 15. 16. 18. 40. 43.

2) Altera inſcriptio eſt طين محبب *Tin Mohabbab*, Bolus trochiſcata, in trochiſcos et paſtillos formata. Haec proſtat in Tab. IX. fig. 1. facie poſtica, item fig. 6. 7. 8. 13. 19. 20. 26. 41. 42.

3) Tertia eſt طين موحبب idem, atque praecedens, et ſonans et ſignificans, hac ſola cum differentia, quod و *Wau* hic abundet, ex ignorantia trochiſcatoris, grammatice et orthographice ſcribere non docti; quales errores in ſaxis Latinis, Graecis, noſtratibus per coemeteria et alibi conſpicuis

ſpicuis toto die occurrunt. Legitur autem haec inſcriptio in Tab. IX. fig. 30. et 35.

4) محبب *Mohabbab* trochiſcatum, abſque ſubſtantiuo طين *thin*, Bolus. Reperitur in Tab. IX. fig. 31. et 33. et Tab. X. fig. 7.

5) موحبب ſimilis eſt proxime praecedenti, niſi quod pariter atque n. 3. hic و *Wau* abundet, *Muhabbab* trochiſcatum, pro *Mohabbab*. Quod in pronunciando quidem perinde eſt, at grammatice ſcribentes omittunt *Wau*. Deprehendi hanc inſcriptionem in Tab. IX. fig. 21. 22. 23. 25. 27. 28. 32. 34. 36. 37. 38. 39.

6) برمحبب *Barr Mohabbab*, terra trochiſcata. Legitur Tab. X. fig. 2. et 6.

7) برموحبب *Barr Muhabbab*, terra trochiſcata; prorſus idem cum priore, niſi quod *Wau* rurſus hic abundet. vid. Tab. IX. fig. 24.

Notanda hic venit vocum *Thin* et *Barr* differentia. Iſta prior *thin* notat proprie terram mollem, argillaceam, ſequacem, unguedinoſam: haec poſterior, *barr*, terram ſiccam et friabilem.

8) طين يقين *Thin Jakin*, noſtro Germanico more pronunciandi, aut ſecundum exteros *Tin Yaquin*, Bolus genuina. Ita mihi videtur legendum Tab. IX. fig. 17. Poſſet etiam ex eo effici *Thebb Yakin* طب يقين medicina probata. Sed prius exiſtimo rectius.

9) Quid Tab. X. fig. 5. inſcriptum ſit, non auſim certo edicere. Viſus mihi ſum commode ſatis ex ea hanc effeciſſe non vulgarem ſententiam, الفقير قوركوت النايب الناتولي *ol Fakir Curcut, on Najeb on Natuli;* id eſt pauper, et indigus diuinae gratiae, *Corcut*, *Naib*, id eſt legatus, praefectus, Vice-Ré, Baſſa, Natoliae. Omnia caetera ſatis viſibilia ſunt in hac inſcriptione et facile poſſunt ab Arabice callente deprehendi. Solum nomen proprium *Curcut* vel *Corcut* obſcurius ſcriptum eſt; et fieri poſſit vt felicior quis et magis hoc in genere exercitatus, aliud nomen atque rectius aliquando detegat. Caeterum hoc notandum hic venit, omnes Muhammedanos quando de ſe loquuntur, raro egoiſmum uſurpare, ſed malle الفقير *ol Fakir*, pauper, miſer, indigus diuinae gratiae, *ὁ δεῖνα*. item العبد الفقير *ol Abd ol Fakir* ſeruus Dei pauper, item المسكين *ol Meſquin*, quod item notat; id eſt ego *ὁ δεῖνα*.

Tab. IX. fig. 44. 45. 46. 47. 48. 50. 51. 52. 53. Tab. X. 1. 2. 3. 4. 8 non aſſequor. Mihi quidem videntur non litterae, ſed ornamenta vana eſſe, nihil ſignificantia; aut litterae ſi ſunt, ſunt adeo extritae et deletae, vt certi quid inde nequeat effici.

Tab. IX. 49. eſt figura notha, id eſt mentiens Arabiſmum, ab impoſtore conficta, pertinens ad characteres magicos. Ejusdem generis eſſe puto, quae Tab. X. 9. inde conſpiciuntur, nempe taliſmanes, *περιαμμήματα*, qualia plebi aduerſus febrim et alias peſtes in vſu ſunt.

Haec

Haec eſt mea de terris his Arabicis opinio. De communicatis mecum ſchedis, WELSCHII, BECKII, Auguſtanorum, illius medici, huius theologi, BVCKII, theologi Dreſdenſis, et tandem CLODII atque KEHRII, Orientaliſtarum noſtratium, nihil in vſum meum converti. Duo poſtremi multa proferunt aliena, nihil unde doctior et certior rerum praeſentium redeas. BVCKIVS in epiſtola ad Cl. RIVINVM multa ediſſerit grammaticalia, de apicibus Arabicis, priuatis quidem litteris non incongrua, ſed minuta nimis, quam vt publico in loco eoque illuſtri proponi mereantur. Id vnum inde enotandum mihi viſum fuit, quod ait, in omnibus illis Riuinianis exemplaribus, quarum pleraque hic expreſſa inueniuntur, hanc vnam inſcriptionem *Thin Machtum* proſtare, nil aliud. WELSCHII de terris ſigillatis diſſertationem eo fine prodendam exiſtimo, quo exſtet ſpecimen promiſſi[1] et inediti operis, e quo excerpta illa eſt, valde celebrati, et a multis deſiderati. Excerpta nempe eſt ex eius hiſtoria litteraria Turcarum, adhucdum in priuatis ſcriniis et ſchedis manu exaratis latente, cuius decimum caput et finem efficit. Si caetera his ſimilia ſunt, non erit deinceps peritus harum rerum, qui magno teneatur huius operis deſiderio. Eruditio enim hic expoſita tam eſt peregrini et noui guſtus, coniecturae tam ſunt longe petitae et abnormes, vt legi ſine admiratione et riſu nequeant, paucique futuri ſint qui approbent, qui intelligent. MATTHIAS FRIDERICVS BECKIVS, ciuis WELSCHII, erudito quem addidit commentariolo hoc ſatis demonſtrauit. En autem vtrumque opuſculum, quale in ſchedis inueni, ab homine neque ſatis diligente neque perito exſcriptum. Vitiis enim calami non caret.

Excerptum ex GEORGII HIERONYMI WELSCHII Hiſtoria Litteraria Turcarum, exponens de ſignis et inſcriptionibus terrarum ſigillatarum Arabicis et Turcicis.

Quia de inſcriptionibus Arabum haec protulimus, addamus etiam terrarum medicatarum ſignaturas, quas Turca aut Arabs ille, quisquis fuerit, cui BELLONIVS Lib. I. Obſeru. cap. 22. oſtendit, omnes vnius modi falſo exiſtimabat, duas tantum voculas referre dictitans: *Tini machton.* quod vti a vero alieniſſimum eſt, ita nec voculae ipſae ſatis Arabicae ſunt. Nam طين مختوم terra ſignata Ebn Sinae dicitur Lib. II. tr. II. c. 9. Sunt nobis quam plurimae aliae inſcriptiones, quarum praecipuas huc adferemus.



Cinerei coloris hos repraeſentat characteres, ſcripturam tetragonam ſuperius memoratam exprimentes, aut ſaltem quam proxime ad eam accedentes.

Rariſſimam

1) In Eiusd. Obſeruation. Phyſico-Medicarum Hecatoſtea I. Obſeru. 35 p. 48. Auguſt. Vindel. 1675. 4.

Rariſſimam hanc et Sinico-Tataricam exiſtimamus, ideoque legimus litteris euolutis كطاعي aut كثاعي id eſt terra *Cathaica*, aut alia ſulphurei coloris iſtos praefert: وفقرين quos characteres ſic ſcribendos ſuſpicamur: تقغريت id eſt ſulphurea. Rarior autem ſcriptura ſic habet pro كبريت quod ſulphur notat. قغر enim bitumen eſt, de cuius natura nihil participat.

Tum iterum alia fere carnei coloris بلاونى Bolarmeni, Bolus Armenica, Graeca nomenclatura الارمن in Lexico Cl. GOLII: الطين الارمني videtur littera excidiſſe, aut certe ſic ſcribendum eſſe بلرمني vno vocabulo ex duobus conflato, Armenica voce ex Graeca deſumta, ideoque hanc veram Bolum Armeniam cenſemus. Nimirum vera terra Armenia non rubra, vt vulgaris, ſed carnea et roſea ſeu rutila eſt: ex quali etiam Adamus a Deo creatus ab אדם id eſt terra rutila, materia ſua, dictus. Et alter quoque Adamus, id eſt Chriſtus, Meſchicho in Ieſaiae Euangelio, ſic enim vere prophetiam illam appellaueris, cap. 63. indutus veſtibus rutilis venire dicitur מאדם ab Edom, id eſt terra rutila, quam hodie Rabbini gentes et gentium caput Romam interpretantur, quamque ſuo tempore etiam Perſas كرل الماه id eſt pomum rubrum vocare ſolitos teſtatur PETRVS A VALLE Itiner. L. II. pag. 122. edit. Germ. Geneu.



Quarta itidem cinereo colore ſed propemodum albicante, in hac ſuperiora صاروخان domini nomen exprimere videntur, quae tamen ipſi non ſatis capimus. Inferiora vero locum deſignare putamus المرواحى id eſt الرفاحي id eſt Raficana, Meſopotamica. Rafica enim رفيقة Meſopotamiae vrbs haud procul Racca, de qua videri poteſt Cl. GOLIVS notis in Ebn Kethirum pag. 253.



Quinta omnino rubricans, notat: *Nileh Ben Maden* in valle ſiue campo umbroſo familiae Matecha anno Hegirae 689, غمل enim غملة ſiue غملت et غملول vallem ſeu campum denſis arboribus et plantis conſitum atque vmbroſum denotat, qualem tum temporis familia illa poſſedit et ex quo iſtam terram eruere curabat. Subſcriptum ـ primam litteram puto loco eſſe ſigni, vt terra ſignata venum exportari poſſet. Anni numerus inuerſus videtur et ſic ſcribendus 689 hoc eſt aerae Chriſtianae 1353. Si enim ٩٨٤ (982.) retinendus foret Hegirae

rae computatus, prodiret Epochae noſtrae 1646. Atqui nos iſtam ſphragidem anno 1630 poſſedimus.

Sexta et ipſa carnei coloris diffluentibus quodam modo characteribus



et quales ſupra Perſis imprimis familiares pronunciauimus in MStis, quae plura videre contigit, atteſtantibus فنغ فرسي id eſt terra Perſica optima, ſiue bonae famae. فنغ enim Gr. ἔυφημος. Talis autem Choraſanica eſt.

MATTHIAE FRIDERICI BECKII Animaduerſiones in Welſchianas de terrae ſigillatae inſcriptionibus coniecturas.

Turcae a PETRO BELLONIO Lib. I. Obſ. c. 22. citato, quippe Arabicae linguae perito et hiſtoriae patriae haud ignaro, non temere fidem abrogandam eſſe, mihi omnino videtur, qui aſſeuerauit, omnes ſibi a BELLONIO exhibitos terrae ſigillatae paſtillos haſce duas duntaxat Arabicas voces طين مختوم *Tini Machtom*, id eſt, terra ſigillata vario modo commiſtas diverſisque ſigillis impreſſas continere. Id quod etiam e duodecim earum figuris a BELLONIO loco citato praeſentatis patet. Singulae enim dictas duas voces, quae ſane Arabicae ſunt, vid. VAL. SCHINDLERVS in Lex. Pentagl. fol. 694. et FR. A MESGNIEN MENINSKY in Lex. Arab. Turc. Perſ. fol. 3162. continent; niſi quod eae variis ductibus inflexae atque contortae ſint, alicubi etiam a chalcographo non ſatis accurate fortaſſis expreſſae. Id quod et ipſe experientia magiſtra didici. Hacce nimirum occaſione oblata pleraque omnia pharmacopolia ſimilesque officinas vrbis noſtrae Auguſtae adii, diuerſiſſimasque terrae ſigillatae ſpecies, quae quidem Arabice inſcriptae ſunt, propriis oculis inſpexi.

Nonnulli paſtilli rubicundi flauique $1\frac{1}{2}$ drachmam pendentes ſequentes characteres impreſſos habebant



مختوم ſigil-
lego
lata
طين terra.

Priori vocabulo diviſo, cuius prior ſiniſtrorſum, poſterior vero pars inverſo ordine dextrorſum legenda venit.

Alius



Alius eiusdem fere ponderis carneus, et tertius didrachmalis ſubruffus hanc ſphragidem continebant. Quos haudquaquam genuinos eſſe, ἐκτύπωμα ſuperiores characteres infeliciter in medio et fine exprimens ſatis ſuperque prodit.

Paſtillum poſſidemus dimidiam drachmam pendentem et carneum colore, qui hos praefert characteres

Integre lego مختوم ſigillata
طين terra.

Maſſa enim minor eſt quam vt totum ſigilli impreſſi capiat typum. Lemniam hanc terram eſſe nullus dubito. Eiusdem enim figurae paſtillus apud BELLONIVM l. c. exſtat. In Muſeo WORMIANO fol. 9. ſimilis paſtillus ponderis eiusdem exhibetur. Verum albicantis coloris et characteres impreſſi dextro lateri incumbunt, imperite ab auctore praeſentati, quod Arabicae linguae ignaro facile accidere poteſt. Viſi denique ſunt paſtilli carnei cinereique coloris, quorum ille drachmalis fere eſt, hic dimidiam drachmam pendet; vterque his litteris eſt inſcriptus  Vir Cl. WELSCHIVS hanc rariſſimam, et Sinico-Tataricam ſignaturam eſſe exiſtimauit, legitque litteris euolutis كطاعي aut كناعي id eſt Cathaica, ſcil. terra, Ego autem cum anonymo Turca apud BELLONIVM facio, atque lego طين مختوم *Tini Machtom* hoc eſt terra ſigillata. De hoc, quod antiquiſſimum dicit, ſigillo loqui videtur BELLONIVS L. I. Obſ. c. 23. ſtatim ab initio. Signaturam quam altero loco WELSCHIVS affert, inveſtigare non potui, nullus autem dubito et ipſam مختوم طين *Machtom Tini*, ſigillata terra, legendam eſſe. Cl. Vir WELSCHIVS admodum ſe torquet in interpretanda ea, et vbi certa veſtigia ſiſtit, ignorat.

Sequens eius coniectura plauſibilis eſt, vbi plane ὁμόψηφον me habet. Ipſe terrae huius paſtillum vidi drachmalem, alterumque proprium, pondere minorem, habeo, vtrumque carneum colore et hac ſignatura inſtructum,  hoc eſt, vti lego بل ارمني *Bol Armeni*, Bolus Armenus.

Notatu digna ſunt verba IMPERATI V. 33. apud OL. WORMIVM in Muſeo, fol. 9. qui tres ſpecies noſtro aevo ex inſula Lemno tranſportari refert: „Prima eſt, ait, terra ſacra, vel Bolus Armenus orientalis non „tingens,

„tingens, vel alba leuiter ad cinereum vergens, quae quandoque etiam „colore incarnato ex quibus ſigilla, quae hodie tanto ſunt in pretio, fiunt, „quam tangere nulli licet praeter ſacerdotes„ etc.

Coniectura Noſtri de ſphragide vt vult Raficana perquam eſt inepta. Credibile tamen eſt virum hunc ſollertiſſimum hanc aliasque ſuas opiniones correcturum fuiſſe, ſi per fata licuiſſet vltimam operi manum imponere. Fuit enim haec eius prima cogitatio, per alteram maturiorem emendanda. Si, vt prodit, Rafica, رفيقة vrbs Meſopotamiae eſt, atque haec terra inde oriunda, ſcribendum fuiſſet الرفيقاني Raficani, non autem الرفاحي Refachi. Sed ecce totam ſignaturam. Nam et ipſe geminos iſtius modi trochiſcos vidi, cinerei vel carnei coloris, ſingulos tres drachmae partes pendentes



quae ita integre lego:

et expono: trochiſcus theriacae *Zaluph* vel *Daluph*, Osmanidae mercatoris. Nam الرقايحي non eſt nomen gentilitium, ſed ſubſtantiuum, et mercatorem notat. vid. MENINSKY in Lex. fol. 2346. Ex quo praeterea liquet, trochiſcos iſtius modi hic inter terrae ſigillatae genera impertinenter adduci, cum ſint trochiſci ex theriaca confecti. Coniectura autem mea eſt trochiſcos illos e Perſide aduectos eſſe.

Signaturam rubicantem quinto loco a WELSCHIO noſtro recenſitam prae omnibus aliis inſpicere geſtiebam; ſed ea in nullo noſtratium pharmacopolio, ne Welſchiano quidem, hodie Roſenbaumiano dicto, comparuit. Perſuaſiſſimus tamen ſum, B. virum rem acu haud tetigiſſe. In numeris quoque aliquoties eſt aberratum. Viſi tamen ſunt paſtilli carnei coloris, drachmales, qui ſub calcem ſignaturae iſtius modi zifras, ſi modo zifrae ſunt, ٧٨٩١٥ praeferre videntur. In aliis tamen albentibus paſtillis earum loco hae litterae vel ſigna exhibentur. ٦٢١١٣. Tota ſignatura haec eſt. Quae ſatis ſunt intricata. Verba mediae vltimaeque lineae aſſequi hactenus non potui. Primae autem lineae verba niſi fallor ita ſunt legenda: خاتم ثري *Hanem Teri*, quod eſt pnigitis terra, nigra Creta: dicitur alias *Tin Hamet* طين حماة terra nigra. vid. VAL. SCHINDLERVS in Lex. fol. 695. πνιγῖτις γῆ, terra quaedam colore nigra, qualis eſt Ampelitis Eretriae ſimilis. SCAPVLA in



Lexico. Tactu linguae adeo glutinoſa eſt, vt penſilis haereat, recte obſeruante DIOSCORIDE V.177.

Quidam tamen, quem vidimus, paſtillus tam expreſſam ſignaturam habet, vt merito ſuſpectus ſit, et coniecturam de ſe faciat, eum non ex Lemno, ſed ex vicina Italia allatum eſſe, ſuppoſitumque imitatoris fraude. Quandoquidem iam tempore GALENI adulterata terra ſigillata eſt, vt is ipſam inſulam Lemnum adire et genuinam a falſa dignoſcere neceſſe habuerit; quae etiam cauſſa fuit Bellonianae profectionis in Lemnum. Et cui credibile ſit omnes genuinos paſtillos eſſe, cum non niſi ſemel per annum, ſexta ſcilicet Auguſti die, transfigurationi Chriſti ſacra, per 50. vel 60. Graeculos terra iſthaec e fodinis extrahatur ſufficiens viſa pro iſto anno, et maximam partem Conſtantinopolim Turcico Imperatori cum ſigillo miſſa, multis interea centenariis huius terrae in pharmacopoliis Europaeis vaenum expoſitis.

Vidimus denique paſtillum omnes alios pondere ſuperantem, quippe tres drachmas pendentem, carneum colore, cum hac ſphragide:



cum quo conuenit aliis drachmalibus ſulphureis. Quam eandem figuram e 12 paſtillis primus maximusque apud BELLONIVM l. c. praefert.

B. WELSCHIVS putat ſignatura hac innui فنغ فرسي terra Perſica optima vel bonae famae. Ego vero cum Anonymo Turca apud BELLONIVM de *Tin Machton* terra ſigillata accipere malo.

Hactenus BECKIVS de Arabicis inſcriptionibus bolorum.

His nunc praemiſſis, antequam ad ipſam terrarum enumerationem progredior, illud adhuc, in limine ſtatim vt moneamus, neceſſe eſt, plures in his obſoletas inueniri glebas, quae aliquo ob vetuſtatem ſqualore obductae, proprium ſibi in obſcuriorem mutarunt colorem, alias tamen reperiri, quae recentioribus demum temporibus ſigillatae eſſe videntur, e quibus vnam iam ſupra Tab. V. 3. inter Franconicas adduximus.

1. Duae hic conſiderandae erunt glebae. (α) Gleba rubra, leuiter flauescens, vtrinque ſigillata, quae nobilior eſt, et quoad materiam cum Bolo Armeno egregie conuenit. (β) Gleba alia, ex vna parte tantum ſigillata, ex rubro pallida, punctis micaceis conſperſa, argillacea. Delineatio BELLONII 12 [m] noſtrae α. 11 vero noſtrae β. reſpondet.

2. Gleba

m) Vid. in his et nonnullis aliis Obſeruationes ex Verſione CLVSII Lib. I cap. 22 vbi duodecim glebae minores pinguntur quam in huius libelli Gallico idiomate conſcripti edit. Pariſ. 1555. 4to, licet quoad characteres ſimillimae inueniantur.

2. Gleba rubra, non nihil luteola, ad Boli Armeni indolem quam proxime accedens.
3. MERCATVS Metall. Vatic. pag. 9. 1.
4. MERCATVS Metall. Vatic. pag. 9. 2.
5. ALDROVANDVS 4.
6. BELLONIVS 4. ALDROVANDVS 2.
7. ALDROVANDVS 3.
8. ALDROVANDVS 16.
9. ALDROVANDVS 10.
10. ALDROVANDVS 7. WORMIVS pag. 8.
11. BELLONIVS 5. ALDROVANDVS 5.
12. ALDROVANDVS 17.
13. BELLONIVS 10. ALDROVANDVS 9.
14. BELLONIVS 9. ALDROVANDVS 8.
15. Eſt BELLONII 7. vel ſaltim ſimilis. ALDROVANDVS 13.
16. ALDROVANDVS 15.
17. BELLONIVS. 3.
18. BELLONIVS 6. ALDROVANDVS 12.
19. BELLONIVS 2. ALDROVANDVS 11.
20. Gleba ex rubro pallida, argillacea magis quam bolaris et non nihil arenoſa eſt.
21. Gleba alba, bolaris.
22. RIVINVS Tab. III. 12.
23. Gleba ex luteo pallida, argillacea. WORMIVS pag. 9. albam, iisdem characteribus inſignitam, glebam adducit.
24. Gleba nobis eſt duplex: (α) argillacea, luteola, (β) cinerea, diſtinctis luteis maculis notata.
25. Praecedenti quoad characteres impreſſos fere ſimilis. RIVINVS Tab. III. 16.
26. RIVINVS Tab. III. 19.
27. Gleba dilute rubicunda. WORMIVS pag. 11.
28. Ea, quam in plerisque momentis huic figurae conuenientem inuenimus, gleba, rubicundum prae ſe fert colorem. WORMIVS pag. 11.
29. RIVINVS Tab. III. 11.
30. Duae hic conſiderandae veniunt glebae: (α) maior, carnea, bolaris, (β) minor, ex rubro luteola, Bolo Armeno, quoad materiem, ſimillima.
31. RIVINVS Tab. III. 10.
32. Gleba bolaris, rubra, pura.
33. RIVINVS Tab. III. 2.
34. RIVINVS Tab. III. 3.

35. RIVINVS Tab. III. 18.
36. RIVINVS Tab. III. 4.
37. ALDROVANDVS 16.
38. Gleba rubra, ex Bolo nobili confecta.
39. Gleba lutea, bolaris.
40. Similem fere huic figuram propoſuit BESLERVS in Gazophylacio et VALENTINI in Muſ. Muſ. pag. 1.
41. Gleba carnea, pallidior praecedente.
42. RIVINVS Tab. XX. 8.
43. RIVINVS Tab. II. 12.
44. RIVINVS Tab. III. 22.
45. Gleba ex rubro luteola, argillacea, pura.
46. Gleba alba, bolaris, pura.
47. Haec gleba ad figuram a WORMIO pag. 9. exhibitam quam proxime accedit, internus eius color cinereus, externa vero ſuperficies rubicunda eſt, ita, vt Rubrica quaſi tincta appareat. DALE [n] glebae Turcicis characteribus inſignitae meminit, cuius ſubſtantia cinerea tantum, externus vero glebae color rubicundus fuit. Nos quidem in Argilla IV. II. α glebam Suecicam nominauimus, quae colorem cinereum in fuſcum mutat, noſtram vero, quam nunc deſcribimus, ſimilesque glebas, alio tantum colore imbutas eſſe, non ſine omni ratione ſuſpicamur.
48. RIVINVS Tab. III. 21.
49. RIVINVS Tab. III. 13.
50. RIVINVS Tab. II. 14.
51. RIVINVS Tab. III. 25.
52. BELLONIVS I. ALDROVANDVS I.
53. RIVINVS Tab. III. 24.

TABVLA X.

1. Gleba eſt cinerea. WORMIVS pag. 10.
2. GESNERVS de Lapid. figurat. fol. 102.
3. RIVINVS Tab. II. 29.
4. Gleba oblonga, hepatis colorem referens, ex nobili Marga praeparata.
5. Gleba praecedenti, quoad colorem aeque ac materiam, ſimilis.
6. VALENTINI inter Lemnias II.
7. RIVINVS Tab. XX. 6.
8. RIVINVS Tab. XX. 7.
9. RIVINVS Tab. IV. 20.
10. Gleba rubra, bolaris, nobilior.

11. Diuerſae

n) In Pharmacologia Lib. I Sect. II inter Argillas 10 pag. 21.

11. Diuerſae ſunt glebae, quarum imagines huic delineationi reſpondent: (α) rubra, bolaris, pallida, (β) rubra, bolaris, obſcurior, (γ) alba, leviter carnea, argillacea, pura, (δ) alba, minor, bolaris.
12. Gleba alba, argillacea, pura.
13. Gleba rubra, bolaris.
14. Variae hic nominandae veniunt glebae: (α) rubra, bolaris, maior, (β) rubra, bolaris, purior, minor quam praecedens, (γ) alba, bolaris, minor, (δ) ex albo leuiter flaueſcens, maior, argillacea.
15. Binae occurrunt glebae: (α) rubra, bolaris, pura, (β) alba, itidem ex nobiliori Bolo praeparata.
16. Gleba alba, argillacea, pura.
17. Gleba alba, bolaris.
18. RIVINVS Tab. IV. 10.
19. Gleba rubra, bolaris, pura.
20. Gleba alba, argillacea, pura.
21. Gleba alba, bolaris. VALENTINI inter Lemnias 10.
22. RIVINVS Tab. IV. 12.
23. RIVINVS Tab. IV. 15.
24. RIVINVS Tab. IV. 5.
25. Gleba alba, argillacea, pura.
26. RIVINVS Tab. IV. 24.
27. RIVINVS Tab. IV. 11.
28. Gleba argillacea, alba, pura.
29. RIVINVS Tab. IV. 16.
30. Gleba ex rubro flaueſcens, nobilior, quae, eius ſi ſpectes materiem, ad Armenum Bolum omnium optime referri poſſet.
31. Gleba, ob impreſſam ipſi figuram a praecedenti quidem diuerſa, eidem tamen, quoad colorem et materiem, haud abſimilis.
32. Gleba rubra, bolaris.
33. RIVINVS Tab. IV. 25.
34. Gleba eſt rubicunda. WORMIVS pag. 11.
35. Gleba eſt irregularis, ex pallido in carneum vergens colorem, bolaris, admodum arenoſa. De impreſſis huic terrae ſigillis, ex quibus alterum medio diffractum conſpicitur, nihil plane notari potuit.
36. Gleba pallida, argillacea, micaceis particulis ſplendens, non nihil arenoſa.
37. MERCATVS Metall. Vatic. pag. 9.

Hae itaque ſunt Arabum ſignis notatae terrae, quas breuiter tantum indicaſſe ſufficiet. Quasdam nunc iis ſubnectimus ſigillatas glebas, quae licet, eodem, vt reliquae hactenus enumeratae, more ex ipſis terrae viſceribus non eruantur, ſed praeparatae tantum et ex variis minerarum par-

tibus aliisque, quae medicamenti loco adhibebantur, naturae operibus efformatae inueniantur, in noſtro tamen hoc opere, veluti ſpuriae terrae, recenſeri merentur, idque eo maiori cum iure, quo ſaepius cum veris ſigillatis glebis confunduntur, et ad terrarum ab aliis claſſem referuntur.

38. Terra ſigillata Brachmanum. Hanc VALENTINI ſequentem in modum deſcribit[o]: *Fuſca eſt, ad inſtar terrae ſigillatae Laubacenſis, ex orbiculis ſeu placentulis etiam rotundis conſtans, quae tamen hoc prae aliis ſingulare habet, quod non tam in ſuperiori vel inferiori, aut vtraque ſuperficie, vt reliquae, ſit ſignata, ſed in margine tantum.* Brachmanes praeter ea, Indorum ſapientes, hac terra, licet aeque pinguis ſit, vt terra ſigillata officinarum, et linguae fortiter adhaereat, in medica, quam faciunt, arte minime vti docet, et ita pergit: *Idolis ſuis ſacrificia facturi certa ſigilla, iliis, quibus bibliopegae litteras maiores aut ornamenta aurea libris imprimunt, haud diſſimilia, terra hac imbuere ſiiisque frontibus imprimere ſolent.* Non ſolum vero hanc, ſed alias quoque ex variis medicamentis praeparatas glebas ab ipſis inſigniri, RVMPHIVS auctor eſt[p].

39. Gleba cylindri vel coni truncati figuram referens, egregie rubicunda, odorata, in ſuperiori parte foliis auri inductis condecorata, perforata et filo appenſa. Conuenit haec terra cum ea, quam MICHAEL SCHENDO VAN DER BECK[q], tanquam celebrem apud orientales medicos terram, bezoardicam, Sinicam, rubram, in paſtillos quosdam maiores, Tanzuc vocatos, formatam deſcripſit. Licet enim noſtra gleba quibusdam tantum Sinicis characteribus, vti atramentum Sinenſe, inſignita inueniatur, antea vero nominatus auctor ſuam glebam regii draconis et regnantis imperatoris effigie, variisque, praeparationis tempus indicantibus, characteribus ſignatam eſſe moneat, rubicundus tamen eius color, et modus eam filo appendendi, noſtrae quoque terrae competunt. Inſignis hic glebae rubor in ſuperficie aeque ac in ipſa eius ſubſtantia obſeruatur, et ex natiua copioſe immixta cinnabari dependet, licet externe glebae inductum pigmentum rubrum, illa adhuc amoeniorem, colorem habere videatur. Huic quoque cinnabaris admixtioni pondus noſtrarum glebarum, pro ratione voluminis ſatis inſigne, adſcribendum eſſe arbitramur, quamuis ſupra indicatus auctor magnam mercurii copiam et aurum inſimul ex ſuis, quas deſcripſit, terris eduxerit. Varia praeter ea recenſentur ab eo ſimplicia medicamenta, quae compoſitionem noſtrarum glebarum conſtituunt, cortex nimirum aromaticus, Tanzuc dictus, ex quo paſtilli nomina receperunt, lapis ex cyſtide fellea bouis, euphorbium et gummi guttae, quorum tamen exigua tantum portio prioribus admiſcetur. Ad vſum harum glebarum quod attinet,

o) In Ephemerid. Nat. Curioſ. Cent. I et II Obſ. 179 pag. 384. Conf. quoque Hiſt. Simplic. Reform. Lib. I cap. 1 §. 2 pag. 1. et Muſ. Muſcor. *II Theil 1 Cap. §.* 3 pag. 3 et icon. fig. 3 pag. 1.

p) *In der Amboiniſchen Raritæten Kammer. III Buch 3 Cap. pag. 219.*

q) In Ephemerid. Natur. Curioſ. Vol. I in Append. pag. 126.

attinet, eas in primis tanquam medicamentum alexipharmacum, in omnibus malignis et exanthematicis febribus, immo in ipſa peſte aſſumunt, et tandem, tanquam ſternutatoriam vehementiſſimam medicinam, quae quidem inter Sinenſes maxime in vſu eſt, adhibent. Noſtra gleba odorem moſchi ſpargit, qui vel ipſi terrae ſubſtantiae immixtus, vel cum pigmento externo, vtpote magis rubicundo illinitus eſſe videtur. Facile etiam ex cognita Sinenſium medicina apparet, eius modi ſigillatos paſtillos vario modo fuiſſe compoſitos, et diuerſa ex ſimplicibus ſic dictis medicamentis recepiſſe. Sic enim auctores varias medicas terras recenſent. ANDREAS CLEYERVS [r] terram ſeu lapidem amaro dulcem, *Hium Hoam* dictum, vermibus et venenis vlcerum reſiſtentem, *Hoa Xe* [s] ſiue lapidem album, dulcem, vrinam pellentem. KIRCHERVS [t] vero *Quei Xi* terram mineralem, candidiſſimam, coſmeticam, et alii alias adhuc terras medicinae inſeruientes Sinenſes adducunt. Ipſe etiam ſupra nominatus VAN DER BECK [u] placentulas quasdam Iaponicas deſcribit, quae Catacambra vocatae et barbaris characteribus inſignitae, magnitudinem et craſſitiem nummi Ioachimici aequant, colorem denique ex cinereo flaueſcentem et ſaporem cum terrae Catechu, quem excitat in lingua, ſenſu conuenientem produnt. Nec multum ab hactenus illuſtratis terris recedere videtur lapis Thenſi, de quo LAVRENTIVS BLVMENTROST [x], eum ſatis acriter linguam mordicare, incenſum autem grauem, arſenici inſtar, odorem ſpargere, et in tumoribus doloribusque externis, in aqua ſolutum, applicari, memoriae prodidit.

40. Gleba ſimilis praecedenti, aliis tamen characteribus inſignita.

41. Haec ſolo tantum diuerſo characterum poſitu a prioribus diſcrepat. Huius et praecedentis glebae delineationes olim iam exhibuit KVNDMANNVS, qui alias quoque, ob characteres inſignes, ſed ſimiles caeteroquin terras, ſub nomine terrae Tenſchée delineauit atque deſcripſit [y], e quibus rubra, vt noſtra, ponderoſa ſatis erat, alba vero, quae ſternutationem quam facile excitabat, non tanti ponderis inueniebatur, licet rubram volumine longe ſuperaret.

Ad alias nunc factitias progredimur terras, quae a chemicis per variam metallorum fuſionem praeparatae fuerunt, et aſtrologiam, aeque ac minus rite inſtitutam docimaſiam vt plurimum redolent. Horum ſigillorum patronum ISRAEL HIEBNERVM [z] in primis deprehendimus, qui ex

r) In Specim. Medic. Sinic. in parte, quae inſcribitur, Medicamenta Simplicia Chinenſium. pag. 42. num. 176. Francof. 1682. 4.

s) Loc. cit. num. 156.

t) in China Illuſtrata Part. IV cap. II pag. 206.

u) Loc. cit. pag. 117.

x) Miſcell. Nat. Curioſ. Dec. II Ann. VIII Obſerv. 189. pag 487.

y) Rariora Naturae et Artis Sect. I Artic. 32 pag. 258. 259.

z) In Myſterio Sigillorum Herbarum et Lapidum &c. germanico idiomate conſcripto. Erford. 1696. 4. pag. 140 ſeqq.

ex fuſis cum ſalibus metallis eas praeparandi, et ſignis impreſſis condecorandi artem edocet, et tanquam praeſtantiſſima amuleta commendat, ita, vt ea, quae ex plumbo fiunt, ſaturninis, ex aliis vero metallis praeparata, aliis quoque morbis reſiſtere, affirmare non erubeſcat. Illae, quas hic ſubiicimus, glebae ſimili ratione ex variis ſimplicibus medicamentis compoſitae eſſe videntur.

42. Gleba metallica, ſplendens, ponderoſa, ex nigro cinerea, vtrinque ſigillata, quae ex vna parte ſcorpii iconem, ex altera ſerpentis imaginem ſiſtit, ita, vt haec et ſequens terra ad normam eius, quam ſupra Tab. VIII. 8. recenſuimus, inſtar amuleti adhibeatur. Ex antimonio hanc forte glebam praeparatam fuiſſe opinamur.

43. Binae hic recenſendae ſunt glebae, quae in tabula exhibitam figuram referunt: (α) pallide rubicunda, minor, ſpiculis arſenicalibus ſplendens, (β) lutea, maior, ſpiculis ſimilibus referta. CROLLIVS quidem *Zenexton* PARACELSI exhibuit [a], et inſtrumenti inſimul, cuius ope paſtilli ſigillantur, formam ipſamque maſſam, formandis amuletis ſeu placentulis conſtellatis, vt ipſe has glebas appellat, inſeruientem, deſcribit, capſam denique, in qua dictae hae placentulae recondi debent, delineari curauit. Ex praeſcripta tamen compoſitionis formula noſtras glebas eidem non prorſus ſimiles fuiſſe, ſed diuerſos varias ſibi compoſitiones elegiſſe cognouimus.

44. Gleba ſimilis, tenuis, fuſca. Prior eius facies bina triangula ſibi iuncta refert, quorum vni in angulis tres litterae A, alteri vero D.I.N. inſcriptae, in medio eorum loco malleus eſt poſitus, poſterior deinde numeri 8. ſtella coronati, figuram conſpiciendam praebet.

TABVLA XI.

Declaratae hactenus decem illae, quae terrarum ſigillatarum figuras ſiſtunt, tabulae, glebas continent omnes, quas ſecundum illius, quem nobis elegimus, ordinis normam debita ratione diſponere licuit. Cum vero permultae et elegantes quidem glebae ſuperſint, quae vel ob patriam, locumue, in quo praeparatae fuerunt, incertum, vel, quod poſt ordinatas iamiam priores tabulas nobis demum traditae fuerint, ſua quaelibet loco commemorari non potuerint, omnes eas in hac et ſequenti tabula proponere placuit, ita quidem, vt nullo in iis recenſendis obſeruato ordine, commodam tantum, figuras in tabulis collocandi, rationem ſimus ſecuti.

1. Gleba ex vera terra Melitenſi formata. In hac variae obſeruandae veniunt ſtriae, quae primo quidem intuitu irregulares formas ſiſtere videntur,

a) Baſilica Chymica pag. 237 ſeqq.

dentur, accuratius vero conſideratae crucis octangularis formam exprimunt.

2. Gleba cinerea, bolaris, caput angeli, vt vulgo pingitur, exhibet. Eam RIVINVS Tab. XII. 4. ad Nuceranas terras retulit, quamuis colore ab iis diverſa prorſus inueniatur. Nos vero, dum Nuceranas, ſupra a nobis deſcriptas, terras in Linckiano muſeo perluſtrabamus, Haſelam pagum, in agro Goldbergenſi ſitum, huic terrae, tanquam natalem locum aſſignandum eſſe cognouimus. Ipſam terrae materiem ſi ſpectes, ea ad Bolum V. proxime accedit, in varietatibus tamen ibidem recenſitis nullam inuenimus, quae dictae huius glebae colorem referat, neque in iis, qui Sileſiacas terras pertractarunt, ſcriptoribus ſimilem deprehendimus glebam. SCHWENCKFELDIVS [b] enim, isque ex omnibus forte ſolus, terram ex luteo vireſcentem ad Haſelam pagum reperiri confirmat, quae tamen cum noſtra nullo modo comparari poteſt.

3. Haec gleba Mariam cum infante Ieſu ſiſtit, figura tamen aeque ac ipſae in margine conſpicuae litterae oblitteratae fere ſunt. VALENTINI inter Hieroſolymitanas. 2.

4. RIVINVS Tab. VIII. 12. praecedenti, quoad imaginem, ſimilis.

5. Gleba lutea, arenoſa. Muſ. Spener. pag. 75.

6. Gleba hepatis colorem referens. Muſ. Spener. pag. 74.

7. Binae nobis ſunt glebae: (α) Vtrinque ſigillata, fuſca, margacea, ex vna parte Franciſcum Xauerium, ex altera vero Ignatium Loiolam, celebres ex ordine P. P. Societatis Ieſu ſanctos ſiſtit. RIVINVS Tab. XVIII. 1. eam vna cum Saxonicis propoſuit. (β) Ex vna tantum parte ſigillata, colore ſimilis, iconem Ignatii Loiolae tantum referens.

8. Gleba, quae annunciationem virginis Mariae oſtendit. RIVINVS Tab. VIII. 2.

9. Gleba, in qua agnus Dei expreſſus cernitur. RIVINVS Tab. VIII. 4.

10. Icon ſancti Matthaei, Euangeliſtae, cum angelo ipſi adſtante. RIVINVS Tab. VIII. 1.

11. Sancti Iohannis, Euangeliſtae imago, cum aquila appoſita. RIVINVS Tab. VIII. 5.

12. Icon Chriſti cruci affixi, cum Iohanne et Maria adſtantibus. RIVINVS Tab. VIII. 3.

13. Gleba obſcure rubra, columbae, Spiritus ſancti ſymboli, figuram referens.

14. Gleba vtrinque ſigillata, rubra, denſa, ita vt ex argillacea terra efformata quidem eſſe videatur, attentius tamen perluſtrata ipſa quoque Argilla denſior eſt, et cum ſplendentes aurei coloris particulas immixtas habeat, praepa-

b) Catal. Foſſil. Sileſ. pag. 398.

praeparata tantum et ex ſpiſſiore glutine compacta eſt. Icon quoque ſingularis plane, ex vna parte viri imaginem exprimit, qui genubus flexis ſerpentem baculo circumuolutum quaſi adorat, crucis praeter ea figuram et pectori et fronti impreſſam habet. In altera vero parte gallus caudatus et coronatus, quem baſiliſcum vulgus nominat, in inferiori denique loco et crucis figura et ſcorpio obſeruatur. Ex quibus ſimul ſumtis, hanc glebam factitiis, quales Tab. X. 42. 43. 44. deſcripſimus, terris annumerandum eſſe collegimus.

15. Imago hominis, qui in dextra duos gladios, in ſiniſtra vero manu libram tenet, poſita in margine inſcriptio partim obſcura, partim oblitterata prorſus inuenitur, quoad colorem ſubuiridis eſſe videtur. Muſ. Spener. pag. 77.

16. Haec gleba, non nulla tantum ſi excipias aliter expreſſa momenta, cum praecedente conuenit. RIVINVS Tab. VIII. 14.

17. RIVINVS Tab. VIII. 7.

18. Gleba argillacea, alba, ſubcinerea, in ſuperficie tantum rubro colore tincta, quae vario modo directas lineas oſtendit, inde conuenit cum gleba Tab. IX. 47.

19. RIVINVS Tab. XIX. 10.

20. ALDROVANDVS 20.

21. Gleba Melitenſis vera, ſubrotunda, paululum depreſſa, ſigno crucis condecorata [c].

22. RIVINVS Tab. XIX. 15.

23. Gleba rubra, argillacea, vario modo diſpoſitis lineis notata.

24. Gleba rubra, quae noctuam cum inſcriptione, *TERRA SIGILLATA*, oſtendit.

25. Haec gleba monticulos et frutices, ipſis appoſitos, cum mutila illa inſcriptione, *TERA SIGLATA*, et ſtella ipſis his verbis inferius adiecta, conſpiciendas tradit. Forte Veldenſis eſt.

26. Gleba alba, bolaris, quae cum illis conuenit terris, quas Tab. IV. 28. 29. 30. deſcripſimus.

27. Gleba margacea, pallida, frondis folioſi figuram referens.

28. ALDROVANDVS 28.

29. Gleba rubicunda, bolaris, quae duos monticulos et in ſuprema parte agnum Dei oſtendit. Praeter vocabula *TERRA SIGILLATA*, litterae *R. K.* impreſſae huic terrae inueniuntur.

30. Haec gleba, quae ex bruno rubella eſt, capitis, vitta cincti, imaginem et lauri illud ambientis frondes delineatas ſiſtit.

31. Gleba rubra, bolaris. Impreſſa huic glebae figura quid ſignificet, definire non

c) *Breſlauiſche Sammlungen 20 Verſuch. pag. 600 no. 4.*

non poſſumus, vti et littera R. in vocabulo terra minus accurate poſita deprehenditur.

TABVLA XII.

1. Gleba Sileſiaca, ex nobili Marga confecta, quae, quoad imaginem, cum glebis, in Tab. I. 30. ſeqq. expreſſis conuenit, inſcriptas tamen litteras paulo aliter diſpoſitas exhibet.
2. Gleba Sileſiaca, ſimilis, ex nobili Marga praeparata, magis liueſcens, quam praecedens. Haec in ſigilli ſcuto tres anchoras coniunctas et fortunae, galeae impoſitae, imaginem oſtendit. Inſcriptio in margine poſita maximam partem oblitterata eſt, nec omni quoque cura adhibita melius expreſſam glebam obtinere potuimus, licet id ex amici ad nos transmiſſis litteris cognoſcamus, pharmacopaeum quendam Hirſchbergenſem, *CHRISTIAN*, vt ſatis accurate in gleba notatum inuenimus, nominatum, ſigillo eam condecoraſſe. Vltimae litterae *RIEG* forte Brieg indicant, ita vt is, qui hanc glebam ſignauit, Brigae natus fuiſſe videatur; circa ipſam enim hanc vrbem, quae et mea patria eſt, nulla ſimilis inuenitur terra. Triplicem tamen anchoram vrbis inſignia ſiſtere certum eſt.
3. Hanc glebam WORMIVS pag. 14 luteam dixit, quae inſigni vi ſtyptica et adſtringente praedita, facile liquore diſſolui, et recte inde, quoad vires, cum Sileſiacis comparari potuerit. Vtrinque quidem illa ſigillata erat, vnicam tamen partem tantum delineatam dedit, quae in plurimis cum iconibus Tab. I. 5. ſeqq. reperiundis, conuenire videtur, accuratius tamen conſiderata ſtellas et lunam aliter diſpoſitas habet.
4. Gleba rubra, quoad materiam aeque ac figuram, ad Tab. XI. 29. accedens, hac tantum intercedente differentia, quod maior paulo ſit, et litteras binas inferiores, quae in illa deprehendebantur, impreſſas non habeat.
5. Gleba ex albo carnea, argillacea, denſa, quae fructus cuiusdam, punicae forſitan, imperfectam delineationem ſiſtit.
6. Gleba ex rubro violacea, ex margacea terra formata, cum depreſſa tantum ſit, ob inaequalem formam pro lubitu tantum ficta eſſe videtur. Sigillum, quod ſcutum tribus cygnis ornatum ſiſtit, cum adſcripto vocabulo *ZWICKAV*, vrbis, quae et Cygnaea dicitur, inſignia expreſſa hic eſſe oſtendit.
7. Glebae multae nobis ſunt: (α) violacea, (β) flaua, (γ) ex flauo pallida, (δ) ſubcinerea, quae omnes ex margacea terra praeparatae eſſe videntur, iis tamen accedit (ε) alba, quae Boli indolem habet. Serpens conuolutus, libere quaſi in aere haerens, inferiori loco poſitum bufonem reſpicit. Inſcriptio *TERRA SIGILLATA* inter *I.* et *G.* ſuperius cygni effigiem exhibet, qua Zwickauienſem hanc terram eſſe indicatur.

indicatur. Licet vero permultas, ex hac praefectura defumtas, crudas terras iam ante deſcripſerimus, ex quanam tamen earum diſcrepantes hae quoad colorem praeparentur glebae, determinare non valemus.

8. Gleba duplex: (α) ex albo carnea, (β) alba, ambae ex puriori terra bolari factae, inferius conuexae ſunt, et prout plurimae, ex iis, quae arabicis inſigniuntur characteribus, in inferiori parte acinacem, ſtellam in medio et praeter ea litteras *C. T. M.* ſed minus ordinate expreſſas oſtendunt.

9. Gleba haec litteras *A.* et *M.* florum catena circumdatas et corona ſuperius exornatas ſiſtit. RIVINVS Tab. VIII. 11.

10. Gleba eſt alba, bolaris, cui quinque, diuerſimode impreſſae inhaerent figurae. Inſcriptae ſunt cordi, quod omnibus figurae partibus ineſt, litterae tres *A. I. S.*

11. In hac gleba triangulum maius conſpicitur, cuius angulis litterae *D. A. W.* inſcriptae inueniuntur. Huic triangulo minus, et illud quidem inuerſum, inditum eſt, quod litteram *G.* continet. De hac potiſſimum gleba nobis quaedam exorta fuit dubitatio, an non illa, vna cum binis praecedentibus terris, ad ſigillatas factitias referenda ſit terras, quae circa finem ſeculi decimi ſexti primum innotuerunt, et Panaceae Anwaldinae nomine veniunt [d]. Ex omnibus tamen, quae hunc in finem euoluimus, ſcriptis, nihil certi de natura et compoſitione huius terrae cognouimus, inter arcana enim omni tempore fuit relata.

12. Gleba litteris *H. N.* et cruce duplici notata. Muſ. Spener. pag. 65. 93.

13. Gleba ex albo gryſea, bolaris.

14. Gleba rubra, bolaris, pura, litteris *S. R. M.* inſignita, ita tamen, vt litterae *S.* aliam *I.* iunctam eſſe appareat.

15. RIVINVS Tab. XIX. 5.

16. Gleba parua, quae imaginem hominis obſcure tantum refert, et privati forte ſigillum ſiſtit. RIVINVS Tab. VIII. 9. ad ſacras eam retulit.

17. Gleba parua, fuſca, margacea, ſubtus conuexa, hominis effigiem, in ſcuto expreſſam, galeae vero impoſitum caput bubulum oſtendit. Neque hanc publica auctoritate ſigillatam fuiſſe opinamur.

18. Gleba oblonga, duplici ſed ſimili ſibi ſigillo conſpicua, characteres ipſi impreſſi certo definiri non poſſunt. RIVINVS Tab. XIX. 9.

19. Gleba longa, triplici ſigillo ornata. RIVINVS Tab. XIX. 18.

20. ALDROVANDVS 27.

21. ALDROVANDVS 14.

22. Gleba

d) Inuentor huius panaceae eſt GEORG. am WALD prout nomen eius extat in libello *Bericht und Erklærung wie und was geſtalt das new von Ihm erfundene* terra ſigillata *und Uniuerſal Artzney zu gebrauchen ſey. etc. Gedruckt zu St. Gallen 1582. 4.* Ob ſingulares plane, quas huic terrae adſcripſit, vires, ipſi et ANDR. LIBAVIO, Medico, in terceſſit controuerſia, quae variis minoris momenti ſcriptis anſam dedit. Hanc terram mercuriale eſſe medicamentum autumat. GEORG. HIER. WELSCHIVS in Obſerv. Phyſic. Medic. Hecatoſtea. II. Obſ. 36 pag. 21.

22. Gleba flaueſcens, quam ob inſcriptionem imperfectam et inde obſcuram, absque omni explicatione dimittere cogimur.

23. Haec gleba, cum impreſſum illi ſigillum aliquam cum Noricis Tab. V. 1. inſignibus habeat conuenientiam, Norica vel Veldenſis eſſe videtur.

24. Gleba argillacea, cinerea, ſtylo magis exarata, quam ſigillo impreſſo notata, foeminae caput conſpiciendum praebet.

25. Gleba argillacea, pura, pallide cinerea, ex Argilla III. 1. efformata. Haec vero terra, dum lauatur, et ad ſigillum recipiendum praeparatur, colorem mutat, et efferueſcendi modum, qui in gleba cruda euidenter obſeruatur, prorſus fere amittit, idque eam, vt videtur, ob rationem, quoniam particulae illae, quae inteſtinum cum acidis motum producunt, per lotionem ex terra exſoluantur, vel ob denſiorem redditam glebam ſua priuentur efficacia. Ipſum vero ſigillum quod attinet, illud duos monticulos et, vt nobis videtur, Iacobi de Küner, mercatoris Memmingenſis, qui agrum, ex quo haec terra effoditur, poſſidebat, inſignia inter colles poſita exhibet. Inſcriptio et auctoritate caeſarea hanc terram impreſſam fuiſſe, et prope Memmingam, Sueuiae oppidum, ad locum, Künnersberg dictum, effoſſam fuiſſe docet. Ipſa vero terra a Phyſicis Memmingenſibus diſquiſita et ſignata fuit. Cum vero fons medicatus eo loco, vbi haec eruitur terra, fuerit detectus, eius forte et terrae vlteriorem deſcriptionem proxime percipiemus.

26. Gleba argillacea, pura, ex rubro pallida, quae prope Hubertsburgum in ſylua vicina inuenta fuit. Impreſſum ſigillum, quod duas litteras *F.* coniunctas ſiſtit, nomen inuentoris de Fürſtenhof indicat.

27. Gleba Iohannis III. Regis Poloniarum lauro coronatam effigiem exprimit, et ex terra argillacea, obſcure rubicunda formata eſt, ita tamen, vt ab admixtis glutinis cuiusdam partibus, compactiores et nitidiores inde glebae euaſerint. Comparaui eandem cum Magnipluſnicenſi in Tabula III. 12. notata, illius vero color pallidus magis eſt. RIVINVS Tab. XXI. 4. 5. Michaelis, Regis Poloniae, et Eleonorae Mariae, Reginae Poloniae, imagines ex ſimili forte terra formatas propoſuit, quae tamen ad manus noſtras non peruenerunt, licet permultae aliae diuerſimode ſigillatae adſint, quae omnes, eum in finem hanc terram praeparatam fuiſſe arguunt, quo varia nitide elaborata ſigilla eidem imprimi potuerint. Nos hanc et ſequentem ſpeciminis loco adduximus.

29. Gleba ſimilis praecedenti, aram ſiſtit, libro et corde eidem impoſitis, conſpicuam, et Jehouae, vt pingi ſolet, nomine irradiatam, a latere arae ex vna parte herbae florentes et pala, inſtrumentum, quo terra vertitur, ex altera parte ſpicae cereales cum falce meſſoria, vna cum lemmate illo, *ORA ET LABORA,* exarata inueniuntur.

29. Glebâ Melitenſis eſt, in vna parte Iohannem cum agno Dei, in altera vero nauem Melitenſem oſtendens. WORMIVS pag. 8. VALENTINI inter Melitenſes 1.

30. Gleba ſimilis, quae Eremitam in ſpelunca ſubterranea, Chriſtum cruci affixum adorantem, exhibet, in auerſa parte nauis quoque Melitenſis, eiusdem, vt praecedens, figurae inuenitur. WORMIVS pag. 8. VALENTINI inter Melitenſes 2.

31. Gleba ſphaerica, depreſſa, ex Melitenſi vel eidem ſimillima terra praeparata, quae characteribus, obſcure admodum adumbratis, inſignitur.

32. Gleba Melitenſis, libri figuram referens, cui litterae *S. P.* cum ſerpente, in memoriam forte ſancti Pauli, ſunt impreſſae. Hanc terram BESLERVS in Gazophylacio et poſt eum VALENTINI in Muſ. Muſeor. P. I. pag. 1. delineatam dederunt.

Perfecimus itaque, qui delineatas in tabulis noſtris terras illuſtrat, commentarium. Nec plura nunc dictis de ſigillatis terris animaduertendi defuiſſet occaſio. Ita enim illae Melitenſium glebarum icones, quas KVNDMANNVS nobis communicauit, et Vratislauienſes in tentaminibus ſuis propoſuerunt[e], ſimul cum aliis, a noſtris tamen, quas recenſuimus, terris vix diſcrepantibus declarari adhuc potuiſſent. Et Arabum quoque ſignis notatae ſuperſunt glebae, quae vno alteroue litterarum ductu, ab Arabicis illis, quas nominauimus, terris differunt, aliae deinde, quae factitiae, principum et illuſtrium virorum imagines referentes, cum Tab. XII. 27. et 28. conueniunt, quaedam denique ſigillis, quorum auctores ignoramus, notatae occurrunt glebae, quae tamen oblitteratae prorſus ne diuinando quidem erui potuerunt. Has vero omnes, cum notatu vix quidquam dignum oſtendant, vel ob corruptas per vetuſtatem figuras, aut ſimiles, iamiam in tabulis noſtris expreſſas, imagines nouam differendi materiam non praebeant, intactas in praeſenti relinquimus, et glebas, aliqua ſaltim ratione ordinatas, absque vlteriori deſcriptione, ſuis, quos obtinent, loculis committimus.

Ad plerasque eas quod ſpectat terras, quae noſtris demum temporibus effoſſae, ob bonitatem medicinae loco adhiberi poſſunt, iis ſigilla impreſſa non inueniri animaduertimus. Praeter eas tamen, quas paulo ante nominauimus, glebas, nunc, dum in opere typis exſcribendo occupati ſumus, bina adhuc ſe offerunt terrae ſigillatae exempla, quae licet in tabulis exarata proponi non poſſint, breuiter tamen indicanda ſunt.

1. Marga vel Lithomarga Laubanenſis, quae in orbiculos formata impreſſum habet ſigillum, quod in ſuperiori parte duas decuſſatim poſitas claves,

e) *Breſlauiſche Sammlungen. 20 Verſuch pag. 600. ſeqq.*

ves, in inferiori vero montis effigiem oſtendit, cum inſcriptione, *TERRA SIGILLATA LAVBAN.* Color huius terrae varius, ruber, gryſeus, virideſcens vel albus indicatur [f], crudam vero eam nondum ipſi conſpeximus, ſed ſigillatam tantum rubram, bolarem, puram, minus vero accurate expreſſam glebam obtinuimus.

2. Gleba ſigillata Margliſſenſis, quam cum praecedente ex Luſatia accepimus, haec ſtellam cum luna ſiſtit, addita inſcriptione, *TERRA SIGILL. MARGL.* Cruda terra Margam exhibet, ex luteo partim in album, partim in viridem vergentem colorem.

Non eſt vt multa impoſterum huic capiti ſubnectenda eſſe putemus noua ſigillorum ſpecimina, ſi enim dicendum quod res eſt, illos, qui medicatis terris inueniendis laborem impendunt, melius longe aliorum commodis inſeruire iudicamus, ſi crudas easdem, non vero ſigillatas exhibeant atque diuulgent, facilius enim iniuſtae illae, quas lucri cupidi in terris quoque adulterandis committunt fraudes, in cruda magis, quam ſigillata gleba deteguntur.

f) Vid. libellum, cui titulus: *Arbeiten einer vereinigten Geſellſchafft in der Ober-Lauſitz. 2 Stück Obſerv. 2 p. 15.*

CAPVT

CAPVT V.
DE TERRIS PHYSICE CONSIDERATIS.

Nunc ea quidem, quae noſtri operis ratio exigebat, peracta iam eſſe videntur. Terrarum namque hiſtoria, vt ex ampliſſimo glebarum Muſei Regii apparatu fieri potuit, in ſtabilitis a nobis generibus adumbrata, per ſubnexas iisdem ſpecies et varietates, quas in ampliſſima non ſolum terrarum crudarum recenſione, ſed in numeroſa quoque glebarum ſigillatarum enarratione declarauimus, magis adhuc illuſtrata fuit. Cum vero hiſtorica terrarum conſideratio non raro ad mixtionis modum et ad ipſam earundem intrinſecam naturam nos duxerit, varia, ad hoc prae reliquis caput pertinentia, hactenus explicatis inſerta iamiam inueniuntur momenta, quae, licet diſperſa admodum ſint, aliis tamen, quae occurrunt, phaenomenis iuncta, de ortu et mutationibus terrarum diſquiſitioni commodam praebent occaſionem. Haec itaque, non penitus negligenda, phyſicae cognitionis fundamenta in vnum hic locum congerere et ordinata intimius paullo rimari operae pretium eſſe duximus, non amplam quidem et omnibus numeris abſolutam, ſed leuiter tantum delineatam, huius tractationis ideam exhibentes.

Nec eſt, quod multa eaque limata ſatis hac in re promittamus: cum enim, praeter id, quod breuitatis inſimul habenda ſit ratio, phyſica corporum cognitio, vt in plerisque, ſic etiam in capite de terris, tantis obnubilata ſit tenebris, vix quidquam, quod naturae indagatorum aſſenſum promereri queat, in medium nos prolaturos ſperamus. Siue enim ipſam, in terrarum mutationibus operantem, naturam contemplari, vel docimaſtico, vt dicunt, examine inſtituto eam imitari et perficere intendamus, vix ſuperanda vbique reperiuntur impedimenta. Saepius iam nominatos

in

in antecedentibus auctores ſi conſulas, parum de iis, quae geneſin et reliquas terrarum mutationes explicant, phaenomenis notatum reliquerunt, nos vero ipſi aliis, quae artem noſtram concernunt, intenti doctrinis, pauca tantum colligere potuimus; cum tamen non ſolam glebarum, ex loco natali iam erutarum, ſed cuniculorum inſimul et integrorum terrae ſtratorum indagationem, ad propriam iis naturam cognoſcendam, requiri, pro comperto habeamus. Inſtitutam inſuper eius modi conſiderationem, ſi caſui fortuito et priuatis tantum quorundam laboribus relinquitur, nec in pluribus regionibus, earumque diuerſis partibus, ſuperiorum iuſſu et regiis fere ſumtibus ſuſcipiatur, ſero nobis tales ſuppeditare obſeruationes, e quibus certa deduci poſſint conſectaria, affirmare non dubitamus.

Similia et iis forte maiora, in docimaſtico terrarum examine, ſeſe offerunt obſtacula. Terrae purae et ab admixtis prorſus liberatae raro inveniuntur, ita, vt per ſuſceptam chemicam glebarum diſquiſitionem vix vnquam ipſa natura et indoles terrae, ſaepius tamen admixta alia mineralia detegantur. Et haec quidem admixta cauſſa ſunt, vt inſtituta, ad declarandam terrarum naturam, experimenta adeo dubia euadant. Eas enim illa terris tribuunt proprietates, quas per ſe nunquam exhibuiſſent, et producta, per calcinationem et vitrificationem quae impetramur, tales ſubeunt mutationes, quas hac ſub forma neutiquam ſuſtinuiſſent, niſi aduentitium quid, eſſentiam ipſam, ſiue, cum veram eius mutationem concedere non poſſimus, particularum minimarum indolem quaſi obuelaſſet. Ignis deinde, qui diſquirendis glebis applicatur, gradus ita non ſemper, vt par eſſet, notari poteſt, cum tamen certum ſit, quam quod certiſſimum, auctam ſucceſſiue ignis vim alia aliaque nobis oſtendere phaenomena, quae accurate admodum inſtituta experimenta et prouenientes ex iis concluſiones eludunt ſaepius ac dubias reddunt. Si vero terras vno quaſi impetu, et ſummo, quem efficere poſſumus, ignis gradu exagitamus, plenariam potius deſtructionem, quam veram earum, et detegendae naturae conuenientem, reſolutionem expectare licebit. Omnibus tandem, quae chymicam terrarum diſquiſitionem retardant, impedimentis illud quoque detrimenti accedit, quod abſonae ſaepius et omni veritatis ſpecie deſtitutae aſſumtae atque defenſae fuerint opiniones, vt in refellendis magis falſis auctorum ſententiis, quam in veris et recens demum detectis inuentis proponendis, occupati eſſe poſſimus, vti de auro et argento, e terris eliciendo, ſaepius a nobis fuit obſeruatum.

In hac itaque rerum cognoſcendarum obſcuritate et inde pendente difficili earum explicatione, cum plenariam atque perfectam terrarum notitiam nobis acquirere nullo modo poſſimus, aliquam forſitan et eam qui-

dem diſtinctam earundem percipiemus ideam, ſi ſingula, quae in iis examinandis animaduertimus, phaenomena, et per rationem inde deductas concluſiones, ſequentem in modum proponamus. Praemiſſis iis, quae de terra primigenia ſiue elementari, a qua, tanquam a rerum primordio, ad compoſita corpora progredi haud poſſumus, moueri adhuc poſſent dubitationibus, modum, quo terrae ex aliis deſtructis corporibus producuntur, explicabimus, in eo vero declarando ad lapidum in primis in terras mutationem et terrarum in lapides tranſitum reſpiciemus. Cum vero ex mirabili hac corporum mutatione, verae illae minerales dictae terrae, quas in genuinas et dubias diſpoſuimus, ſuam ducant originem, earum geneſin accuratius paullo eum in finem perluſtrabimus, quo genera, a nobis ſtabilita, inde eo magis confirmentur, et commoda inſimul ad naturalem terrarum methodum conficiendam ſternatur via. Terrarum denique, quas puras vix vnquam reperiri ſupra iam monuimus, cum aliis rebus combinationem, et admixta iis detegendi rationem, breuiter tantum enarrabimus.

Ex iis, quae in prima operis noſtri parte de terra elementari ſeu prima, ex BECCHERI potiſſimum ſententia, commemorauimus, dubias tantum atque incertas de prima hac corporum materia, eorumque ex illa origine in medium proferri poſſe opiniones, ſatis et abunde pateſcit. Et illud praeter ea chaos, ex quo, ſummi et omnipotentis Numinis iuſſu, omnia et illa in primis, quae globum noſtrum terraqueum conſtituunt, prodierunt corpora, tantis certe premitur difficultatibus, quantis et ille modus, ſecundum quem terra aeque ac vulgo ſic dicta elementa in varias vel inorganicas maſſas vel organica corpora coiuerint, et denſis quidem tectus deprehenditur tenebris, in quarum caligine oberrantes id ſaltim cognoſcimus, terreas particulas omnium, quae prodeunt, corporum baſin quaſi et fundamentum conſtituere, et ex iis iterum reſolutis terram, nulla arte deſtruendam, remanere, terreas vero haſce moleculas nunquam otioſas quieſcere, ſed poſt reſolutionem et ſeparationem ab iis, cum quibus hactenus cohaeſerant, particulis, denuo cum alius indolis partibus, ab operante in corporum mutationibus natura, coniungi et in noua ſemper mixta vel aggregata diſponi, prout nimirum ſucceſſiuae generationis et deſtructionis viciſſitudines id exigunt. Terram hanc elementarem, ex diverſis quoque corporibus eductam, in omnibus tamen, quas ſubit, mutationibus propriam ſibi indolem omni tempore retinere, et nunquam in ſua eſſentia mutari, haud improbabile eſſe videtur; licet et hic fateri cogamur, nos in omnibus mixtorum corporum reſolutionibus non ad veram ſemper elementarem terram pertingere poſſe, ſed cum BECCHERO differentiam terrae primae, quae reſolutionem, in minima penetrantem, non admittit,

admittit, denique aſſumendam eſſe. Haec vero dubios nos ſemper relinquit, vtrum veram primae terrae differentiam inuenerimus, an vltimae potius, aliis, ſic dictis, corpuſculis elementaribus adhaerentes, moleculae minimas terrae particulas aliter fingant. Cum enim in his extremis diſquiſitionis limitibus, tenuiſſimi tandem, nec microſcopii ope vlterius diſcernendi, halitus obſeruentur, fieri non poteſt quin attentus quoque rerum indagator falſa ſaepius pro indubitatis aſſumat, et ab illa inde, quam noſſe cupit, rerum natura eludatur.

Quodſi vero et primae huius terrae indoles, quam in medio in praeſenti relinquimus, certis quoque experimentis declarari poſſet, terram quidem, creatis corporibus immixtam, minime vero eam cognoſceremus, quae in diuerſi generis ſtrata diſpoſita, tanquam communis rerum creatarum mater ſe gerit, easque ſuſtentat, nec iudicare inde poſſumus, vtrum haec ſtrata, et quaenam ex his, a mundi creatione eam, quam produnt, indolem habuerint, an illa mutationibus potius, quae in globi noſtri ſuperficie contingunt, adſcribenda ſint. Sic enim particulares regionum quarundam inundationes et promanantes ab iis effectus, non raro ſtupendos, litteris conſignatos legimus, neque minores ab vniuerſali illo, in ſacris litteris indicato, diluuio deducendi erunt; ea vero, quae phyſici paſſim de iis dixerunt [g], quae de ignis ſubterranei, in mutanda corporum ſuperficie, virtute protulerunt [h], quae de montium denique et diuerſis inde obortis terrae ſtratis memoriae prodiderunt, omnia tanta adhuc obſcuritate laborant, vt ab effectibus ad cauſſas regredi haud valeamus. Non enim, quo usque demum progreſſi fuerint ſolertes naturae ſcrutatores, ad intima terrae viſcera peruenerunt, ſed externam tantum eius perluſtrarunt cruſtam, quae tamen, ob accedentes plerumque cauſſas, varias ſemper acquiſiuit formas et quotidie adhuc mutatur.

Nolumus equidem ea in praeſenti commemorare diuerſorum ſtratorum exempla, quae in montoſis locis deprehenſa, a variis auctoribus recenſentur [i], illa namque ſingularibus forte, quae ſuperficiem terrae mutarunt, cauſſis tribui poſſunt: eam tamen ſtratorum terrenorum varietatem et ordinem, quem BERNHARDVS VARENIVS [k], in depreſſa quadam et aquis ſemper ſubmerſa regione, accurate ſatis obſeruauit, notare liceat. Ipſa vero auctoris, a variis iamiam repetita, verba eum potiſſimum in finem apponenda erunt, quo in ſequentibus demonſtrationis loco ea adhibere queamus: ita ille: *Cum Amſtelodami aliquando ad puteum faciendum effoderetur*

g) Vid. Three Phyſico - Theological Diſcourſes by IOHN RAY London. 1721. Diſcours 2 cap. 5 pag. 207.

h) Vid. ANTON. LAZZARO MORO dei Croſtacei Libr. II paſſim.

i) Conf. MORO loc. cit. paſſim in primis cap. 20 pag. 334 ſeqq. et varii dicto loco nominati auctores.

k) In Geographia Generali. Ienae 1693. 8. pag 79.

deretur terra vſque ad ducentorum et triginta duorum pedum profunditatem, hae ſpecies terrarum oblatae ſunt: Hortenſis terrae pedes ſeptem, nigrae, ad ignem nutriendum aptae, quam vacant Torff, (neque enim ſunt ceſpites proprie loquendo) pedes nouem, argillae mollis nouem, arenae octo, terrae quatuor, argillae decem, terrae quatuor, arenae, ſuper qua ſolent domus Amſteloda-menſes fiſtucari, pedes decem, argillae duo, ſabulonis albi quatuor, ſiccae terrae quinque, turbidae vnus, arenae quatuordecim, argillae arenariae tres, arenae cum argilla mixtae quinque, arenae marinis conchulis mixtae quatuor, deinde fundus argillae ad centum et duorum pedum profunditatem, deinde ſabulo triginta pedum, vbi foſſio deſiit. Haec vero ſingularis certe obſeruatio, licet octodecim ſtrata, inter quae pleraque peculiaris cuiusdam inundationis veſtigia produnt, accurate ſatis emenſa oſtendat, tamen cum ſingularis tantum ſit, ad generalem quandam terrae mutationem, vt concludamus, non ſufficit.

Cum itaque, vt ex dictis huc usque apparere arbitramur, fruſtraneum ille ſuſciperet laborem, qui ex omnibus iis, quas nunc de terra prima retulimus, ſententiis, certi quicquam de diuerſarum terrarum origine colligere vellet, ipſa potius natura, qua ratione in corporum geneſi eorumque deſtructione terreas partes aliis iungat, vel ex earum nexu dimittat, diſpiciendum eſt. Id, quo in exemplo addiſcatur, antea quam de lapidum in terras tranſitu verba faciamus, eam, quae plantis et animalibus ineſt, terram paucis perluſtrare animus eſt. Licet enim humus et reliqua ei ſimilia corpora non genuinae terrae ideam exhibeant, ſed ſpuriis tantum a nobis annumerata fuerint, illae tamen, quae vegetabilibus aeque ac animalibus inde contingunt, mutationes, praeter id quod nobis obuiae ſemper ſint, in reliquis quoque genuinis terris conſiderandis adiumento eſſe poterunt.

Semina plantarum ita conſtructa inueniuntur, vt, cum prima futurae plantae rudimenta in ſe contineant, per attrahentes poros ſuccos ex terra ſuſcipiant, illosque ita digerant atque perficiant, vt in nutrimentum, incrementum et firmitatem plantae cuilibet conuenientem impendi queant. Succi vegetabilia nutrientes, tam per radicem ex terra, quam per omnem plantae, foliorum in primis, ſuperficiem ex aere accepti, moleculas quidem terreſtres puras non continent, ſalinae potius et oleoſae, mediante aqua intra plantae vaſa deductae partes, terram elementarem admixtam habent. Per continuatam deinde plantarum perſpirationem ſalina et oleoſa, longe tamen puriora et ſubtiliora reddita, principia expelluntur, inertem vero vel fixam magis terram in planta relinquunt, eam in lignoſis illis fiſtulis ita diſponunt, vt firmum inde robur, quo aeris iniuriis reſiſtere poſſint,

poſſint, plantae acquirant. Ne vero credas arborum ligna, vel quicquid etiam lignoſi in partibus earundem mollioribus et puſillis quoque plantis deprehenditur, ex ſola illa inerti terra efformata eſſe, intermedium inſimul gluten attendendum eſt, quod ex aquoſis, oleoſis et ſalinis partibus compoſitum, terreſtres moleculas inter ſe nectit, et quod, vt ligna carie exeſa, deſtillatio et incineratio vegetabilium ſatis ſuperque demonſtrant, maximam firmioris, quae plantis ineſt, compagis partem conſtituit.

Ad controuerſiam quod ſpectat, quae inter phyſicorum non nullos de terreſtri illa, per ſuccedentem vegetationem in plantas introducta, materie diu multumque agitata fuit, ex hactenus adumbrata vegetationis hiſtoria eam forte diiudicari poſſe opinamur. Illa inſuper, quae poſt HELMONTIVM primus ROBERTVS BOYLEVS[l] inſtituit, experimenta, terram, in qua plantae nutritae et ad inſigne quoddam pondus adauctae fuerunt, mole ſua non diminutam fuiſſe abunde oſtendunt, ita, vt ab aqua tantum affuſa laetum illud plantarum incrementum proueniſſe videatur, quae quidem ſententia inde magis adhuc confirmatur, quod aliae obſeruationes magnam aquarum molem in plantam duci et perſpirationis ope iterum diſſipari oſtendunt [m]. Gratum hoc plantis nutrimentum, WOODWARDO optime animaduertente [n], peregrinarum et ita quoque terreſtrium molecularum copiam admixtam habet, vt tempore intercedente ex ſola affuſa aqua inſignis earum numerus in plantam deferri et fixae terreſtres partes eidem hac ratione communicari poſſint. Et ipſe deinde BOYLEVS, aliis in locis, vbi de vegetatione agit, vel vbi aquam in terram mutari defendit, et terram elementarem conſiderat, eandem fere nobiscum fouere videtur ſententiam [o].

Licet vero limoſas vel ſabuloſas terrae ruralis partes a patulis plantae poris ſugi poſſe negemus, ſalinis tamen et oleoſis, in ea contentis, partibus admixtas terreſtres moleculas, dum ad perſpirationem ineptae prorſus ſunt, in ſolidiores maſſas compingi, et abundantem vegetabilium ſenſim ſenſimque collectam praebere terram affirmare non dubitamus. Neque bulboſae illae, quae ſola aqua enutritae, flores emittunt, plantae huic ſententiae contrariantur. Denſae namque et ſolidae admodum earum radices, copioſam continent mucilaginem, quae tenax et viſcida, terreſtres,

l) Vid. the Philoſophical Works abridged Vol. III the ſceptical Chymiſt. Sect. II pag. 285.

m) Vid. DE LA HIRE in Acad. Reg. Scient. Ann 1703. Hiſt. pag. 3. Memoir. pag. 77. 78. et STEPHAN HALES Vegetable Statick Cap. I Exper. 1 ſeqq. Lond. 1738. 8.

n) Philoſophical Tranſactions numb. 253. Obſerv. 2 pag. 193 ſeqq.

o) Vol. I. The Origin of form and qualities Sect. VI pag. 249. Sect. VII pag. 265. Vol. III. Experiments and Obſeruations upon the producibleneſſ of Chymical principles. Sect. VI p. 448.

ſtres, ad plantae integritatem facientes, partes ſuppeditat, ex quo euenit, vt poſt emiſſa folia, et genitum florem exſucca radix et omni mucilagine orba inueniatur.

Sed ad animalia tranſeundum nunc eſt. Haec enim in eo cum plantis conueniunt, quod terrenas copioſas partes in ſe recipiant, et ad ſolidas inde partes confirmandas varia ratione diſponant. Veſcuntur autem vel ſolis vegetabilibus, vel aliis animalibus, vel ex vtrisque ſimul nutrimentum ſuum capiunt, hinc multas quidem terreſtres partes vna cum cibis aſſumunt, earum tamen pleraeque in inteſtinorum canali foecibus admiſcentur. Subtilior vero ex alimentis educta et vaſis ad nutriendum inde corpus tradita pars, pura admodum eſt, ita, vt chylus, ſanguis et lympha, ſalina tantum, oleoſa atque aquoſa, ſibi inuicem iuncta prodant principia, quibus terreſtres quaedam partes adhaerent vel immixtae potius inueniuntur. Ad minima vero deducti nutrientes humores, ope caloris interni et aliarum, quas nunc tacemus, cauſſarum vlterius elaborantur, et ita quidem perficiuntur, vt ſalinae et oleoſae, ſubtiliores redditae, partes cum aquoſis perſpirent, terreſtres vero exſolutae atque relictae moleculae, firmioribus adhaereant partibus, et minimam corporis animalis ſolidam fibram et duriſſima oſſa conſtituant. Alia praeter ea particularum terreſtrium in corporibus animalium obſeruatur geneſis, quae praeternaturalis eſt et calculoſam, in variis partibus natam materiam, vel tophaceum, articulis potiſſimum inhaerens, concrementum ſiſtit. Sed haec, cum ab inſtituto nos deducant, nominaſſe tantum ſufficiat, illud tantum in praeſenti repetimus, quod de lignis vegetabilium paullo ante monuimus, non omnem nimirum ſolidam animalium partem ex terra ſimplici ratione conflatam eſſe, ſed intermedio illo, ex ſalinis, oleoſis atque aquoſis partibus compoſito, glutine terrea illa principia contineri, ita, vt oſſa carie demum exeſa, vel calcinata aut deſtillata priſtinam ſuam formam relinquant, et conſumto his modis omni illo, quod ea firmauerat, glutine in terram inertem fatiſcant.

Cum igitur quotidiana experientia nos doceat, vegetabilia aeque ac animalia per putredinem et alios deſtructionis modos, in conſtituentes illa partes iterum reſolui, multae quidem, e nexu hac ratione turbatae et volatiles factae particulae in auras abeunt, aliae vero, terrenae in primis, et quae illis adhuc adhaerent, non ſatis leues redditae, vel in reſidua maſſa permanent, vel auolantes quoque denuo praecipitantur, et cum ſabulo, limo aliisque particulis remixtae, terram ruralem ſeu humum conſtituunt. Humus itaque, quoad maximam quidem ſui partem, ex terra inerti conſtat, quae baſin tantum et fundamentum plantarum radicibus praebet, magis

tamen

tamen perfecta euadit, ſi bonae et nutritioni plantarum aptae particulae eidem miſcentur. Non vero ſatis explicari poteſt, quantus ſit ille particularum circulus, quo exhalans terra multas earum aeri tradit, quae a ventis aliisque cauſſis praecipitatae eidem denuo redduntur et fertilitatem ipſi conciliant, ita tamen, vt terra inculta, inſtituenda non nunquam ex agriculturae legibus praeparatione indigeat, ſi fertilem eam habere velis. Alia enim per ſe ad producendas omnis generis plantas apta iam ſatis deprehenditur, alia contra, dum aratro vertitur, et fimus, cineres, calx viua et margaceae denique terrae eidem admiſcentur, ita demum perficitur, vt largiſſimos tandem adhibiti laboris promittat fructus.

Quanta praeter ea ſit terrae ruralis diuerſitas, neminem latere arbitramur, qui vel obiter tantum locorum, in regionibus diuerſis differentiam perſpexit, et fertiliores ſaepius agros ſterilioribus paſſim immixtos eſſe cognouit. Haec in hiſtorica parte, cum non figendi ſatis ſint varietatum limites, breuiter modo indicauimus, ſimulque per agriculturam modos nobis innoteſcere monuimus, quibus naturae in reſolutione et noua corpuſculorum miſcela, indeque expectando largiori plantarum prouentui, ſuccurri queat. Partim enim ipſa corporum deſtruendorum copia, partim apta terrae ſterilis ad fertiles partes ſuſcipiendas diſpoſitio opus hoc adiuuat. Prius ſi ſpectes, illa certe regio, in qua corpora multa vegetabilia et animalia deſtruuntur, iterumque terrae gremio committuntur, prae reliquis fertilis erit, quoniam apta nutritioni plantarum materia ipſi hac ratione ſuggeritur. Alterum ſi conſideres, quae ſibi relictae vix fertiles erant terrae, dum debito modo inter ſe combinantur, ita perficiuntur, vt largam nutritiarum particularum copiam ſuſcipere, digerere et plantis iterum communicare poſſint. Vnde et eſt, quod hominum induſtria ad fertilitatem terrae conciliandam haud parum adiumenti afferat.

Licet vero operoſo incolarum labore deſtituta terra inculta fere et ſterilis plerumque maneat, interdum tamen, ex ſolo naturalium cauſſarum concurſu, ſed parcior illa, oriri videtur fertilitas. In Africae ſeptentrionalis littoribus integros terrae tractus vidi, vbi aqua marina ſubducta ſabuloſa et ſicca littora reliquerat, quae vero intra quadraginta, et quod excurrit, annos fertilioris terrae faciem aſſumſerant. Animalium namque et vegetabilium deſtructorum puluis, qui primas terrae moleculas exhibuerat, ventis exortis, ex aliis locis in hanc regionem delatus; aquâ deinde marina fluctibus commotis huc vſque deducta et quoddam inde ſedimentum deponens; tenuis denique ex montibus vicinis varias per cauſſas in dictum hunc tractum deportatus limus, ſabuloſam terram ita impraegnarunt, vt quaedam plantarum ſemina radices in ea agere potuerint. Ab his,

his, continuo agentibus cauſſis, maior quotidie terreſtrium particularum copia allata fuit, pluuia vero et ros, ex vicinis locis, in quibus copioſe creſcentes plantae multum ſemper perſpirant, peregrinis particulis abundans ad plantarum, in ſteriliori hoc loco creſcentium, nutritionem plurimum contulere. Ipſa tandem hic nata vegetabilia et inſecta varia, quae putredine corrupta et reſoluta fuerunt, vberiorem, qua terra fertilis redditur, ſuppeditarunt materiam. His autem et ſimilibus terris maior adhuc accederet fertilitatis gradus, ſi aqua debita ratione irrigentur, et fimus ſterilibus locis admiſceatur, id quod agrorum, olim foecundorum, nunc hiſce deficientibus cauſſis, in ſteriles facta mutatio abunde probat. In aliis enim eiusdem Africae prouinciis deſerta varia inuenimus loca, quae ſabuloſam non nihil limoſam, nunc ſterilem prorſus, oſtendebant terram, quae tamen, vt in monumentis, lapidi inciſis, legimus, foecundiſſima olim vegetabilium extitit mater.

Magis vero apta ad augendam terrarum fertilitatem generatur materia, ſi reptatrices graminis in primis et arundinacearum plantarum radices turiones copioſos emittant, fibris ſuis inter ſe inuicem implicentur, et aqua circa illas ſtagnante putreſcant. Oritur hac ratione ſolum illud vliginoſum, dum vernali et autumnali tempore aquae eius ſtrata tegunt, et immotae in iis haerentes in putredinem inſimul abeunt. Requiritur equidem ad dictam hanc terrae mutationem perficiendam, aquarum acceſſus, non vero fluminum rapiditate eo adduci, ſed ſtagnando tantum in ſolo colligi debet. Ex vna enim parte fota ſolis calore aqua obnoxias putrefactioni partes magis penetrat atque reſoluit, ex altera vero nulla aqua adeo pura deprehenditur, quin oleoſo ſalina iuncta contineat principia, quae, dum ſubtiliores aliae in auras auolant, in eam, cui inhaeſerat, terram deponit, eademque, ſe iterum ſubducens, ibidem relinquit.

Mutata paululum apparet ſtratorum facies, ſi terra talis vliginoſa, non nihil bituminoſa et inflammabilis fit, tunc enim denſius inter ſe coagmentatae radices ſolidam quaſi maſſam conſtituunt, et pinguis quodam modo et argillacea admixta terra, ex vicinia forte bituminoſos recipit vapores. Id enim, quod de Turfi natura ac differentiis [p] et de ligno foſſili [q] in terris ſulphureis recenſendis animaduertimus, iam ſatis indicat, terream earundem partem, licet per ſe pabulum igni non praebeat, baſin tamen atque matricem conſtituere, in quam inflammabiles partes ſuſcipi et igni deinde nutriendo aptae in ea euadere poſſint. Et in his quoque terris elaborandis aquarum miniſterio prouida vtitur natura, quamuis enim pauciores forte inflammabiles partes ex aqua putrida elici poſſe concedamus, aquae

p) Cap. II pag. 74. Cap. III pag. 173.

q) Cap. III pag. 169.

aquae tamen humiditas alium vſum, terrae nimirum praeparationem et macerationem, praeſtat, quo in eandem, poroſam hac ratione factam et ab aqua, vt menſtruo, iterum liberatam, ſulphurei halitus intimius penetrare poſſint. Nec Turfum ſine aquae adiumento efformari poſſe SCHEVCHZERI [r] confirmat obſeruatio, ille enim in montoſis quidem locis ſtrata turfacea deprehendi aſſerit, ita tamen, vt in alpinis tantum, ſufficienti aquae copia irroratis, pratis illa inueniantur.

Quodſi vero aquae variis de cauſſis haec ſtrata ita derelinquant, vt ſicca magis inde fiant, vlterior ſulphureo-bituminoſi principii euolutio obſeruatur. Acidi namque vapores in mucidas et oleoſas penetrant partes, et licet non ſemper verum ſulphur producant, bituminoſam tamen et inflammabilem ſui partem, id, quod ex ſalis vitriolici et pyritis atramentoſi, in eius modi ſtratis deliteſcentis, praeſentia colligimus, inter terrae mollioris poros diſpergunt. Neque argillacea illa terra, quae ſaepius his ſtratis adhaeret, et omnes fere inflammabiles terras cingit, obicem ponit, quo minus per poroſam admodum, quae in vicinia poſita eſt, arenam generati in ſubterraneis locis vapores aſcendere, et in terras ipſas ſeſe inſinuare queant. Quando tandem ab hiſce vaporibus terra exſiccatur, Vmbra ſic dicta inde enaſcitur, quae vel ipſa adhuc inflammabilis atque arida eſt, vel ob inflammabile principium admiſtum ſubpinguis euadit, et aquam, ſi forte denuo accedat, reſpuit. In Vmbrae tamen conſideratione quaedam inſimul annotanda occurrit differentia, vel enim leuis illa eſt, quae ex vegetabili magis et corrupta terra prouenit, vel durior et ponderoſa admodum inuenitur, idque ob argillaceam, pinguem, aut limoſam, quam admixtam habet, terram.

Haec de terris, ex vegetabilium et animalium corruptione oriundis, dixiſſe ſufficiat. Halituum equidem vitriolicorum conſideratio ad mineras reſolutas et comminutas nos ducere poſſet, ſed, cum calces et croci hac ratione examinandi, ad ea forte, quae paullo ante de prima terra propoſuimus, repetenda nos cogere poſſent, ad noſtram tamen, de qua nunc agimus, materiam prorſus non pertineant, illis omiſſis ad veram mineralem, ex lapidibus comminutis productam terram explicandam accedimus, idque eo maiori iure, cum nulla naturalia corpora tantam, quam terras et lapides, intercedere affinitatem, alibi iam oſtenſum fuerit [s].

Vt itaque natura huius terrae penitius paullo pateſcat, in limine ſtatim ea in primis, quam REAVMVR [t] propoſuit, inter minimas terrae et ſabuli particulas

r) In Herbar. Diluuian. pag. 54.
s) Cap. II pag. 20 ſeqq.
t) Acad. Roy. des Sciences Anno 1730. Hiſt. pag. 35. Mem. pag. 349 ſeqq.

particulas reperiunda differentia, examinanda eſt. Ita ille: *La terre eſt donc vne eſpece de corps ſpongieux, dont les particules ſont flexibles et capables d' extenſion, celles du ſable au contraire en ſont incapables par leur roideur.* Licet vero nominatus hic auctor hanc ipſam, quam fouet, ſententiam fuſa oratione dilucidare annitatur, et multa, quae eo ſpectant, inſtituta enumeret experimenta, neque ad prima terrae elementa peruenire tentet, ſed minimas tantum moleculas aſſumat, ſola tamen illa, quae aquae, in interſtitia terrae penetrantis, ope fit mutatio, ad intimam corporum naturam et deductam exinde eorum diſcrepantiam declarandam non ſufficit. Concedimus equidem, minimas humi moleculas, ſi vegetabilis illae et animalis deprehendantur proſapiae, ſpongioſa ſiſtere corpuſcula, quae aquam abſorbere indeque extendi, ea vero iterum orbata, contrahi poſſunt, ſed ad minimas inſimul, vere terreas, ex lapidibus comminutis prouenientes, moleculas reſpiciendum eſſe monemus. Hae enim vera terra ſunt, nec, niſi illam, ex cineribus animalium et vegetabilium productam, terram ſabulum quoque dicere, et ita nullam prorſus terram aſſumere velis, tenuiſſimi ſabuli nomine vlterius compellari poſſunt. Vt breuiter nos expediamus, ad obſcuram illam glutinis ideam, quo mediante terrae in paſtam abeunt tenacem, et, vt ſuo iam loco monuimus[u], terreae moleculae in lapides duriſſimos compinguntur, haec omnia redeunt.

Antea vero quam modum, quo terrae ex lapidibus producuntur, diſquiramus, non nulla de cauſſis, quae dictam hanc mutationem perficiunt, praemonere placet. Et hae quidem nullae aliae ſunt, quam communia illa, quae globum noſtrum terraqueum omnesque eius partes agitant, fluida, aqua nimirum, aer et ignis. Haec corpora, ſi in ſimpliciſſima ſua indole conſiderantur, hoc eſt, eo reſpectu, quo tot mixtiones corporum ſine mutatione eſſentiae tranſeunt, latiori ſenſu ſumta, elementaria dici et in minimam terream, pro prima et elementari habitam, moleculam non niſi motu agere poſſunt, qui tamen motus, cum in elementaribus ſic dictis particulis contingat, et nos ad obſcuras et per nulla phaenomena declarandas notiones deducat, intactus in praeſenti relinquendus eſt.

Ad minima igitur mixta progrediamur, et aquae, aeris et ignis actiones, quatenus illa, aliis particulis iuncta in mixtam particulam terreſtrem vim ſuam exerceant, conſideremus. Sed ſi fatendum, quod res eſt, eadem in his cognoſcendis nos premit difficultas, quam quae in elementaribus corpuſculis indagandis reperiebatur. Aeque enim inculta atque incerta eſt via, quae ad minimas mixtas iam corporum moleculas nos ducit, ac illa, quae ad prima eorundem elementa inuenienda directa eſt. Facilior

u) Cap. II pag. 33. Cap. III pag. 120.

lior paullo ad aggregata detegenda rationi et experimentis conceditur aditus. Si enim lapides, in terras iam mutatos, tractamus, tunc quidem, ſi ſola tantum particularum comminutio attendenda eſt, v. c. ſi Morochti geneſis ex lapide calcareo reſoluto declaranda venit, ea, quam patitur lapis, mutatio haud difficulter perſpici poteſt. Negandum inter ea non eſt, haud raro in naturalibus corporum mutationibus, non aggregata ſolum, in ſe conſiderata, ſed intime quoque mixtas, quae ea conſtituunt, partes ſaepius reſolui aliasque induere formas, quo in caſu veras et primas mutationis cauſſas nobis inueſtigare datum non eſt.

Ex dictis huc uſque apparet, quam variis in rebus nunc proponendis implicemur tricis, quae omnes, vt veras effectuum eruamus cauſſas, impediunt. Sufficiat itaque pro noſtro ſcopo illa recenſuiſſe phaenomena, quae in ſucceſſiua corporum mutatione obſeruantur, hac enim ratione ad vlteriorem non ſolum eorum indagationem excitamur, ſed ea inſimul, quae diſtincte pro rationis noſtrae limitibus cognoſcere non poteramus, ex parte tantum illuſtrare valemus.

Guttam cauare lapidem, non vi, ſed ſaepe cadendo Poeta, et recte quidem, aſſerit. Nullum enim eſt dubium, quin guttulae aquae, per rimas montium tranſeuntes, ſolo eoque ſaepius iterato impulſu, pollinem ſubtiliſſimum abripere, et ſecum ad alia loca deuehere poſſint. Flumina ipſa, dum latera venarum praeterlabuntur, lapides mutare et emollire quaſi, reperiundum non nunquam prope Freybergam ad ripas Muldae comminutum ſpathum clare nos docet. Id vero facilius longe fieri poſſe arbitramur, ſi vel ipſa aqua particulis ſalinis imbuta eſt, vel lapides, quos aqua alluit, mollioris ſunt texturae, vel vitriolici forſitan quid admixti habent, et aquam inde in interſtitia ſua penetrare ſinunt. Pluuialis vel niualis aqua in ſe quidem pura non eſt, et per ſuperiora terrae ſtrata deſcendens, maiorem particularum heterogenearum copiam recipit, quam deponit, ſed, dum ſtrata arenoſa et argillacea tranſit, indigenas aeque ac admixtas particulas iterum dimittit, ita, vt ex fontibus ſaepius puriſſima ea proueniat, et limpidiſſimae aquae ſcaturigines praebeat. Non vbique vero dicta ratione depuratur aqua, haud raro potius, dum in rimas montium et lapidum poros ſeſe inſinuat, ſalinas, admixtas iam ante, vel acquiſitas in ipſa terra habet particulas, iisque ditata poroſis lapidum ſuperficiebus adhaeret, et adeſis quaſi molecularum lateribus applicata, eas ſecum abripit, quae, cum vel ſabuloſae, vel ſubtiliores et pollini ſimiles ſint, arenam tantum aut terras ipſas ſubtiliſſimas produnt.

Hae autem, quas aqua in interioribus terrae perficit, mutationes, ſoli aquae guttularum ponderi adſcribendas non eſſe, ſed aquoſos, in montium

tium cryptis diſperſos, vapores in iis adhuc maiores producere effectus, vt credamus, neceſſe eſt; idque eo firmius nobis perſuaſum habemus, cum ipſa, quae naturam imitantur, inſtituta per chemiam tentamina, reſolutos et in vapores redactos liquores efficacius longe ſolidiora corpora penetrare et e ſuo turbare nexu, quam fluida denſa, certiores nos reddant. Ita enim duriſſimum cerui cornu, aquae immiſſum, non reſoluitur, vaporibus tamen puriſſimae aquae commiſſum, philoſophice, vt dicunt, calcinatur. Licet vero aqua non terreſtres quidem partes, ſed illud tantum intermedium gluten hoc in caſu diſſoluat, ad lapidum tamen deſtructionem, ſi eos, vt fabuloſas, glutine quodam inter ſe nexas, conſideramus partes, conſequentiam valere putamus, ita, vt illi, vinculo hac ratione deſtituti, friabiles, et terreſtri inde ſubſtantiae ſimiles euadant. Non omnes tamen lapides hoc modo in terras mutari, ſed quaſdam tantum eorum ſpecies a vaporibus arrodi, et applicati vaporis vi citius longe, quam guttulae denſae cedere, ex dictis huc uſque colligi poſſe ſtatuimus.

Sed haec in ſubterraneis montium cryptis euenire nequeunt, niſi ignis cooperetur, vel definitus ſaltim caloris gradus vapores eleuet eoſque molecularum lateribus applicet. Num itaque in interioribus terrae viſceribus talis caloris inueniatur gradus, qui cum aliquo impetu et efficacia vapores et fumos collectos eleuare, et ſolidas lapidoſas maſſas eorum ope arrodere quaſi et emollire poſſit, diſpiciendum nunc eſt.

In confirmanda vero hac noſtra ſententia ad lethifera illa, quae animalibus introitum non concedunt, ſed ea non minus, quam flammam accenſae candelae extinguunt, antra [x], vt recurramus non licet, eorum enim non nulla, quamuis ſulphureis et acerrimis inde vaporibus referta ſint, pleraque tamen non niſi ob aerem in iis maxime rarefactum, nociua deprehenduntur, nec ad ſpiſſam halituum nubem, quae circa igniuomos montes in interioribus partibus terrae collecta, violento ſaepius impetu erumpit, attendendum hic eſſe putamus. Etſi enim in his ſubterraneis locis verae calcinationis et vitrificationis quoque, ab igne ſubterraneo oriundi, effectus haud raro conſpiciantur, illi tamen ad pauca tantum loca, non tamen ad ea, in quibus lapides in terras mutantur, applicari poterunt. Sed illa in praeſenti enumerare iuuat exempla, quae in quibusuis fere locis, a leuiori quoque ſubterranei caloris actione, lapidum mutationes contingere docent.

Dum illa, in quibus cuniculi aguntur, loca perluſtramus, eorum quidem plurima ita comparata ſunt, vt frigoris magis, quam caloris excitent ſenſum,

x) Horum deſcriptionem dedit BERNARD. CONNOR in Diſſ. Medico Phyſicis. Diſſ. I. Oxonii 1695. 8.

ſenſum, alia tamen tam calida inueniuntur, vt metallifoſſores maxima ſaepius cum moleſtia labores ſuſtineant, in primis ſi aer, iis incluſus, vel ſiccis repleatur fumis, vel rarefactus inſimul deprehendatur. Cuniculorum latera tunc ſicca admodum ſunt, et ita arroduntur, ſimulque labefactantur, vt, ſi alio tempore ad ſubterranea haecce loca aquae denuo accedant, attenuatae lapidum partes ablui facile et abinde deduci queant. Copioſior harum molecularum prouentus in iis obſeruatur occluſis locis, in quibus ignis et aquarum vis in deterendis terreis particulis cooperantur. Ita enim ex luculento thermarum Carolinarum exemplo cognoſcimus, ſubterraneos illos, ab ipſa natura exſtructos, ſalutaris laticis aquaeductus, magnam, dum calidae ex interioribus montium vicinorum cauernis deueniunt, tophaceae terrae copiam apportare, quae, liberiore aere aduenïente, aquam, cui admiſta eſt, ex parte relinquit, et ligneos, in quibus thermae progrediuntur, canales et alia ipſis iniecta corpora cruſta lapidoſa obducit.

Ipſa vero halituum ſubterraneorum poteſtas non adeo vehemens iudicanda eſt, vt in ipſa venarum metallicarum penetralia tendat, leuiorem tantum deſtructionem in ſuperficie eorundem producit. Neque FISCHERI [y] ſententiae ſubſcribendum eſſe putamus, qui poſt CAESALPINVM et alios huius opinionis fautores terras metallicas omnes, ac in ſpecie Toccayenſem, ex venis metallicis immaturis componi aſſerit, et originem metallicarum terrarum, ex ipſis quoque maturis, ſed ab halitibus feruidis acribusque diſſolutis et corroſis, metallicis venis deducit. Quodſi enim in mineris comminutis naturam ita operari concederem, hae tamen non veram terram, ſed materiam illi, quoad externum tantum habitum, ſimilem exhibent. In genuinis vero terris, in quibus metallicus color, in primis martialis, non nunquam obſeruatur, de croco quidem tingente, non vero de ipſa terra deſtructionem illam halituoſam aſſumendam eſſe arbitramur. Infirmiori adhuc WORMII [z] aſſertum nititur talo, quo lactis lunae originem a vaporibus metallicis deducendam eſſe edocemur. Nihil namque metallici lenissimae huic terrae ineſt, ita, vt eius geneſis aliter longe et, quod infra ius paullo perficere tentabimus, accuratius definiri debeat.

Cum vero indicata haec lapidum in terras mutatio in aere forſitan libero non tam facile, quam in cryptis ſubterraneis ſuccedere videatur, haec quoque breuiter adhuc adumbranda erit. Ad lapides viuos, vel in natali loco conſtitutos, quod attinet, illi non niſi motu et attritu commi-

nui

y) De Terra Medicinali Toccayenſi §. 62 pag. 72 ſeqq. z) In Muſeo Lib. I Sect. I cap. 4 pag. 6.

nui et mutari inde poſſunt, quin attenta obſeruatio, exſciſſos etiam lapides aeris externi et aquarum alluentium impetui diu reſiſtere, docuit. Saepius enim in Africa iter faciens miratus ſum, lapides a ſede ſua naturali remotos et ad aedificia conſtruenda olim adhibitos, licet ipſa palatia deſtructa et quoad maximam partem ruinoſa inuenerim, temporis tamen iniurias per tot annorum ſecula conſtanter admodum ſuſtinuiſſe. Neque de laeuigatis tantum marmoribus, quae ob inſignem fortaſſis denſitatem et ſuperficiem politam illibata et integra permanſerunt, illud intelligendum eſſe monemus, ſed arenarii quoque lapides in ſubſtantia ſua nullam, praeter eam, quam illabentium corporum vis iis induxerat, paſſi erant mutationem. Illae denique horum lapidum partes, quibus lichenes et muſci inhaerebant, et circa quarum, vix ſenſu percipiendas, radiculas aliqua terrae portio congeſta erat, adeſae non nihil exinde apparebant, quod ſalinae forſitan, quae terrae inſunt, particulae in lapidum poros penetrauerant. Ex omnibus itaque hiſce phaenomenis puriſſimam, cum ſabulo in lapidem denſum concretam, terram, ab aeris, aquae et caloris ambientis viribus difficulter admodum affici poſſe concludebam.

Sed exſciſſi demum lapides, ſi liberiori aeri committantur, maiorem aliquando duritiei gradum acquirunt, quod, licet de terra Melitenſi ſuperius negauerimus [a], de lapidoſa tamen, in eadem inſula reperta, terra [b] affirmare non dubitamus, idque eam in primis ob rationem, quod Pirnenſes, nobis ſatis cogniti, et alii forte, in loco natali non examinati, lapides, ſimili prorſus modo indurantur. In his enim gluten, inter ſabuli grana congeſtum, ſucceſſu temporis, dum aqua ſuperflua exſudat, magis compingitur, aliae tamen humidae, in poris adhuc contentae partes arctius inter ſe coeunt, et ſoliditatem inde maiorem lapidibus conciliant. Forte et alia, quae nos latet, huius mutationis ſubeſt ratio, veterum enim lapidum, quae inter antiquitatis monumenta aſſeruantur, fragmenta, licet olim facili admodum labore in varias formas, ſecundum artis caelatoriae regulas, deducta fuerint, nunc tamen, poſt tot annorum decurſum chalybeatis quoque et duriſſimis inſtrumentis non cedere obſeruamus.

Cum vero lapides non ſemper adeo puri inueniantur, ſed ex aliis inſimul particulis coaleſcant, vel martis ſaltim tincturam recipiant, de his aliter paullo, quam de praecedentibus ſentiendum eſſe apparet. Exemplo nobis ſint lapides arenarii Rochlicenſes, vtpote qui, colore rubicundo imbuti, martis praeſentiam arguunt. Hi quidem tempeſtatum iniuriis aliquo modo reſiſtunt, ſaepius tamen in laminas inaequales ſenſim ſenſimque dehiſcunt, idque potiſſimum iis contingit, ſi canales inde conficiuntur, per

a) Cap. III pag. 84.

b) Cap. III pag. 179.

per quos aquae putridae vel ſalinae fluunt, quae ſubſtantiam eorundem citius ſaepe, quam lignum quernum deſtruunt. Verum enim vero non putridae tantum, ſed puriores etiam aquae, ſi diu his inhaerent canalibus, et frigore interdum conglaciantur, adductam hanc Rochlicenſis lapidis deſtructionem praeſtant. Reiterata praeter ea obſeruatio, exſciſſos ex interioribus montium cauernis, qui aeris ambientis iniuriis obnoxii nondum fuerant, lapides, putridas aeque ac congelatas aquas ſine deſtructione diu ſatis continere docuit, cum contra denudatae iam ante et aeri expoſitae montium partes, breui tempore ab iſtis aquis ea de cauſſa deſtruuntur, quod tenerae ſalinae, quae putrefactis aquis inſunt, partes, vel ipſa, frigore conſtricta, aqua penetrare magis et lapidum forte, e nexu quodam modo ab aere turbatas, partes facili admodum labore prorſus diſſolvere valent.

Non vero haec tantum, ſed alia quoque ſolutionis veſtigia in lapidibus impuris deprehendimus. Ita enim, ſi ea, quae CAROLVS LINNAEVS in datis ad me litteris, de quibuſdam in Suecia reperiundis et arſenicali quodam principio abundantibus lapidibus, expoſuit, exempli loco commemorare hic licet, in aluminoſis quibuſdam fodinis, quae atrum fiſſilem ſchiſtum ſuppeditant, lapides atri et lenticularem figuram capitis, tornatoria quaſi arte elaborati, magnitudinem referentes, tam firmi deprehenduntur, vt vix mallei ope in fruſta comminui poſſint, ipſi tamen hi ſolis deinde et vaporum viciſſitudinibus expoſiti lapides, in nigram ſed ſterilem abeunt humum. Rationem huius phaenomeni in arſenici admixtione quaerendam eſſe, exinde iudicat epiſtolae auctor, quod lapides illi, vſtrinis ſi imponuntur, cum ſtrepitu inſigni in fruſta diſſiliunt, et alliaceum, metallicolis ita ſuſpectum, de ſe ſpargunt halitum. Vtrum vero arſenicales tantum immixtae particulae, an aluminoſum potius ſal, quod ex minera elui poteſt, obſeruatam hanc in libero aere reſolutionem cauſſentur, ego quidem definire non audeo. Simile quid in atro ſchiſto aluminoſo, qui prope Reichenbacum in Variſcia deprehenditur, me obſeruaſſe memini, vel enim ipſae ſalis aluminoſi particulae, ſchiſto et lapidibus his inſunt, vel conſtituens lapidem materia ex vniuerſali atmoſphaerae acido vitriolici acidi principia haurit, atque, vt illa terreis particulis intime iuncta aluminis naturam induant, efficit.

Ab indicatis igitur his vniuerſalibus fluidis lapides ſolui et in terras permutari poſſe certum eſt. Iam quod ad actionem horum menſtruorum attinet, illam in ſolo, qui in ſingulis et minutiſſimis aggregati et mixti moleculis ſeſe exſerit, motu quaerendam eſſe intelligo. Dum vero deſcripta a nobis ratione, vel aqua ſola abraſas eius modi particulas vehit, vel

in

in montium rimas, aut inter varia lapidoſa ſtrata deponit, illas inde magis magisque comminuit, ſabulum et arenam a ſubtiliſſimo terreo polline ſegregat, ſeparata haec corpora in diuerſa ſtrata diſponit et varias ita, quoad ſitum aeque ac puritatem diſcrepantes efficit terras. Et haec quidem ſtrata in montoſis magis, quam in depreſſis et planis quotidie efformari conſpicimus locis. In his enim non praecipitia tantum diſſoluendis, per pluuialem et niualem aquam, ſabuloſis, limoſis et aliis particulis terreis favent, ſed et elotae illae et in valles deuectae moleculae, in varia ſubſident ſtrata, ita, vt ſubtilior, pinguis et elota terra ob leuitatem vel ſabulo craſſiori incumbat, vel ſabuloſa poſtea ſtrata pinguioribus terris ſuperinducantur.

Diſpoſita deinde in minorum quoque fluminum littoribus terrarum ſtrata, ſi conſideramus, ita ſaepius ea diuerſa iam eſſe deprehendimus, vt mirum videri non debeat, quod maiorum fluminum inundationes tantas viciniis iisdem terris inducant mutationes. Cum enim ad aliquot milliaria non nunquam ſub vndis deliteſcat terra, aquae praeter ea a priſtina illa, quam ſequebantur, via haud raro prorſus diſcedant, inſignes abinde ſtratorum mutationes, diuerſosque eorum poſitus, euenire neceſſe eſt. Ipſa immenſi maris littora, licet ſcopuli, quos aquae arrodunt, non vero deſtruunt, vbique ferme eas terminent, permultis tamen in locis inſigniter variari deprehendes. Si vero auctorum teſtimonio in hac ſententia confirmari cupias, illa a VARENIO ſupra adducta diuerſa terrae ſtrata, validum ſatis huius aſſerti praebent documentum.

Sed miſſis hiſce, cum noſtra diſquiſitio arctis admodum limitibus ſit circumſcripta, neque ex variis, de terrarum ſtratis auctorum obſeruationibus, rite ſatis argumentari poſſimus, ad diuerſarum terrarum originem et conformationis modum declarandum progredimur. Minime vero illum, quem ſupra in hiſtorica terrarum enumeratione obſeruauimus, ordinem ſequi nunc conuenit, ſed ea potius, quam ipſa terrarum generatio monſtrat, via ingredienda eſt, ita vt terras in cryptis, interſtitiis et venis montium productas, primo loco, poſt modum et eas, quae in ſtrata diſponuntur, examinemus.

Morochtus, qui montium cryptis ſpumoſus vt plurimum vel cruſtoſus adhaeret, vel in fundo cryptarum confluens in ſtrata cogitur, calcarei reſoluti lapidis eſt progenies. Recte hinc AGRICOLA [c] Morochtum ex albis calcis ſimilibusque ſaxis generari aſſerit, et paullo poſt ex iisdem, cinereis tamen calcis ſaxis Galactitem et Melititem prouenire monet. Dum enim

c) De Nat. Foſſil. Lib. V pag. 606.

enim aquae per rimas et minores veluti montium poros deſcendunt, ipſos calcareos lapides quaſi emolliunt, emollitas hac ratione partes ſecum abripiunt, et in montium denique cryptas delapſae, adhaerentes ſubtiliores-que redditas huius lapidis moleculas in easdem deponunt. Egregie praeter ea LANGII, propria induſtria in cauerna montis fracti et aliis ſimilibus Heluetiae cryptis collectae, et a nobis iam ſupra [d] indicatae obſeruationes, hanc noſtram ſententiam illuſtrant. Varius vero, qui in interioribus montium cernitur, lapidum, illos conſtituentium, poſitus non permittit, vt Morochtus in omnibus vna eademque ſub forma ſe ſiſtat. Interdum enim leuiter tantum et niuis inſtar ille cohaeret, interdum arenulas ſecum vehit et in denſiores quodam modo maſſas concreſcit, aliquando, ſi denſius compingitur et exſiccanti aeri nimium exponitur, ad lapideam iterum duritiem accedit, ſaepius tamen vt pollen, leuiter concretum, in annos perdurat. Intimius quoque connectitur, ſi violento aquarum impetu congeritur, laxius vero et poroſus haeret, ſi ſimul cum aqua, guttarum more, ex poris cryptarum exſudat. Purus denique et omni arena deſtitutus, dum arborum ramis, aut radicibus, ſub ſabulo quaſi ſepultis, adhaeret, ramoſam oſteocollae figuram induit, quae vel tota ex leui hac terra componitur, vel lapideam inſimul cruſtam adhaerentem oſtendit.

Non poſſum non, quin hac occaſione pauca de calce natiua ſubiungam. Lapides calcareos, violento igne exuſtos, vel aeri liberiori expoſitos, vel aqua impraegnatos, dehiſcere et in pollinem mutari, experientia quotidiana nos edocet. Licet vero, igniuomos ſi excipias montes, tantus caloris gradus, qui hanc iis mutationem inducere poſſit, in pleriſque locis non percipiatur, cauſſas tamen adeſſe neceſſe eſt, quae, etſi mitius longe agant, idem tamen praeſtare valent. In calcareis, penes nos inueniendis, lapidibus, in oſtreis hiſque ſimilibus conchyliis, quae Belgis calcis materiem praebent, tenax quoddam et viſcidum deprehenditur gluten, quod calcinatione, per ignem facta, ex iis expellitur. Hoc ipſum per alias quoque cauſſas fieri poſſe oſſium et oſtrearum, in aere libero poſitarum, ſpontanea quaſi calcinatio demonſtrat. Illud deinde, plerisque, vehementi igne agitatis et exuſtis corporibus adhaerens, acre, quod in noſtra quidem natiua calce vel prorſus non, vel non in tanta copia deprehenditur, ſalinae naturae eſſe videtur, et eodem fere modo, quo ſalia alcalina fixa per ſic dictam incinerationem plantarum producuntur, per ignem iis conciliatur; licet, quoad indolem et, vt ita dicam, volatilitatem, in primis a vegetabili ſale differat et in aere libero diſſipetur. Dubium praeter ea non eſt, quin terrae, externam earundem faciem ſi conſideres, ſibi ſimiles

d) Cap. II pag. 44. Cap. III pag. 81.

ſimiles prorſus inueniantur, quae tamen pro ipſa lapidum reſolutorum, et in eas mutatorum natura inſigniter diſcrepant, id quod ex infra explicanda calcareae et gypſeae terrae differentia clarius adhuc apparebit.

Argillae venarum materies, licet a Morochto diuerſa prorſus ſit, eodem tamen, quo illa, modo oritur. Aqua enim, quae in plerisque cuniculis aliisque ſubterraneis cryptis, per rimas non ſolum, ſed per omnes quaſi montium poros ſeſe inſinuat, et in interiora confluit, raro tam pura deprehenditur, quin varias limoſas potiſſimum, easque vel ſolas, vel ſabuloſis micaceis aliisque partibus admixtas, ſecum afferat moleculas, quae parietibus montium partim adhaerent, partim in fundo cuniculi colliguntur, vel, ſi confluentibus his aquis exitus iterum conceditur, in flumina et lacus deuoluuntur. Quo ſubtiliores deinde ſunt moleculae, et quo firmius inter ſe cohaerent, eo purior et pinguior inde Argilla euadit, iterdum tamen alias quoque, in primis ochraceas et martiales admixtas habet particulas, vt in ſupra recenſitis Argillae venarum varietatibus videre eſt.

Elotae autem et quaquauerſum in rimas montium depoſitae particulae vario ſubſident modo, vel enim teneriori ſabulo remixtae in lapidem iterum concreſcunt, vel, ſi puriores ſunt, et omni arena deſtituuntur, Margis aut Lithomargis, in venis diſpoſitis, dant originem. In vtroque vero hoc permutationis modo requiritur, vt aqua ſuperflua ab iis diſcedat, et tenuiſſimus tantum, qui minimis particulis ſeſe interponendo, firmitatem his oriundis terris conciliat, relinquatur aquoſus vapor. Quare ſic efformatae maſſae, nec non venae lapidoſae, ab illo lapide, ex quo montis moles compoſita eſt, longe diuerſae deprehenduntur. Sic enim varias in cuniculis montium Saxoniae noſtrae lapidoſas inuenimus glebas, quae a molliori Argillae venarum habitu in lapidis cornei, ad iaſpidem accedentis, duritiem coaluerunt. Licet vero nos ipſi in Lithomarga VIII. vi. conſpicuum huius indurationis exemplum propoſuerimus, illam tamen, non niſi longo temporis interuallo fieri poſſe, et diuerſos lapides diuerſam non ſolum terram et peculiarem eius mixtionem, ſed varios quoque coaleſcendi modos requirere, affirmare non dubitamus.

Dicta haec, quae in interioribus montium locis perficitur, terrarum mutatio, aliquam quaſi vegetationis lapidum, quam TOVRNEFORTIVS quoque in Candiae labyrintho obſeruauit [c], exhibet ideam. In ea namque inſula, ex gryſeo, vt ille refert, eoque calcareo forte lapide alba quaedam exſudabat materia, quae in illis potiſſimum locis eminere conſpiciebatur, vbi inſcriptae olim a peregrinantibus litterae interiorem montis ſuperficiem ita

c) Relation d'un Voyage de Leuant Part. *I* pag. 27. et Memoir de l'Acad. des Sciences 1702 pag. 308.

ita laeſerant, vt copioſius inde materia propullulare potuerit, quae vero exſculptam non ſolum partem replebat, ſed eleuata callum quaſi, ad lapideam iterum duritiem accedentem, referebat, non ſecus, ac in arborum cortices inſculpti characteres, ob ſuccedens corticis incrementum et obortam exinde protuberantiam, eminent. Sed mittimus haec iisque ſimilia, quae ad inſtitutum noſtrum non pertinent, momenta, et ad Margae proventum declarandum accedimus.

Terreae purae et ſubtiles admodum moleculae, ſi a montibus abraſae et ab aqua elotae ſunt, in vicina congeruntur caua, ibidemque inſtar maſſae mollis conſiſtunt, cum vero aquae iterum ab iis recedere et in alias vicinas rimas deſtillare queant, illae, omni fere ſabulo deſtitutae, particulae non in durum quidem lapidem, ſed in molliores friabiles coeunt maſſas, quae, in aquam immiſſae, emolliuntur partim, partim dehiſcunt, vel poſt peractum attritum et comminutionem, in cohaerentem quandam, licet non ſemper adeo tenacem, per aquam rediguntur paſtam. Eius modi puriores et inde nobiliores dicendae terrae in lapidum arenariorum cauernis, velut in cellulis, vt de Strigonienſis terrae matrice dictum eſt, ſubſiſtunt, vel a montium rimis, ceu venis, recipiuntur, vel in cauitatibus paullo maioribus in ſtrata quaedam concreſcunt, cuius diuerſi harum terrarum ſitus exempla in ſecunda Margae ſpecie enumerata inueniuntur. Ab hac, quam ipſa natura iubente, poſuimus regula, Laubacenſis Marga II. VI. et Veldenſis IX. nec non aliae forte, ad Margas referendae, terrae excipiendae ſunt, ſi verum eſt, quod quidam tradiderunt, in limoſa impuriori terra, vel in ipſa humo, denſas nobilioris Margae diſperſas quaſi inueniri partes. Sed, vt de noua, dictam hanc terrarum geneſin explicandi ratione, ſolliciti ſimus non opus eſt; nobiles enim has Margas, natas ibidem non eſſe, aliunde potius et ex vera quidem lapidoſa matrice erutas, in impuras illas terras deuolutas fuiſſe ſtatuimus.

Non vero ſolus ille lutoſae et argillaceae ſubtilioris materiae ad ſuperiores lapidum fiſſuras acceſſus, ad Margae generationem explicandam ſufficit: arenoſa enim terra, quae in fiſſuris exterioribus montis Rochlicenſis deprehendebatur [f], ad nobilem Margam progenerandam erat inepta, ſed in interioribus demum montium receſſibus, in quos forte materia terrea deſcendit, quoniam in iis multum depurari poteſt, ſubtilior ea colligitur. Licet vero permulta inueniantur loca, vbi ea ſub Margae verae, in aqua facile diſſoluendae, ſpecie per longum temporis ſpatium ſubſiſtit, tamen aliae forte, in quibuſdam locis accedentes, cauſſae eam compingunt, vt Lithomargae duritiem imitetur. Ita enim illas, quas ſub Marga II. II. et IV.

f) Cap. III pag. 156.

IV. dehiſcentes in aqua deprehendimus, glebas, in Lithomarga VIII. I. et II. ex eodem natali loco deſumtas, aqua reſolui non poſſe, obſeruauimus.

Difficulter admodum omnes hae, quae in variis forte terris diuerſae ſunt, cauſſae indicari earumque agendi modus explicari poſſunt. Et, ſi a ſubterraneo non nunquam calore prouenire dicamus, quod aquae ſuperficiei adhaerentes expellantur, intime vero admixtae humidae partes, glutinis inſtar reliquos contineant, aliae tamen glebae, vt Lithomarga V. I. mollem in cryptis ſubſtantiam, in libero demum aere verae Lithomargae duritiem acquirere docent. Neque determinare in praeſenti valemus, vtrum in prima montis formatione ita quidem in venis compacta fuerit terrea materia, qualem nunc eam eximimus, an vero in interioribus lapidum fiſſuris, ſenſim ſenſimque iis adhaerens, exſiccatione facta collecta ſit. De Lithomarga Rochlicenſi cum aliqua probabilitatis ſpecie primam aſſumi poſſe ſententiam, paullo ante monſtrauimus, et terrae lapidoſae III. varietates magis adhuc eam confirmare videntur, alterius vero opinionis exemplum terra lapidoſa VII. exhibet. Quod ſi denique hanc noſtrae terrae in montium cryptis obſeruandam diſpoſitionem, cum reliquis, metalla et alia corpora mineralia continentibus, venis comparare velis, idem, quod nunc aſſumſimus, de iis ſtatuendum erit.

Vti vero ſupra de Argilla venarum et nunc de Margae et Lithomargae geneſi in minoribus cauernis et venis montium aſſeruimus, congeſtam purioris, vel peregrinis inſimul partibus inquinatae, terrae copiam vario modo in iis ſubſidere et ab adhaerente aqua liberatam, diuerſum duritiei nanciſci gradum, ſic nullus quoque dubitandi eſt locus, quin minora illa ſtrata, quae bolarem limoſam et argillaceam continent terram, et paſſim vel in montium vallibus, vel in planiori etiam terra deprehenduntur, per congeſtam ſubtiliſſimam terram efformentur. Pluuiales illae, leniter de coelo cadentes, aquae ac imber emolliunt terram, hanc reſolutam terream materiam decurrentes poſtea ex praecipitiis aquae in varias ſaepius cryptas deducunt, vel in depreſſa, inter medios plerumque montes inuenienda, loca deponunt. Confecta hac ratione ſtrata intercedente tempore humo ſaepius conteguntur, et priſtinae diſpoſitionis, niſi fortuito iterum eruantur caſu, nulla veſtigia exhibent. Quanta enim ſit imbrium in montoſis locis vis, quomodo a niue ſubito ſoluta et ab aqua cum impetu decurrente exteriora terrae ſtrata mutentur, nemo forte, niſi qui ipſe has dictas mutationes conſpexit, perſuaderi ſibi patietur. Ad obſeruationem illam quod attinet, qua deprehenſa in planitie ſtrata, alium eumque contrarium iis, quae in vicinis montibus inueniuntur, ſitum ſeruare edocemur, eam quidem pro certa venditare non poſſumus, illud tamen de quibusdam fortaſ-

ſis,

ſis, recenter efformatis, ſtratis ſtatuendum eſſe concedimus, idque eo lubentius huius ſententiae patronis largimur, quo magis ea, quae hactenus de diuerſis terrae ſtratis monuimus, ex conceſſa hac terrae mutatione corroborantur.

Non ſemper tamen minora eius modi ſtrata, in locis, ad radices montium poſitis, deprehenduntur, ſed paſſim in omnibus fere regionibus in planitie collocata ſunt, ex quo, in iis declarandis, ad fluminum quoque et alias partiales inundationes, recurrendum eſſe apparet, licet, vt ſupra iam diximus, per longa temporum interualla et minus accurate annotatae harum rerum obſeruationes impediant, quo minus certi quid de inductis hac ratione mutationibus proferre poſſimus. Inter ea tamen, antea quam ad maiora argillacea ſtrata perluſtranda accedamus, non nulla adhuc de Tripela eiusque prouentu dicenda ſuperſunt.

Tripelam a fluminum inundationibus ſuam deducere originem, ex iis, quae ſupra occaſione Argillae lutoſae praemonere debuimus [g], ſatis iam colligi poſſe arbitramur. Tactu enim aſpera eſt haec terra, et ex minoribus arenae granis et ſubtiliori admixto humi puluere compoſita reperitur. Fluminum itaque, ſua ſaepius littora relinquentium, rapiditate elotae e terra rurali terreae moleculae, ſimul cum ſubtiliſſimis interſperſae arenae partibus, ab vndis agitatae, in ſabuloſa vel alia terrae ſtrata coniiciuntur, ſubſident ibidem et rurali poſtea, vel alia quadam terra conteguntur. Exoriri hoc modo Tripelam inde potiſſimum, vt crederem, adductus fui, quod plerasque huius terrae varietates ex iis acceperim locis, quae fluminibus vicina, eorundem inundationibus ſemper ſunt obnoxia. Ita enim in ſpecierum recenſione [h] ad littora Albis, Viſtulae, Salae cet. plurimas, quas nominauimus, glebas repertas fuiſſe inuenies. Hanc tamen ſententiam, cum non nullae, ex cryptis erutae, glebae v. c. Tripela V. II. III. alium forte generationis modum indicare videantur, tanquam omni exceptione maiorem proponere nollem.

Quae, quamuis ita ſint comparata, minus tamen naturae conuenit illa, quam POMETVS [i] de Tripelae origine recenſet, ſententia, ita differens: *L'on pretend, que le Tripoli eſt vne pierre, la quelle eſt deuenue legere par le moyen de certaines veines de terre ſouphreuſe, qui ont brulé ſous ce Tripoli, et lui a donné la qualité de blanchir, tripolir ou eclaircir la cuivre.* Vix enim in vllo loco, ex quo noſtrae ſpecies erutae fuerunt, ſulphuris et ignis effectum

g) Cap. III pag. 119 ſeqq.
h) Cap. III pag. 91 ſeqq.
i) Hiſt. des Drogues Part. III Lib. V cap. 8 pag. 115.

ctum demonſtrare, neque quinam eſſet ille lapis, cui ſulphur hanc mutationem inducere queat, definire poteris. Et licet nullam, quae circa igniuomos collecta ſit montes, glebam obtinuerimus, tamen, ſi quoque tripelaceas terras ibi deprehendi concederemus, illa ſtrata per fluminum inundationes produci neceſſe eſt, ſi eam, quam in noſtris quidem glebis obſeruamus, intimam molecularum miſcelam eandemque earum diſpoſitionem iis adiudicare debeamus.

Sed dum ad maiora argillacea ſtrata peruenimus, et ex iis Cretae originem exponere ſuſcipimus, in omnibus illis, quae hactenus a nobis pertractata fuerunt, momentis ſufficientis cuiusdam explicationis, quo niti poſſemus, fundamentum non inuenimus. Ad ipſum itaque vaſtiſſimi maris fundum deſcendendum eſt, licet ex hac voragine parum certi hauriri poſſe timeamus. Maxima locorum, aquis marinis tectorum, pars adeo profunda eſt, vt eius conditio nulla arte detegi queat, circa littora vero verſantes, ſi ope cylindri, ex plumbo confecti, cuius baſi ſeuum illitum eſt, et in aquam mediantibus funibus immiſſi, fundi indolem indagare cupimus, irregulares vt plurimum, eroſos et variis plantis et inſectis marinis ſcatentes ſcopulos, aut ſabuloſam plus minus limoſam terram detegimus, ex quibus tamen omnibus nihil, quod rem noſtram vllo modo illuſtret, colligi poteſt. Neque et illi, quibusdam in locis obſeruati, tractus, qui conchyliorum fragmentis referti ſunt, attendendi hic erunt. Ex iis namque comminutis, etſi terreni quicquam, vt de humo conchacea [k] diximus, elici poſſet, quod ſubſidenti in mari vnguini iunctum, pauciores quasdam terrae ſubpinguis, albae concretiones exhiberet, neutiquam tamen tanta terrae moles, quanta ad ſtrata noſtra efficienda requiritur, praeparata hac ratione vllibi inuenietur.

His itaque relictis, illa tandem ſupereſt alba terra, quae, dum in fundo maris et ad Angliae potiſſimum littora, magna ſaepius copia reperitur, prolatam a nobis ſententiam omnium optime confirmare videtur. Eſt illa ſubpinguis, interdum conchyliorum fragmenta continet et marinas inſimul plantas, licet pauciores, alit. Quando vero dictae huius terrae prouentum perpendimus, calcareos, in fundo maris reperiundos, lapides deſtructos atque congeſtos, materiam illis praebere exiſtimamus, et ita quidem hanc mutationem perfici ſtatuimus, vt ſalinae maris aquae calcareos lapides arrodant, et accedentibus impetuoſius agitatis vndis ſolutas iam atque deſtructas particulas ab iis abripiant. Neque id ipſum experientiae contrariatur. Quicunque enim maris in orientibus procellis conditionem attente conſiderat, in earundem exortu ipſum quaſi aquarum fundum agitari

k) Cap. III pag. 163.

tari et ſuperficiem aequoris planam adhuc et leuiter vndoſam eſſe ſentiet, vſque dum concitatiores venti accedant, qui naues, vndis impetuoſius eleuatis, quaquauerſum iactitent. Sub hiſce igitur horrendis ſane motibus interiora maris commoueri et terram hanc inde a lapidibus ſeparari arbitramur, ita tamen, vt deſtructa iam alio tempore terra cauſſa ſimul ſit, qua, nouis motibus exortis, plures adhuc deteruntur terreae partes, et moles earundem inſigniter augetur. Ad viſcidam illam, quae ſubtiliores omnes moleculas iungit, glutinoſam, quod attinet, materiem, illa quidem ad hanc quoque argillaceam terram accedit. Limoſa enim et tenax ea terra, quam TOVRNEFORTIVS [1] ex putrefactis atque corruptis animalium et plantarum marinarum partibus in ipſis aquis generari dicit, ſubeundo huic muneri impar iudicanda non erit.

Hoc modo exorta terra primo ſtatim conſpectu Argillae naturam prodit, ſed impura quodam modo et ſabulo forte atque lapillis referta eſſe videtur, quae ſubſidendo demum, cum craſſiores et ponderoſiores partes fundum petant et leuiores iis quaſi ſupernatent, depurari adhuc debet. Quo vero modo ad littora ea deducatur, quod aquae marinae plerisque in locis a ſaxis aliisque cauſſis coercentur, niſi fluxum et refluxum maris reſpicias, definiri vix poteſt. Ille enim, vehementioribus in primis tempeſtatibus adiutus, inſignem ſaepius planioris terrae ambitum replet et magnam terreae materiae copiam euomit. Ad confirmandam hanc noſtram ſententiam ad ea tantum prouocare liceat terrae ſtrata, quae ſupra ex VARENIO recenſuimus. Haec quamuis inter ſe diuerſa, ſabuloſam, argillaceam et ruralem ſiſtant terram, quoad maximam tamen ſui partem argillacea ſunt, illud in primis, quod vltimo incumbit, ſtratum, tantam Argillae copiam oſtendit, vt centum et duorum pedum caſſitiem aequet, quod vero nulli aliae cauſſae, quam aeſtuanti aquae et abinde ortae invndationi adſcribendum eſt.

Sed hoc adductum a nobis exemplum de loco, in maris vicinia poſito, valere tantum videtur, ita, vt probabili admodum dubitationi occurrendum ſit, quo ſcilicet modo reperiunda in locis, a mari remotis, eius modi argillacea ſtrata producta fuerint. Verum enim vero facile largimur, in hoc ſtratorum prouentu declarando multum laboris requiri, et ad innumeram annorum ſeriem recurrendum, immo ad ea ſaepius deueniendum eſſe tempora, vbi factae in iis inundationis veſtigia ex ipſa quidem, terrae inducta, mutatione colliguntur, ex hiſtoricis tamen monumentis comprobari non poſſunt. Etſi enim ad vniuerſale illud diluuium reſpicere poſſemus, diuerſa tamen, quae ſaepius obſeruantur, ſtrata non vni, ſed multis

1) Hiſt. de l'Acad. des Sciences 1700. Mem. pag. 40 ſeqq.

multis et diuerſo quidem tempore terrae inductis, mutationibus adſcribenda ſunt. Nec aliam huius Argillae prouentus cauſſam inuenire potuimus, vtut eam, quam aſſumſimus, ſufficientem omnibus et explicatam ſatis non futuram eſſe praeuideamus.

Haec ipſa vero, quam hactenus tractauimus, materia Cretae originis indagandae commodam praebet occaſionem. Argillae, vt dictum eſt, tenax quoddam et pingue admixtum habet principium, quod ipſas terreas moleculas inter ſe nectit, et compactam hac ratione maſſam leuem reddit et lubricam, arida contra et ſicca quaſi haec terra vt euadat, neceſſe eſt, ſi indicato hoc vinculo deſtituitur, et prouenientibus a firmiori cohaeſione qualitatibus inde priuatur. Nihil certe impedit, quo minus ampla illa cretacea ſtrata ſimili ratione generari dicamus. Pingue enim et lubricum illud, ante nominatum, principium, filtratum quaſi ab Argilla diſcedit, et in pyromachum concreſcit, ita, vt reliqua ſtrati moles in lapideam fere, ob firmiorem cohaeſionem, terrae tamen, quoad reliquas conditiones, haud abſimilem Cretam tranſire poſſit. Cum denique in lapide, pyromacho dicto, petrefacta inſimul teſtacea corpora, tanquam in matrice nidulari videamus, ipſam cretaceam terram e mari oriri, ex admixtis hiſce corporibus concludimus; vti et pingue illud principium, tenuiſſimis terreis moleculis iunctum, in lapideam immo duriſſimam maſſam, quam pyromachum dicimus, permutari, non absque omni probabilitatis ſpecie ſtatui poſſe opinamur.

Nos quidem non latet, NEVMANNVM [m] Cretae originem ex nigro lapide corneo, ſiue pyromacho deriuare, eum nimirum per ſubterraneas exhalationes ſenſim paulatimque in ſabuloſam, tandem vero in denſam, friabilem valde et albam puluerulentam ſubſtantiam mutari, ſed nulla, quae aſſumtam hanc opinionem ſuffulciant, argumenta adducit, non enim oſtendit, quo modo exhalationes, quaecunque demum illae ſint, in denſam lapidis ſubſtantiam deferri poſſint, vbinam locorum integra lapidis cornei ſtrata reperiantur et quaenam denique phaenomena in ſucceſſiua hac mutatione obſeruentur. Pyromachi praeter ea maſſae ita ſunt poſitae, vt in Creta potius, tanquam matrice, contineantur et genitae ibi eſſe videantur, quam quod Cretam ex his oriri demonſtrent, quod ex Creta I. II. in quo ochracea, ad lapidis figuram efformata, apparet lamina, clare ſatis cognoſci poteſt. Ipſe deinde NEVMANNVS in litteris, ad HEVCHERVM olim datis, profitetur, ſe ex lapide corneo Cretam producere non poſſe, licet hanc ſuis experimentis duriorem effecerit. Primum aſſerti fundamentum in eo ponit, quod cornei, in Creta contenti, lapidis ſuperficies admo-

m) In Praelect. Chemic. pag. 1541.

admodum arroſa appareat, ſed, vti nobis id diſquirentibus viſum eſt, in plerisque, quas examinauimus, glebis, inaequalis et cum media lapidis maſſa, quoad denſitatem, non conueniens exterior eius obſeruatur textura. Ex omnibus his inter ſe comparatis, noſtram adhuc, quam fouemus, ſententiam firmo inniti talo pateſcit, corneum nimirum lapidem in ipſis Cretae viſceribus ſimili fere ratione naſci, vti eundem ſupra ex Argilla venarum prouenientem conſiderauimus.

Quaecunque demum latitantis in his rebus naturae inueſtigatio placeat, Cretam tamen ex maris fundo prouenire et in ſiccam deinde redigi terram, pro indubitato habemus. Nec inutile ſane, neque iniucundum illi, quibus cretacea ſtrata diſquirendi data eſt opportunitas, peragerent opus, ſi in iis perluſtrandis ad maris ſitum et eius ad ſtrata rationem, nec non ad glebarum, quae pyromachum, petrefactis conchyliis ditatum, continent, diſpoſitionem et diuerſimode in iis operantem naturam mentem dirigere velint: idque eo magis, quo difficilior eſt explicatio, ita, vt ſola attenta obſeruatione vlteriorem admirandae huius generationis cognitionem percipiamus. Non enim is ſum, qui, vt facili via ex his me tricis explicem, eiectam e fundo maris maſſam ipſam eſſe figulorum Argillam defendam, ſed illud tantum innuo, dictam hanc maſſam ad terram illam albam, quae ad littora Angliae e maris fundo ſaepius prodit, quam proxime accedere, vtpote quae in paſtam non adeo tenacem, leuiter tamen cohaerentem, redigi poteſt.

Licet vero in hac quoque terrarum geneſi explicanda, eodem, vt antea factum eſt, modo non nulla auctorum teſtimonia hactenus dictis ſubiungere potuiſſem, ea tamen, cum hanc meam, de ortu terrarum ſententiam, non omni veritatis ſpecie deſtitui, ex adductis argumenti rationibus patere autumem, et eam ſaltim colligendis in poſterum obſeruationibus haud ineptam fore iudicem, in praeſenti relinquo, et ad vltimam huius doctrinae partem accedo. Reſtat namque, vt puriſſimarum terrarum differentiam et modum, quo illae per varia admixta mutentur, et in genera inde, ſpecies et varietates abeant, breuiter adhuc diſquiram.

Praeter terras, ex animalium et vegetabilium deſtructis partibus oriundas, minerales potiſſimum ex lapidibus prouenire diximus, et inter illas lapidum mutationes peculiarem calcareae terrae geneſin, ex Morochti in primis ſpeciebus cognouimus. In genere quidem calcareae terrae mentionem hic facimus, illam tamen pro ratione diuerſorum, qui deſtrui poſſunt, lapidum, in calcaream, ſeleniticam, micaceam et alias adhuc terras permutari non negamus, quamuis haec terrarum diſtinctio, cum in deſtructione

ipſa lapidis natura inuertatur, non ſemper tuto aſſumi queat. Sed cum ex terreis hiſce concretis alia efferueſcant, alia contra ab acido non moueantur, illa conſideranda nunc eſt terrae calcareae et gypſeae diſcrepantia, quam POTTIVS [n] prae reliquis ſingulari ſtudio proſecutus eſt et permultis declarauit experimentis. Calcareae aeque ac gypſeae terrae in vitrum non abeunt, niſi ab aliis additis ad hanc mutationem diſponantur, ob hanc vero ſolam, quae ipſis communis eſt, conditionem inter ſe conueniunt, multum de reliquo diſcrepantes. Calcarea terra in acido ſoluitur, gypſea contra affuſa ipſi acida intacta relinquit, vt immutata prorſus denuo inde ſeparari poſſint. Calcarea terra, aqua humectata, niſi arena ipſi interſperſa ſit, non induratur, gypſea vero per ſe ſuamque naturam denſior ſemper euadit, licet ad ſummum duritiei gradum non perueniat. Calcarea terra eam, quam per ignem calcinata receperat, acrimoniam in aere libero iterum amittit, eam tamen altera vice exuſta iterum aſſumit, gypſea contra nullam prorſus acrimoniam per ignem acquirit, ſed in tenuiſſimum atque ſubtilem pollinem tranſit: aqua calcarea ob dictam hanc acrimoniam ſulphur ſoluit, gypſi aqua minime.

Binae igitur hae terrae primariae et ſolae forte eſſe videntur, quae tanquam purae et ſimplices conſiderari poſſunt, et ad primam earundem, quam ſubeunt, mutationem ſi attendimus, tunc glutine illo, quod terreas moleculas nectit, accedente, terrae, quas latiſſimo quidem ſenſu argillaceas appellare licet, exoriuntur. Quaenam ſit illa glutinoſa materies, quae terrarum interſtitia replet, easque ita mutat, vt in tenacem maſſam abeant, alibi quidem definire ſum conatus, ipſum vero hoc argumentum aggreſſus, tantis illud difficultatibus irretitum inueni, vt valde dubitem, an vnquam ad abditam ſubtiliſſimi huius glutinis naturam peruenturi ſint rerum naturalium ſcriptores. Si igitur puriſſimam mineralem terram exigis, aut calcaream habebis et ratione originis eidem ſimillimam gypſeam materiam, cuius exempla Morochtus et Creta ſiſtunt, et quorſum forte puriſſimae Tripelae glebae referri poſſunt, aut argillaceam percipies, quae Bolum, Smectidem, Argillam, Margam, Graphium et Lithomargam ſub ſe comprehendit. Sed non haec tantum inter ſe mixta quaſi terrarum genera, ſed aliae quoque peregrinae accedentes particulae inſignem terrarum numerum, et copioſas earum, quas in ſpeciebus recenſuimus, diſcrepantes varietates efficiunt. Ipſa praeter ea haec, quae glebas a primariae terrae indole nimium recedere cogit, miſcelae diuerſitas impedimento fuit, quo minus terras ex mixtionis, quam docimaſtica diſquiſitio exponit, indole ordinare potuerimus, ſed iis potius inhaerendum fuerit notis, quas ipſa glebarum ſuperficies conſpiciendas nobis ſuppeditat.

Sed

n) In Lithogeognoſia pag. 16.

Sed dum ad ea reſpicimus, quae praeter gluten ad terreas moleculas accedunt, ſalinae, inflammabiles, metallicae et aliae minerarum partes in cenſum hic veniunt. Ipſa vero haec particularum admixtio duobus potiſſimum abſoluitur modis, fit enim illa vel per ſimplicem mineralium comminutionem, vel per ſolutionem. Ad primum quod attinet, idem ille aquarum impetus, quo lapides deſtrui aſſeruimus, in alia quoque mineralia vim ſuam exercet, ita, vt moleculae argenti vel aliarum minerarum, ab eo atterantur et e ſede ſua dimoueantur. Inde et eſt, quod variae ſupra a nobis recenſitae glebae, Argilla potiſſimum venarum, deſtructa argenti rudimenta vel alias particulas admixtas habeant. Curioſior vero eſt alter ille admixtionis modus, vbi nimirum vitriolica in primis ſalia ab aqua ſolvuntur, et cum adhaerentibus inſimul particulis in ochraceam terram abeunt, vel colorem ſaltim cum aliis purioribus quoque terris communicant, ita vt cuncta, quae de Ochra in genere, vel de terris, Ochra tinctis, produxi exempla ad hanc terrarum claſſem referri mereantur.

Ab inſtituto quidem noſtro alienum nunc non eſſet, ſi omnes illas, quae in terrenis concretis obſeruantur, a peregrinis admixtis corporibus inductas, mutationes intimius paullo rimari vellemus, ſed cum ea, quae nobis cognita ſunt, huius mutationis exempla, paſſim in ſpeciebus terrarum adducta inueniantur, in genere tantum de colore, ſapore et odore terrarum pauca ſubnectere placet. Omnes illae obſcure rubentes glebae, quae ad dilute flauum colorem vſque accedunt, ferri praeſentiam indicant, cuius admixti metalli copia ex pondere in primis et intenſe rubente terrarum colore colligi facile poteſt. Sic quoque viridis terra cupri ſolutionem innuit, quippe quod, in vitriolico acido ſolutum, talem terrenis moleculis colorem induxit. Sic vitriolicae quoque ſpicula ſalina continentes terrae, ſi aeri libero exponuntur, effloreſcunt, et tenue pro differentia vitrioli virideſcens vel coeruleſcens emittunt tomentum. Sed, ſi dicendum, quod res eſt, indicati non ſolum terrae, ſed cinereus quoque et alii forte, qui in minerali regno tam varii inueniuntur, colores, niſi alia inſimul accedant diſquiſitionis adminicula, diu quoque conſiderati, admixti tamen corporis naturam vix vnquam ſatis nobis demonſtrant.

Terrarum deinde ſaporem ſi diſquiras, purae et ſimplices terrae non niſi exſiccantem quendam in lingua relinquunt ſenſum, quem terreum ſaporem dicimus; magis tamen adſtringens et ſtipticus ille euadit, ſi martialis vel venerei vitrioli acceſſus terram ſapidam magis reddit. Salina prae reliquis ſpicula, diuerſum et acutum admodum ſenſum in deguſtante lingua excitant, vti iam ſupra in tractatione de terris ſalinis monuimus. Terrarum praeter ea ſuperficies tactui aſpera vel leuis eſſe deprehenditur,

nec

nec dubium eſt, quin lingua quoque has terrae conditiones diſquirere poſſit, ſed id ad ſenſum guſtus non pertinet. Huius enim, nobis a natura conceſſi, organi officium in eo tantum poſitum eſſe videtur, vt ſolutas per ſaliuam et ſapidas inde redditas partes earumque indolem manifeſtet, minime vero aſperam aut leuem corporum ſuperficiem diſtinguat, vel ſiticuloſam earum naturam prodat.

Odoratu denique terras, niſi igni iniiciantur, vel fortiter ſaltim digitis atterantur, examinari non poſſe certum eſt. Terreae namque partes illam mixti indolem non habent, vt reſolutae eae nares ferire poſſint, niſi et ſubtiliſſimum quemlibet, nares irritantem, pollinem odorari aſſeras. Immixtae itaque arſenicales, in Argilla arſenicali, et ſulphureae, in Puteolana et aliis ſimilibus, quae olfactus ope percipiuntur, partes non terrae ſed admixti indolem produnt, ita, vt lapides, ſalia, metalla, eorumque partes nihil odorati terris impertiri, inflammabilia contra et quaedam ſemimetalla aliquem ipſis odorem conciliare poſſe, ex hactenus dictis pateſcat.

Quae vero his adminiculis imperfecte deteguntur terreorum corporum affectiones, docimaſticum dictum examen plenius declarat, in primis ſi illud ad eas ſuſcipiatur leges, quas varia terris admixta corpora exigunt. Peculiari opus eſſet libello, ſi ſingula illa admixta et varios eos e terris educendi modos, rite, vt decet, commemorare vellemus; pauca tamen de ferro, vtpote praecipuo, quod terras ingreditur, minerarum genere, exempli loco, hactenus dictis apponere licebit. Raro admodum aut nunquam eae in terris reperiuntur particulae, quae verum et elaboratum iam ferri metallum ſiſtunt, et magnetem inde ſequuntur, ſed illae tantum, quae ab inflammabili addito ignis demum ope in illud mutari poſſunt. Suſcepta deinde terrarum cum ſale ammoniaco ſublimatio facilius longe praeſentes in iis ferri particulas prodit. Niuei enim huius ſalis flores, rubro, flaueſcente, vel ex his mixto colore abinde tinguntur: aſperſum vitrioli oleum ferro iungitur, et martis vitriolum exhibet, quod tamen ſaepius, cum terrae vitriolicae, aeri expoſitae, acidum illud vniverſale, quod ad vitriolicum proxime accedit, auide arripiant, ſibique vniant, et ita vitriolum conſtituant, ſola, cum aqua inſtituta, ſolutione obtinetur.

Fuſoria denique, quam vocant, praecipitatio omnium optime ferrum in ipſa ſua ſubſtantia e terris collectum et combinatum nobis oſtendit. Haec, quae de ferro annotauimus, ad cuprum quoque applicari poſſunt, reliqua vero metalla, ſub ea plerumque, quae ipſis a natura data eſt, forma,

ſed

ſed comminuta valde in terris conſpiciuntur, vt vel per fuſionem in fornice docimaſtico, vel per vitrificationem terrarum facili ſane opera detegantur.

De auri atque argenti in terris praeſentia paſſim iam in capite tertio nos verba feciſſe meminimus. Cum enim illi, qui de quibusdam tantum terris ſcripſerunt, auctores, Strigonienſem, Toccayenſem et alias, in luteum colorem vergentes, glebas, ſolares ſiue axungiam auri, terras ſulphure auri impraegnatas dixerint, alii inſuper in lacte lunae, nobis Morochto dicto, argenti moleculas commonſtrare tentauerint, et varios denique albos Bolos axungiam argenti appellauerint, fieri non potuit, quin in eorundem opinionibus referendis noſtram non nunquam de iis ſententiam ſimus profeſſi. Vt paucis multa complectamur, nullibi ea annotata inuenimus experimenta, quae in his terris nobiliora metalla nidulari, certiores nos reddere potuiſſent. Inter ea tamen id mihi perſuadere non potui, vt omnem praeſtantiorum horum metallorum admixtionem terris prorſus denegarem, fateor potius, et id quidem diſſimulare nolo, BECCHERI auctoritatem ſuſpenſum ſemper hac in re meum detinuiſſe animum; ita enim ille, in metallorum indagatione verſatiſſimus, de hoc argumento ſtatuit [o]: *Interim tamen certum eſt metalla, ipſum etiam argentum, ex limo, quem metallicolae Bergmilch vocant, generari; is enim, cum prorſus liquidus ſit, inſtar craſſioris aquae, vt in antris, vulgo Zæcben, non raro ſupra lapides deſtillet, principio totus limoſus et liquidus eſt, et, ſi arte deſtilletur, ſpiritum, oleum et terram praebet, nullo modo in metallum reducibilem, prorſus enim volatilis eſt, et per omnia communi limo ſimilis, prout in anatomia ignis etiam probauimus (deinde etiam arte ex metallis talem liquorem fecimus) tractu vero temporis elegantiſſime conſiſtit, in ramuſculos et excreſcentias exaltatas, et purum, putum ſinum argentum fit, ſine vlla diminutione ſui, vulgo gediegen ſein Stahlglantz, quae ſane obſeruatio ad oculum convincit, metalla ex terra generari et proinde mixta terrea eſſe.* Et paullo poſt: *Recordor, ni fallor, me in Tabernaemontano legiſſe, quod aurum in terram ſigillatam mutauerit irreducibilem, cui ſimile experimentum et nobis notum eſt.* Vltima haec nominati auctoris verba inſtitutum ab eo, ni fallimur, indigitare videntur experimentum, quo ex limo communi et oleo lini ferrum produxit [p]. BECCHERVM vero commemoratum hoc experimentum ſubintellexiſſe, ex eo colligimus, quod quidam in chemicis exercitatus in hoc, ex limo producto, ferro aurum latere mihi aſſeuerauerit.

Multa

o) Phyſic. Subterran. Lib. I Sect. III cap. 5 no. 14. p) In Suppl. 1 ad Phyſic. Subterran. cap. 1 pag. 584.

Multa adhuc de terris, vel per ſe, vel cum aliis admixtis in vitrum mutatis, ad declarandam diuerſam earum indolem ex auctoribus allegari et per varia experimenta ſtabiliri poſſent, ſed cum in tanta glebarum diſcrepantia generalis quaedam de iis regula poni vix queat, pedem hic figimus, et ad terras, vt medicinam conſiderandas, nos conuertimus.

CAPVT



CAPVT VI.
DE TERRIS MEDICE CONSIDERATIS.

Terras, quas in antecedentibus ampla ſatis oratione proſecuti ſumus, in oeconomicis non ſolum et in mechanicis in primis operibus, ſed in medicis quoque rebus, ob inſignem, quam praeſtant, vtilitatem egregie ſeſe commendare, neminem latere arbitramur. Et prolixa ſane ſe nobis offerret diſſerendi occaſio, ſi cuncta, quae ab auctoribus notata iamiam de hoc argumento inueniuntur, ſtudioſe repetere et inſtituta diſquiſitione vlterius declarare vellemus. Ita enim ſumma tantum, quae hic animaduertenda eſſent, capita ſi perpendimus, varium omnino et maiorem forte eſſe terrarum vſum cognoſcimus, quam quis facile perſuaderi ſibi pateretur. Primo equidem omnium de terris, ad fictilia vel nobiliora vel ignobiliora vaſa conficienda aptis, diſpiciendum eſſet, in quantum nimirum illae vel ob inſitam ipſis naturam ad hunc vſum diſponuntur, vel artis opera praeparatae et aliis rebus admixtae figurari et per ignem coqui poſſunt, qua inſimul occaſione non nulla de arte vitraria et lateritio opere dicenda forent. Aliae deinde terrae tingendis et pingendis corporum ſuperficiebus inſeruiunt, et aquae aut oleo iunctae, vel cum maſſa, in vitrum permutanda, miſtae, variis inde operibus inducuntur. Porro ad corpora foſſilia polienda terrae adhibentur, dum puluis earundem vel minimae moleculae, lapidum, gemmarum et metallorum ſuperficiebus affricantur, quo illae aequales politae et ſplendentes reddantur. Fullones denique terrenis corporibus in pannis et linteis dealbandis vtuntur, et eorum, aquae admixtorum, auxilio pingues et mucidas maculas ex opificiis ſuis eluunt. Maximam vero attentionis partem ſibi vindicaret artificialis illa ſoli emendatio, qua macrae in primis cum pinguibus debita ratione permiſcentur terris, et in fertiles inde agros laetaque prata conuertuntur.

Sed

Sed recenſita hactenus et alia forte plura, a prudenti terrarum vſu expectanda, commoda intacta in praeſenti vt relinquamus, neceſſe eſt. Cum enim hoc, quod in publicum nunc prodire iubemus, opus hiſtoriae naturali dicatum ſit, et Regii Muſei partem aliquam delineatam atque deſcriptam deprehendat, longius a tramite aberraremus, ſi praeter ea, quae paſſim in hiſtorica ſpecierum enumeratione, tanquam praecipua de hoc argumento retulimus, communes terrarum vſus et vires fuſe pro rei amplitudine adducere vellemus. Inter ea tamen veniam nos impetraturos eſſe ſperamus, ſi arti, quam exercemus, quicquam concedentes, vtiliſſimam de medico terrarum vſu materiam delibare ſaltim ſuſcipimus.

De naturalium corporum, quas in machinam humanam exercent, viribus certi quicquam ſtatuere, ardua omnino res eſt. Licet enim in iis definiendis minus neceſſarium eſſe videatur, vt ad vltimos compoſitionis limites excurramus, et corpora vſque ad prima eorundem principia noſtra diſquiſitione proſequamur, aeque tamen difficile eſt, minimorum tantum concretorum et mixtorum efficaciam ad obſeruationum leges examinare. Quodſi enim ex vna parte minima concreta vel mixta, in ſolidis et fluidis corporis humani reperiunda, ex altera vero eaſdem in ipſo medicamento praeſentes moleculas conſideres, tum in his ſeparatim perluſtratis, tum in mutua, qua in ſe inuicem agunt, virtute non niſi obſcuras, ſenſuum veris teſtimoniis deſtitutas, deprehendes ideas, quibus, ſi in applicatione medicamentorum ad corpus aegrotum inſiſtere velis, non ſatis tuto rem tuam peragere poteris. In primis, cum omne medicamentum, antea quam ad interiora corporis vaſa deducatur, tantas adhuc in canali alimentorum ſubeat mutationes, vt, quis demum, ab iis permutatis, in minimis corporis noſtri partibus ſperandus ſit effectus, ne coniectura quidem aſſequi poſſimus. Nec iuuat, vt ſenſuum ope medicamentorum actionem quodam modo definiri poſſe dicas, viſus namque et tactus in minimis cognoſcendis nulla ratione adhiberi poteſt, ſapor vero et odor, licet internam corporum naturam detegere videatur, ſaepius tamen vix claram, nedum diſtinctam rei quaeſitae nobis conciliat notionem.

Eadem fere et forte adhuc maior difficultas nos premit, ſi ex collectis per experientiam phaenomenis, ad corporum naturalium in noſtro corpore productos effectus concludere conamur. Non enim omnia, quae in tam artificioſe compoſita hominis machina vno eodemque temporis momento eueniunt, neque eas, quae ex peculiari cuiuslibet aegroti conſtitutione proueniunt, mutationes ſatis a ſe inuicem diſcernere, et inde, quid viribus vitae, quid medicamentorum operationi adſcribendum ſit, certo definire valemus. Hinc, etiamſi conſiliis medici obtemperantes

tes aegrotos, nec aliena et medicamentis ſaepius contraria ſuggerentes nobis fingamus adſtantes, climatis denique, anni tempeſtatis, aetatis aliarumque rerum rationem habeamus, tamen cum ad plurima attentus ne minima quidem praetermittere debeat momenta induſtrius ſanitatis et morborum obſeruator, omni vix vnquam ſuperſedere poterimus fallacia, ita vt dubitandum potius ſit, num certam et omnibus numeris abſolutam horum euentuum cognitionem nobis comparare queamus.

Id ipſum vero, quod in omnium, ſalutari vi praeditorum, corporum examine euenit, nos quoque, in terrarum efficacia diſquirenda occupatos, dubios atque incertos tenet, idque eo magis, quod in terris non efficacia vt plurimum et ſenſibus obuia principia, ſed minimae tantum et praeter molem inertes fere moleculae conſiderandae ſuperſunt. Ea enim ſi euoluas, quae de terrarum principiis ex variis auctoribus paſſim collegimus, nil niſi obſcuras, dubias et falſas haud raro inuenies opiniones: addas his ea, quae per experientiam cognita, a claris ſaepius in arte viris tradita inueniuntur, vereor ſane, ne cuncta vlteriori probatione indigere aſſeras. Haec ſi, vt opinor, vera ſunt, ego veris cognoſcendi principiis in hac ardua diſquiſitione deſtitutus, nec elegans ſatis, neque omnibus numeris abſolutum opus me confecturum eſſe probe intelligo. Inter ea tamen haud inanem, neque ingratum prorſus laborem me ſuſcepturum autumo, ſi ratione et experientia adiutus, ea, quae ad medicas terrarum vires explicandas quodam modo faciunt, proponam.

Terrea medicamenta a veteribus iamiam artis ſalutaris magiſtris adhibita et magni inſimul aeſtimata fuiſſe, noſtras de terra Lemnia, Bolo Armeno, aliisque ſimilibus veterum terris diſſertationes euoluenti, facile apparebit. Omnes deinde aeui medici et recentiores quoque, veterum veſtigiis inſiſtentes, ſimiles terras aegris exhibuerunt et optimos praeter ea effectus, iis applicatis, ſe obſeruaſſe tradiderunt, qui vtrum ipſae, medicaminis loco exhibitae, terrae adſcribendi ſint, annon potius vis vitae deperditam ſanitatem laborantibus corporibus conciliauerit, aliis diiudicandum relinquimus et abuſum ſaltim ortum inde traxiſſe monemus, cum maximo artis ſalutaris damno ad noſtra vſque tempora propagatum, ita ut aegrotis, qui efficacia, ob ſaporem et odorem non raro nauſeoſa, medicamenta moroſe reſpuunt, inſignis terrarum inſipidarum moles offeratur, et vilioribus eius modi pulueribus, alexipharmacae, cordiales, diaphoreticae, diureticae, roborantes et aliae plures virtutes a medicis, nimis non nunquam officioſis, adſcribantur.

Etſi vero recentiorum quorundam medicorum induſtria debitam mereatur laudem, quod inertem hanc et inſipidam medendi methodum e

medicina proſcribere omnibus neruis intentis allaborauerint[q], in eo tamen illi monendi adhuc eſſe videntur, quod terreorum medicamentorum vires reiiciant magis, quam certis limitibus eorum efficaciam includant, et omnes in primis terras ſine vllo examine chemico in vnum quaſi chaos coniiciant, neque perpendant, quanta in mixtis terrae cuiuſdam particulis, vti a natura illae producuntur, ſtatuenda ſit diuerſitas.

Dum autem terreorum medicamentorum virtutes examinandas nobis ſumimus, eas tantum intellectas cupimus terras, quae ipſa natura, per continuas globi terraquei, in praecedenti capite a nobis explicatas, mutationes generat, omnes itaque reticebimus medicinales terras, quae copioſe ex regno animali deſumuntur, neque de mineralibus, quae ignis ope, vt antimonium diaphoreticum et ſimilia medicamenta, in terream ſubſtantiam fuere deducta, verba nos facturos promittimus. Licet enim cuncta haec, arte elaborata, corpora certo quodam modo ad terras genuinas referri, vel cum iis comparari ſaltim poſſent, tamen, cum in vehementioribus illis, quas chemia iis inducit, mutationibus intima eorundem textura, modo non ſatis perſpicuo, turbetur, ſolis, ab ipſa naturae ſolertia deducendis, terris in praeſenti inhaeremus, in primis cum operis noſtri ratio de iis tantum, vt cogitemus, poſtulet.

Neque in earum, quas in praecedentibus pertractauimus, terrarum viribus examinandis ad ſimplicem tantum terram reſpiciendum eſſe notamus. Cum enim diuerſa illa, quam in lapidibus obſeruamus, natura, ipſis quoque ex iis prognatis terris maneat, varia praeter ea aliis prorſus indolis principia terris admiſceantur, quae, vt diuerſum illae corpori applicatae edant effectum, in cauſſa ſunt, notabilem certe terrarum differentiam in diſquirendis earum medicatis viribus, vt perluſtremus, neceſſe eſt. Ipſae hae, ad terras accedentes, partes a quibuſdam earum compoſitis ſpeciebus facile iterum ſeparari poſſunt, aliae vero ita adunatae inueniuntur, vt iunctae cum ipſis terreis partibus ſimul agant. Quae cum ita ſint, illas terrarum ſpecies, quae ob ſalinum, ſulphureum et alia forte admixta principia ſuum et ab his prouenientem effectum edunt, hinc ad alia materiae medicae capita referendas, in praeſenti relinquimus, illas tantum, quae intime ſibi iunctum eius modi principium continent, terras conſideraturi.

Licet autem haud incongruum eſſe videatur, ſi noſtram, quam nunc tractamus, materiem ad terrarum, in officinis receptarum, catalogum ordinare

q) Nominandus in primis eſt BALTHASAR LVDOVICVS TRALLES qui in examine rigoroſiore virium, quae terreis remediis gratis hactenus adſcriptae ſunt. Vratislav. 1740. 4. edito, fuſe eleganterque hanc rem tractauit.

dinare vellemus, tamen cum tantam terrarum officinalium inuenerimus confuſionem, quam in ſpeciebus enumerandis hinc inde quidem notare, nulla vero ratione digerere potuimus, ipſa praeter ea paſſim iam dicta repetere atque perficere, longum nimis et a propoſito alienum ſit, memoratam hanc terrarum officinalium recenſionem aliae occaſioni relinquentes, aptiorem et inſtituto noſtro magis conuenientem nos ingreſſuros eſſe viam confidimus, ſi ea, quae de ſalutari terrarum effectu dicenda adhuc reſtant, in duas partes, tanquam in capita, diuidamus. Horum prius generale erit, et quatenus terrae, quas in praecedenti capite in calcareas, gypſeas, argillaceas, et non nullis intime ipſis admixtis peregrinis partibus refertas diſtinximus, quaſdam in corpore humano producere valeant mutationes, proponet. Alterum vero ſpeciale magis erit, et modum, quo hae ipſae terrae, cuti externae, canali alimentorum, et vltimis corporis vaſis applicatae, operantur, declarabit. Haec duo momenta, quamuis a ſe invicem diſtingui iure vix poſſe videantur, in eo tamen differunt, quod in priori capite ad particularum in primis indolem, in poſteriori vero ad modum magis, quo corporis ſolida et fluida ab agentibus hiſce moleculis afficiuntur, reſpiciendum ſit.

Prius vero quam in explicandis his rebus progrediamur, alii auctores, qui de medico terrarum vſu in genere verba fecerunt, audiendi adhuc ſunt. Ex eorum numero AGRICOLAM primo loco allegare fas eſt. Ita enim ille [r]: *Omnis terra, quoniam eius corpus natura ſiccum eſt, exſiccandi vim obtinet: quae autem adſtringit, eſt frigoris particeps, atque ideo refrigerat et repellit, et quo quaeque magis adſtringit, eo magis refrigerat, adſtringit vero quaedam adeo vehementer, vt retracta linguae cutim deripiat, - - - quaedam parum admodum adſtringit, mediocriter quaedam, quae vero terra acrimonia quadam guſtatum commouet, caloris eſt particeps atque idcirco calfacit, et quo quae fuerit acrior, eo magis calfacit, cui igitur acrimonia inſignis eſt, ea valde calfacit et mordet: cui mediocris, mediocriter haec facit, cui tam pauca, vt vix ſenſu percipi poſſit, ea parum calfacit, nec vllum morſu dolorem efficit, abſtergit tamen; at quae guſtata pinguitudine, quaſi quodam glutine, afficit linguam, nec tamen adſtringit, nec acris eſt, ea illiniendi vim obtinet, ac modice refrigerat. Etenim cum omnis terra, cui neque frigoris neque caloris euidentia ſunt ſigna, illiniendi vim obtineat, magis eam obtinet glutinoſa, ſimiliter ſe habens in calore et frigore. Quae autem, cum pinguis ſit, adſtringit, ea diuerſis eſt viribus praedita, nam et illinit et adſtringit: quae vero in pingui acris eſt, etiam diuerſas vires obtinet, illinit enim et abſtergit. Haec quicunque diligenter obſeruauit, de cuiuſque terrae ſimplicis, quae ei in manus venerit, viribus poterit iudicare.*

Ex

r) De Natura Foſſilium Lib. II pag. 580.

Ex ampliſſima hac deſcriptione AGRICOLAM omnibus terris exſiccandi, quibuſdam vero adſtringendi et refrigerandi inſimul virtutem adſcribere, aliis acrimoniam quandam et a ſtimulo prouenientem calorem tribuere, aliis vero ob pinguitudinis, quem produnt, ſenſum illiniendi vim, aliasque ex his compoſitas et mixtas quaſi vires concedere intelligimus. WORMIVS [s] deinde eandem cum eo fouet ſententiam, et alexipharmacam praeter ea peculiarem virtutem, quae nec a primis nec a ſecundis dependeat qualitatibus, terrenis remediis adiudicat. GREWIVS [t] tandem eam in primis terrarum, quas in medicina adhibemus, differentiam animaduertendam eſſe ſtatuit, qua quaedam ex illis ab acidis mutantur et efferueſcunt, aliae vero non, ita differens: *I take the principal difference between earths, as applied to medical vſe, to be this: that ſome are not affected with acids, others are: thoſe pauperes or fatuae coming nearer to ſimple or meer earths: theſe ſaline, or impregnated with a mineral alkali and therefore of greater energy.*

Sed cum generale illud de terrarum viribus auctorum iudicium minus ſufficiens eſſe videatur, diſtinctius paullo de communibus iis, quae diverſis, in phyſica parte indicatis, terris competunt, proprietatibus agendum nunc erit. Quemadmodum vero omnis terrea particula, ſi velut elementaris et prima terrenorum corporum pars conſideratur, iners eſt et nullas exercere vires valet, niſi in mixtionibus primis ab aqua, aere et igne, vel in ſecundis a phlogiſto, ſeu ſulphureo principio et ſale admixto in actum deducatur, ſic quoque videri poſſet, ac ſi quaeuis compoſita terra ſalutarem in medendo effectum non praeſtet, et eodem, vt prior, iure tanquam medicina minus efficax haberi debeat. Probe autem tenendum eſt, nos, dum medici partes agimus, de elementari et puriſſima terra loqui non poſſe. Omnis enim, pro ſimplici quoque habita, terra, vel mere terreas, ſingulari modo diſpoſitas, partes, vel alia inſimul intime ſibi iuncta habet principia, quae validiores quidem terrae vires reddunt, non tamen per ſe, ſed quatenus ipſi terrae admixtae ſunt, agunt.

Calcareae terrae primo loco conſiderandae veniunt. Hae, licet verum alcali illis non inſit, ſed ea tantum particularum diſpoſitio obſeruetur, ob quam acidi ſalis ſpicula ſuſcipi, immutarique poſſint, et aliam inde naturam indipiſcantur, alcalinae vel antacidae appellantur. Ex his vero cum acido efferueſcentibus terris aliae ſpiſſiores, ſubtiliores aliae inueniuntur. Priores quaſdem quidem continent particulas, quae, ſi acido committuntur, efferueſcentiae notam exhibent, ſed cum impuram, gypſeam, vel argillaceam terram maiori copia admixtam habeant, denſiores et ponderoſas

s) In Muſeo Lib. I Sect. I cap. 4 pag. 5. t) In Muſeo Regalis Societatis Part. III Sect. II cap. 3 pag. 348.

derosas magis constituunt massas: posteriores totae fere ab acido affuso soluuntur, vel ipsi iunctae rariorem et solubiliorem substantiam relinquunt, et puriores inde nominandae post factam hanc resolutionem aliam potissimum induunt naturam, et velut sal medium viscidas omnes partes resolvunt atque abstergunt. Etsi enim calcareae terrae, vt antea monuimus, verum sal alcali, quod per vegetabilium corporum incinerationem producitur, non obtineant, ipsae tamen earundem moleculae permultas proprietates produnt, quae cum acri illo sale, in institutis experimentis, quoad effectum, conueniunt, atque ideo similem, corpori nostro applicatae, promittunt virtutem.

Non vero mineralia illa, cum quibus experimenta instituuntur, acida, quo minus ad acida, in corpore nostro haerentia, concludamus, prohibent: praeter id enim, quod debiliora quoque, vegetabilia scilicet, acida, vt succus citri et acetum, in plurimis calcareis terris similes producant effectus, ipsa simul in primis viis haerentia acida, licet ex vegetabilibus tantum originem ducant, interdum tamen illum acquirunt acrimoniae gradum, qui a minerali, vt vehementiori acido, propius abest. Neque porro habemus, cur nimiam calcarearum terrarum acredinem extimescamus, illae enim, cum non ignis vi, sed per naturales, mitius operantes, quas in Morochti genesi explicauimus, causas productae sint, et igneum causticumque, quod sola calcinatio corporibus impertitur, principium admixtum non habeant, mitioribus sane atque innocuis annumerandae erunt remediis. Ita, vt si sal tartari et alia salia alcalina fixa, nec non testas ouorum, cornu cerui et reliqua recenter calcinata corpora, in primis viis vehementius agere, teneriores earum villos arrodere, inflammationem corpori inducere, et ita saepius tanquam venena operari, tristis saepius experientia doceat, haec ipsa, periculi plena, incommoda calcareae quaeuis terrae vsu non euentura esse spondeamus. Et posito denique, ast non concesso, quod vitriolicum, vt quidam volunt, in aqua solutum, acidum omnes vbique calcareos lapides arrodat, et in terras permutet, illud tamen, dum vires suas lapidum destructioni impendit, vel cum aqua iterum ab iis discedit, nullam, si terrae ab eo praeparatae assumantur, corpori animali noxam procreare valebit.

Supra quidem, in speciebus recensendis occupati, Argillam XVII. ex venis, arsenico impraegnatis, desumtam nominauimus, minus tamen apte ad omnes calcareas terras concluderet, qui suspectum earum vsum inde reddere vellet, quoniam nociuae forte minerales et arsenicales potissimum partes iis adhaerere possent. Huius enim minerae praesentia in iis, vbi nostrae terrae efformantur, locis, vel prorsus non vel raro admodum

obſeruatur, et ſi quoque tales adſint peregrinae partes, facili certe labore cognoſci et ipſae inde terrae reiici poterunt. Eadem ferme de ceruſſa natiua et ſimilibus reſoluti plumbi partibus, quae pro lentis venenis, et recte quidem habentur, ferenda eſt ſententia. Nec opus eſt, vt plura de iis hoc loco dicamus, ſi enim plumbum ſub terrae forma latitaret, in gypſeis magis, de quibus nunc dicturi ſumus, quam in calcareis terris eius admixtio metuenda eſſet.

Si itaque calcareas, huc uſque a nobis diſquiſitas, terras medicaminis loco exhibere velis, illae praecipue, de quibus in Morochti prioribus quinque ſpeciebus, in primis in ſpecie prima et quarta verba fecimus, eligendae erunt. Ex his vero reliquis praeferendae ſunt glebae, quae partes peregrinas admixtas non habent, leuitate ſeſe commendant, et lactis lunae et oſteocollae nomine veniunt, quibus tamen in officinis pharmaceuticis ſpuriae non nunquam, iiſdem titulis praeditae, terrae ſubſtituuntur. Ponderoſae contra, ſabuloſae et multo minus argillaceae terrae et Cretae tandem, cum inertem ſaepius, compactam et vix reſoluendam maſſam ſiſtant, vſurpandae non erunt.

Gypſeas terras inertes prorſus et nullius fere aut exigui ſaltim in medicina vſus eſſe, inſtituta cum ipſis experimenta ſat copioſe teſtantur. Si enim aqua imbuuntur, in denſiorem coeunt maſſam, et cum acido ſucco tentatae, particulis illis, quae ab acido moueri poſſunt, prorſus deſtitutae inueniuntur. Quodſi itaque intus illae in corpus recipiuntur, cum humoribus noſtris, in primis viis haerentibus, vtpote aqua ſpiſſioribus, in maſſas non reſoluendas, vt cogantur, et oneri magis ſint ventriculo, quam quaecunque alia terrea medicamenta, neceſſe eſt, nedum, vt morboſum ventriculi acidum corrigant, aut ita a corpore ſubigi poſſint, quo abſtergendi et reſoluendi effectus abinde expectari queat. Communis tamen illa, quae in reſorbendis aquoſis humoribus poſita eſt, terris plerumque adiudicata exſiccandi virtus, his terris prae reliquis conceſſa eſt, ita, vt externo ad minimum vſui illae inſeruire poſſent, niſi in eo caſu, vbi ob poroſam ſuam ſubſtantiam vires quaſdam exercent, denſitas et rigiditas maſſae inde enata, frictione et continua irritatione maiorem noxam inferre videantur, quam illud eſt commodum, quod exſiccando partium ſuperficiem corpori forte conciliant. Omnes itaque illas, quas ſub Morochto VIII recenſuimus, lactis lunae nomine inſignitas, glebas, cum ad hanc pertineant terrarum claſſem, ad terras medicinales referendas non eſſe, ex hactenus diſputatis colligimus.

Reſorbendi et exſiccandi virtutem pingues, latiori ſenſu argillaceae dictae, terrae non exſerunt, nec acido ita reſiſtunt, vt cum eo efferueſcant,

inter

inter ea tamen inutiles prorſus iudicandae non ſunt, ob viſcidum potius vel mucilaginoſum, qui proprius ipſis eſt, lentorem acres et ſtimulantes quaslibet partes inuoluunt, easque, quin acrimonia ſua laedant, impediunt, idque eo facilius praeſtant, quo tenuiores illae et facile ſoluendae adhibentur. Quamuis autem dictam hanc illiniendi et acria inuoluendi poteſtatem cuilibet Smectidi vel Argillae adſcribere poſſemus, Margae tamen et Boli, cum puritate et leuitate omnes ſuperent Argillas, et facile admodum ab humoribus corporis noſtri diſſolui poſſint, reliquis, proprie ſic appellatis, Argillis praeferendae erunt.

Nec eſt, cur indicatam hanc differentiam obiter tantum intueamur, et illud, quod omnes terras pingues nectit, gluten unius eiuſdemque indolis eſſe dicamus. Varias enim terras conſideranti facile patebit, gluten terrarum gradu ita differre, vt in aliis tenuius, ſpiſſius contra in aliis illud inueniatur, et inde facili aut multo demum labore diſſolui poſſit. Eadem quoque in terreis, hoc glutine iunctis, principiis obſeruatur diuerſitas. Argillaceae namque terrae ex denſioribus magisque compactis partibus compoſitae eſſe videntur, quam Boli et Margae, quibus tenues atque ſubtiles a diuerſimode operante natura conceſſae ſunt moleculae. Memini quidem, Bolos, Margas atque Argillas promiſcue inter ſigillandas glebas fuiſſe receptas, et ſigillo, vt bonitatis, nota donatas, nullaque habita generis ratione ad debellandos morbos vſurpari, neque illud me fugit aſſertum, quo Argillae vulgari albae, eadem, quae ſigillatis tribuitur glebis, diaphoreſin mouendi poteſtas adiudicatur [u]; ſed, ſi dicendum quod res eſt, praeter id, quod hae, in genere conſideratae, terrarum vires dubiae valde et fictae plerumque ſint, diuerſae Margae, Argillae et Boli, in tertio capite recenſitae, notae, has terras in ſuis, quos edunt, effectibus inſigniter diſcrepare debere, ſatis et abunde teſtantur, licet omnes illae, quae pingues appellantur, terrae, ad naturale earundem genus ſi reſpicias, haud parum inter ſe conueniant.

Ad illas tandem terrarum accedens partes, quae cum terreis elementis praeter gluten illud interueniens iunctae et intime ipſis adunatae ſunt, multa quidem haberem, quae fuſe hic loci pertractari deberent, ſed cum nullum, quod adeo commune ſit terris, peregrinum corpus reperiatur, quam ferri partes, de iis tantum, quod breuitatis ratio habenda ſit, quaedam exempli loco proponere placet. Solidae corporis noſtri partes ex fibris minimis ſimpliciſſimis componuntur; prima harum fibrarum elementa, mediante viſcido quodam glutine, inter ſe inuicem arcte cohaerent, et per aduenientes e ſanguine praeparatos liquores conſeruantur. Quodſi vero

u) In Ephemerid. Nat. Curioſ. Decad. I Ann. IX obſ. 156 pag. 344.

vero aquoſi nimis humores, deſcriptam hanc ſolidorum compagem alluant, vel externae tantum fibrarum ſuperficiei quacunque demum ratione applicentur, ob attenuatam quodam modo connectentem materiam, laxior inde particularum cohaeſio prouenit, quae ſola guttularum aquoſarum abſorptione emendari iterum poteſt. Terreae, ſubtiles et ſiccae, vt antea diximus, moleculae, exteriori fibrarum ſuperficiei applicatae, dum abundantem humorem ſugunt, ſicciores et firmiores inſimul fibras reddunt, idem tamen effectus in interioribus corporis partibus, a ferro tantum, terreis elementis adhaerente, explicandus erit. Marte namque ditata terra, non ſecus ac reliqua martialia medicamenta [x], quamcunque laxam fibram attingat, irritando eandem, vt reiteratis vicibus ſe contrahat, efficit, ob repetitam hanc fibrarum contractionem illae non ſolum, arctius ad ſe inuicem accedentes, quidquid fluidi in interſtitiis haeret, expellunt, ſed conflati quoque ex dictis his fibris canales, per imminutam, dum contrahuntur, diametrum id, quod ſuperflui ſibi datum eſſe ſentiunt humoris, exprimunt atque dimittunt.

Incaſſum forte haec omnia diſquiſita fuerunt, ſi verum eſt, martem, tanquam metallum, terrarum miſcelam non ingredi. Sed integra res eſt. Licet enim ferrum, ſub croci ſubtilis ſpecie tantum, terris admiſceri largiamur, tamen, cum ferrum in ſubſtantia non niſi reſolutum agat, effectus his, Ochra martiali impraegnatis terris denegandus non erit. Si enim, vt ſaepe fieri ſolet, limatura martis aſſumatur, illa, niſi acidum quoddam, in primis viis contentum, eandem ſoluat et ad vlteriorem actionem diſponat, vt iners moles in ventriculo haerebit. Inter omnes praeter ea conſtat, ferri crocos et martiales tincturas, ad leges pharmaceuticas praeparatas, non martem in ſubſtantia, ſed ſolutum eum et alia ſub forma latitantem continere. Ex his ſimul ſumtis ſponte ſua ſequitur, vt in corpore noſtro vel per vitae vires, vel per artem praeparatum ferrum, licet illud inflammabili principio priuatum, metalli formam deponat, martis adhuc naturam ac vires, eadem, vt martiales noſtrae terrae, ratione retineat.

At enim vero, cum intima terrenorum elementorum natura parum nobis innoteſcat, et hariolando tantum eam aſſequamur, has ipſas, a generali terrarum diuiſione petitas, diſtinctiones, ad ſalutares earundem virtutes plenius declarandas ſufficientes non eſſe, facile praeuidemus. Operae itaque pretium eſſe arbitramur, vt principes corporis noſtri partes perluſtremus, et quid terrae cuti, vel integrae adhuc, vel laeſae applicatae, aut in

x) Conf. de hoc argumento ALEXANDR. THOMSON Diſſertationes Medicae Lugd. Batau. 1705. 8. Diſſ. III de martis et aquarum mineralium operationibus medicinalibus.

in ipſum corpus receptae, vtilitatis machinae humanae conciliare valeant, diſpiciamus, atque peculiares, quos terrae in primis viis edunt, effectus primo loco, illas deinde, quas in interioribus corporis partibus producunt, mutationes conſideremus. In abditis vero his rebus, cum impoſſibile fere ſit, vt omnis aſſumtionis ſpecies euitetur, ita in iis declarandis verſabimur, vt ea, quae tanquam vera tantum apparent, ab iis, quae certa et comprobata ſunt, probe diſtinguamus et ad rationis, et, quae fida rerum magiſtra eſt, experientiae leges diiudicemus.

Vt ab externa corporis ſuperficie initium faciamus, alia certe, ſi terrae, cuti illaeſae applicantur, obſeruanda veniunt phaenomena, quam ſi arroſam et foedis vlceribus contaminatam eam obtegant. Communis eſt illa, quam natura in conſeruandis animalium corporibus ſibi poſuit regula, vt ad omnes eorum partes dirigantur canales, qui liquores ad quaevis et minima quoque loca deducant, ex his minores rami ad ambitum totius machinae abeunt, et tegumentorum vaſa conſtituunt, quorum in cutim terminata orificia vel halituoſos humores ſecernunt, vel partes, ad corpus aduenientes, recipiunt, et ſimul cum reliquo flumine ad centrum reducunt. In haec itaque exhalantium aut abſorbentium vaſorum oſtiola, integrae cuti applicatae terrae, vires ſuas vt exerceant neceſſe eſt. Non tamen in eo ponendum eſſe cenſeo terrarum agendi modum, vt ipſa venarum orificia terreſtres partes recipere poſſe ſtatuamus. Quamuis enim terrenas ita attenuatas nobis proponamus moleculas, quae in patula vaſorum oſtia penetrare queant, illae tamen, cum inertes admodum ſint, et vbique haerentes omnem fere motum reſpuant, ea nequaquam ratione, qua hydrargyri, aut aromaticae cuiuſdam plantae, volatiles redditas, partes cum humoribus noſtris communicari ſcimus, ad interiora deportari poterunt. Maiora adhuc, nec ſuperanda ipſis in finibus exhalantium arteriarum inueniuntur obſtacula. Hi namque inſenſibili vapore irrigati apices, dum tenue e corpore eliminandum ſerum dimittunt, omne id abigunt atque propellunt, quod ipſis ſeſe offert, ita vt ea, quam IOHANN. ARMSTRONGIVS [y] vacuo obſtructae arteriae oſtio tribuit ſubtilioris et actuoſi reſoluentis medicamenti, abſorptio, terrenis et inertibus illis moleculis adiudicari non poſſit, et eas inde in cuticulam tantum ipſaque vaſorum oſtia poteſtatem quandam habere cenſendum ſit.

Si itaque macrae et ſiccae, mediocriter calefactae, terrae cuti applicantur, partem, quam tegunt, non ita quidem, vt cataplaſma vel emplaſtrum

y) Vid. Medical Eſſays and Obſeruations publiſhed by a Society of Edimburgh. Vol. II. Edimburgh 1737. 8. Obſerv. IV pag. 40.

plaſtrum afficiunt, vtpote quae inſenſibilem humorum tranſpirationem cohibendo tegumenta plerumque emolliunt, ſed contrario plane modo ſuum effectum edunt. Rigidae nimirum non nihil aſperae terrae particulae reperiunda in cuticula vaſorum oſtia aliqua ratione vellicant, vel ſi cuticula ob indurata illa, quae eam conſtituunt, orificia ad percipiendam terrae actionem inepta iudicetur, eam, quae orificio proxime ſubeſt, canalis partem leniter ſtringunt et ad copioſiorem perſpirationem diſponunt. Vberior adhuc ſeri prouentus inde adiuuatur, quod terrae, cuti hac ratione applicatae, eam, quam tegunt, partem inſigniter fouent, et ſiccae, poroſae inſimul terreſtres moleculae notabilem perſpirabilis ſeri copiam in ſe ſuſcipiunt. Hinc enim patet, cur bolaris terrae, vel Cretae puluis, cuti, ſi eryſipelacei tumores diſcutiendi ſunt, admotus et per quoddam temporis ſpatium ibi relictus, madeſcat et euidenter haud parum humoris perſpirabilis ſibi admiſceri doceat. Idem fere Morochti ſpecies praeſtant, ad illam tamen, quam paullo ante calcareas inter et gypſeas terras intercedere diximus differentiam, in terra hunc in finem eligenda reſpiciendum eſſe monemus.

Ab ipſo vero harum terrarum externo vſu tegumenta confirmantur magis et reſoluuntur ſtagnantes humores. Dum enim terreae moleculae neruoſa ſtamina non nihil afficiunt, conflata ex iis vaſorum oſtia ad contractionem non violentam quidem, qualis a ſtimulantibus oritur corporibus, ad aliquem tamen coeundi niſum impelluntur. Subtiliter nimis philoſopharemur, ſi exhalantia vaſa, ob roborata per medicinam terream oſtia, continuo perſpiranti materiei aliquo modo reſiſtere, et illud inde, quod ad vicinas, per anaſtomoſin prioribus iunctas, arterias tendit, ſerum velocius reddi, ſtagnantes denique ibidem humores hac ratione reſolui poſſe aſſeramus. Idem fere de emolliendi, proprie ſic dicta, farinoſis quibuſdam terris adſcripta, poteſtate ferendum eſt iudicium. Etſi enim in recenſendis Bolis non nullas eorum ſpecies, ob ſummam cum farina conuenientiam, farinaceas terras cognominauerimus, minime tamen earundem moleculae eam adhuc retinebunt rigiditatem, quae, ne vaſa obſtructa emolliantur ac relaxentur, haerentes vero humores mobiliores abinde euadant, impediunt. Nec albis demum bolaribus terris, quales ſub Bolo III et V. adduximus, emolliendi virtus, tanquam praerogatiua, concedi debet. Cum enim illud, quod terras coniungit, Bolis minori copia quam reliquis terris datum, gluten alius longe indolis eſſe videatur, quam viſcida illa, in plantis obſeruanda, materies, illi certe obortos in cute tumores difficilius longe, quam aliae, e regno vegetabili deſumtae, farinae ad ſuppurationem praeparare valebunt.

Refrige-

Refrigerans porro, a terris externe applicatis, expectata virtus, quae, niſi haerentes in inflammatis tumoribus, et aeſtuantes nimium humores, ab aucto, per vſum terrarum, vaſorum robore, refrigeratos fuiſſe dicas, hiſce moleculis tribui nequit, ad hanc opinionum claſſem pertinere videtur. Inde et eſt, quod terrea eius modi medicamenta in eryſipelate tantum, in quo extimam cutis ſuperficiem inflammatio tenet, commendare poſſimus, cum contra, ſi inflammatas, profundius paullo ſub cute ſitas, partes iiſdem remediis curare velles, illa magis noceant, quam iuuent, et dum abſconditum malum ex efficacioris medicinae neglectu latius diuagatur, calloſam quaſi et induratam cutis ſuperficiem reddant.

Ex omnibus his conſideratis huc uſque terrarum viribus, me quoque tacente, tenues, ſicciores terras, et ex iis Morochtum ac Bolos, commode ſatis adhiberi poſſe, intelligitur. Nec ea certe ab vſu earum extimeſcenda erunt damna, quae ab humidis, in ſimili caſu vſurpatis, remediis haud raro contigiſſe ſcimus, in primis ſi dicta haec, leuioris vti videri poſſent momenti, medicamenta, in manu prudentis medici poſita, in iis tantum, quibus ex ſua, quam habent, natura obuiam eunt, morbis adhibeantur, et ipſe ea applicandi modus et operationis ratio perſpecta prius et penſitata fuerit. 'Probe enim notare hic conuenit, quod tenuiſſimus terrae puluis, ſi ſuperficiem corporis ſudantis tangit, et inſenſibili fere modo cuticulae ſtriis magna copia ſeſe inſinuat, exhalantia aeque ac abſorbentia vaſa obſtruere, et damnum inde afferre poſſit. Iis in primis id euenit, qui in cuniculis montium in metalla inquirunt, vel lapides caedunt, aut ſtatuariam artem exercent, et attenuatas inde, aeri relictas, lapidum partes corpore ſeminudo excipiunt, et, niſi munditiei inſimul ſtudioſi ſint, halituoſam, ex aliis ſaepe cauſſis iamiam cohibitam, perſpirationem magis adhuc impediunt atque infringunt.

Sed illud, quod machina humana a terris, cuti applicatis, percipit detrimentum, ſi ab externa corporis ſuperficie ad interiora eius caua concludas, parui forte momenti eſſe videtur. Ita enim pulmonum ſeu bronchiorum latera, quae, cum aerem et volitantes in eo peregrinas partes applicari ſibi ſinant, in eo cum cute conueniunt, maiora certe et grauiora patiuntur incommoda. Diſſipatae enim et volatiles quaſi factae lapidum moleculae inſpiratione ſaepius ſimul cum aere hauriuntur, ſenſibilia alias aſperae arteriae latera ob ſubtilitatem parum vel prorſus non afficiunt, et a ſecreto ibidem viſcido humore magis adhuc irretitae, ita iiſdem adhaerent, vt vix conſueta tuſſi reiiciantur, ſed ad ipſos pulmones delatae, eos, vt primarium ſanguificationis inſtrumentum, ad munia ſua peragenda ineptos reddant, ſcirrhis progenerandis anſam praebeant, et vt BERNARDINVS

DINVS RAMAZZINVS [z] optime iam docuit, tuſſim ferinam, aſthma, tabem, triſtes peracti operis teſtes, producant. Haec a terreis moleculis oborta mala, quamuis huius loci non eſſe videantur, apprime tamen cum illis conueniunt noxis, quas PAVLVS VALCARENGVS [a], incommoda, quae gemmas ex plumbo confectae rotae et Tripelae ope polientibus eueniunt, recenſens, et venenatam inſimul Tripolitanae terrae indolem adiudicans, deſcribit. Etſi vero abraſis et volatilibus quaſi redditis plumbi ramentis multum tribuendum ſit, aeri tamen relictus Tripelae puluis, dum corporis ſuperficiei ſe applicat et per inſpirationem hauſtus cum muco pulmonum in tenacem paſtam et in lapidoſas inde concretiones coit, et obſtruendo ſecretionem internam pulmonum et liberum eorundem motum cohibet, ſine eo, quod ad nociuas plumbi moleculas reſpiciamus, vehementer iam corporis integritatem laedere poteſt.

Ne vero longius a ſcopo aberrare videamur, ad ea cutis externae vitia, quibus terrae medentur, redeundum eſt. Laeſa cuticula, calloſa vaſorum, quae ſaeparantur, oſtia tenuem perſpirabilem materiam non amplius tranſmittunt, ſed ſerum copioſius effundunt. Si itaque Morochti ſpecies, vel aliae ſimiles terrae, quibus exſiccandi vis prae reliquis conceſſa eſt, dolenti parti imponuntur, exſtillans illae ſerum reſorbent, et, quod manantia vaſa roborando conſtringunt aut obſtruunt, nimium acrioris ſeri affluxum impediunt, et in cruſtam cum exſtillantibus liquoribus abeuntes, nouam cuticulam generari ſinunt. Me quidem non latet, hoc in caſu ceruſſam et alia, ex plumbo parata, remedia ſaepius adhiberi, ſed, ſi dicendum quod res eſt, ſaturnina eius modi medicamenta, niſi aegroti ſanitatem in ancipiti ſemper verſari cupias, vel prorſus reiicienda, vel parcius ſaltim exhibenda erunt, in primis, cum illa forte reſorpta ad tabem et peſſimos morbos diſponant.

Neque in profundius ſitis cutis, quae ſinus non habent, vlceribus, laudatae noſtrae terrae incaſſum adhibentur. Ponas enim nominata haec mala a deprauata humorum craſi non ſuſtentari, vel corrigi ſaltim per propinata medicamenta poſſe obortam in iis acrimoniam, terreae certe, laeſis tegumentis inſperſae, moleculae copioſum ſeri affluxum cohibere, et ita ſtillantia vaſa confirmare valebunt, vt nil niſi tenuiſſima et halituoſa tantum dimittant liquida, vel, ſi ichoroſa iam ex vaſis prodit materies, eam abſorbendo, quo minus acredine ſua vicinas partes laedat, impedient, vt depuratum inde et in vulnus permutatum vlcus, per laudabiles, qui affluunt,

z) De Morbis Artificum Cap. 2. De Gypſariorum et Calcariorum morbis. Edit. Oper. Lond. 1718. 4. pag. 295. item de Lapicidarum morbis Cap. 24 pag. 340. Vid. quoque HENCKELIVS *von der Bergſucht und Hüttenkatze. Freyb. 1728. 8.* p 23 ſqq.

a) In Continuatione Epidemicar. Cremonenſ. Conſtitutionum Sect. II cap. 4 pag. 86. Cremonae 1742. 4.

fluunt, ſuccos glutinetur et cicatricem recipiat. Caueant vero, qui ſiccas vel vnguentis et emplaſtris admixtas terras adhibent, ne nimiam terreſtris materiae molem inducant, et omnem ita perſpirationem in tota parte affecta cohibeant, alias enim ſubtus collecti humores acriores ob moram euadunt, et tenella cutis ſtamina laedunt, vlceraque ſemper profundiora reddunt. Quod quidem incommodum a gypſeis magis, in paſtam non reſoluendam coeuntibus, quam ab aliis leuioribus terris extimeſcendum erit.

Et illae denique terrae, quae cupri vel ferri Ochram admixtam habent, laeſis externis corporis humani partibus ſuperdari poſſunt. Impura namque, quae viſcidae materiae cruſtas, vel carnem luxuriantem continent, vlcera, niſi ſtimulantia in vſum vocentur medicamenta, quae quodam modo rodant, vicinas partes leuiter inflamment, et debitam inde ſuppurationem moueant, exſiccantibus tantum remediis ſanari non poſſe, experientia docet. Huic vero vſui, vt alia ſeptica dicta remedia, ochraceae quoque ſicciores terrae inſeruiunt, vtpote quae calloſa non ſolum ora et viſcidam adhaerentem materiem incidunt, ſed humores inſimul, copioſius ob irritationem factam affluentes, reſorbent, et ipſam inde partis affectae ſanationem accelerant.

Hactenus terras, in quantum extimae tantum corporis ſuperficiei vtiliter applicari poſſint, luſtrauimus, ad eas nunc collaudandas accedimus virtutes, quas illae in corpus ipſum ingeſtae demonſtrant. Ita vero diſpartiri decet propoſitam materiem, vt primo quidem de productis in primis viis terrarum viribus dicamus, et quo illae modo, pro ratione humorum aliorumque in ventriculo contentorum corporum, et ſuperficierum, quae inteſtinis ſunt, conſtitutione et motu, diſcrepent penſitemus, terrae deinde an ad ſecundas ſic dictas vias deportari poſſint, videamus, et ex diverſa particularum miſcela ac vario humorum progreſſu ea demum colligamus, quae ex obſcuris his latitantis naturae operibus aliqua ſaltim ratione cognoſci poterunt.

Dum itaque terrea medicamenta aegrotis offerre animus eſt medico, ille, qua ratione affectus ſit alimentorum canalis, probe, vt ſciat, neceſſe eſt. Si enim viſcida, tenax et rancida pituita ventriculi et inteſtinorum latera inungit et quaſi inuoluit, ſalina magis, gummoſa et ſaponacea requiruntur, quam terrea remedia, quae, ſi exhiberentur, facile cum glutinoſo concreſcerent, et oneri eſſent ventriculo. Aliter vero de primis viis ſentiendum eſt, ſi acidum in iis abundat, aut tanta oborta eſt acrimonia, quae vnguinoſum, inteſtinorum parietes in naturali ſtatu inungentem,

humorem deſtruit prorſus, et ab iis abſtergit, vel ſi tandem fibrarum debilitas cum dictis his morbis coniuncta eſt. Omnes enim hi caſus, vt ad medicinales terras recurramus, poſtulare videntur.

Pleraque fere, e regno vegetabili deſumta, corpora acidae naturae eſſe, et pleraque quoque alimenta ex vegetabilibus deſumi, nemo eſt, qui ignoret. Valida autem et tono ſuo nondum priuata viſcera ad aceſcentes eius modi cibos ſubigendos requiri, ex ipſa digeſtionis natura pateſcit. Non itaque mirum eſt, ſi dicta haec immutatio non ſemper ex voto ſuccedat, permultae potius, acidam indolem retinentes, partes indigeſtae perſiſtant, quas acidum temperans ſaponacea bilis non ſatis corrigere valet, ita, vt oppoſitae acrimoniae acidae medicamenta ſaepius efflagitentur, quae tamen blanda ſint, neceſſe eſt. Si enim ipſa alcalina ſalia, laborantibus hoc morbo offeruntur, illa certe, praeter id, quod acria admodum ſint, et ſaepius exinde noceant, ob vehementem, quem, dum acidis ſpiculis iuncta efferueſcunt, excitant motum, inteſtinorum canalem mirum in modum diſtendunt, et eam, quae a cuiuſuis generis ſalibus ſolidis partibus inducitur, fibrarum debilitatem inſigniter augent. Lenius autem operantur noſtrae terrae, quae, quamuis non omni, vt ante diximus, acredine deſtituantur, blande tamen et ſubreptitie quaſi primis viis inhaerens acidum aggrediuntur, et illi ſibi adunato aliam prorſus naturam inducunt. Nobiliores autem et puriores Morochti ſpecies ad hunc vſum commendamus, et illas potiſſimum, quae, quando cum acidis experimenti cauſſa tentantur liquoribus, omnes ferme in illis ſoluuntur. Nec, vt nominatae hae terrae diu primis viis immorentur, timendum eſt, facile potius, poſt inſtitutam peccantis corporis mutationem, per auctum non nihil periſtalticum motum ad inteſtina craſſa deuoluuntur et e corpore iterum eliminantur.

Licet vero has terras magis, quam ſalia alcalina fixa, in acida inteſtinorum acrimonia adhibendas eſſe ſtatuamus, illae tamen, cum componentes easdem moleculae ſiccae et rigidae inſimul ſint, villoſae non nunquam inteſtinorum tunicae noxas inferre poterunt, idque eo potiſſimum in caſu, ſi acida vel alia quaeuis maligna acris colluuies mucum, ex glandulis folliculoſis in inteſtina ſecretum, vt in diarrhoeis et dyſenteriis fieri ſolet, abſtergit et denudata vaſorum oſtia velliçat, ita, vt ſaepe ſanguinem illa effundant. His itaque alia et mitiora quaerenda ſunt medicamenta, pingues nimirum Boli, Margae nobiliores, et quae his quodam modo ſimiles reperiuntur, non nullae Lithomargae ſpecies, quae vel ob ſolubilitatem, vel ob illiniendi et inuoluendi, quam habent, poteſtatem, acrimoniam quamlibet, inteſtina irritantem, implicant, eandem mutant,

vel

vel inertem ſaltim reddunt, et, cum coniunctam plerumque inteſtinorum laxitatem, tanquam exſiccans et roborans inde medicamentum, corrigant, ſatis commendari non poſſunt. Eaedem porro hae terrae illinitam et immutatam, quae acris fuerat, materiem, vel per ſe, vel cum aliis conueni-entibus remediis, rhabarbaro v. c. miſtae, inteſtinorum canalem, ſine omni in eo relicto ſtimuli ſenſu, abſtergunt, et eum a ſordibus liberatum priſtinae ſanitati reſtituunt.

Ab ipſa vero hac acria inuoluendi virtute, illa quoque prouenit venena corrigendi facultas, quam Lemniae, Strigonienſi aliisque ſimilibus terris adſcriptam fuiſſe iamiam monuimus. Acria enim mercurii ſublimati, arſenici, vel alius cuiusuis veneni ſpicula, quo minus deleterium effectum producere queant, omnium optime impediri legimus, ſi pinguis eiusmodi terra ſtatim poſt aſſumtum venenum exhibeatur. Noſtram de hoc argumento ſi poſtules ſententiam, nos quidem in praeſtantiſſimorum, qui ex veteribus aeque ac recentioribus ſuis hanc rem confirmarunt teſtimoniis, medicorum partes abire non dubitamus, idque eo minus, quo firmius ratio, in diiudicandis obſeruationibus occupata, nos doceat, pinguem omnem et puram terram, etiam ſi ad intimam molecularum miſcelam devenire nolimus, ob ſolam pinguedinem et tenue inſimul admixtum gluten facile ſolui et acribus nociuis ſpiculis commode applicari poſſe, ita vt ea in larga doſi et repetitis vicibus exhibita, valide ſatis venenorum impetum oppugnare queat. Nulli interim auctor eſſem ſuaſorque, vt tali antidoto inſtructus, quodlibet venenum audacter hauriat, neque, ſi caſu illud acceptum fuerit, in ſolis terris ſanitatem quaerat, ſed alia inſimul vniuerſalia et ſpecifica, ſic dicta, in auxilium vocet remedia.

Ex ipſis vero his, quarum virtutes huc vsque praedicauimus, terris non nullas rubicundo colore imbutas, vt nobiles Margae et Boli glebae, vitriolici potiſſimum acidi quicquam admixtum habere, chemia demonſtrat, quod tamen nec inteſtinorum canalem laedere, neque inhaerens ipſi acidum vllo modo adaugere poteſt. Intime itaque terreis elementis iunctum hoc acidum principium, ob dictam hanc accuratam miſcelam peculiares effectus non edit, vel, ſi quasdam ipſi vires concedere mauis, in variis putridis ſic dictis morbis adhibendum erit. Optimis quidem praeſtantiſſimorum, quos ſaepius iam nominauimus, auctorum teſtimoniis hanc noſtram, ſi opus eſſet, confirmare poſſemus ſententiam, ſed cum breuitas in praeſenti nos deceat, verba GERARDI VAN SWIETEN[b] in rei demonſtrationem adduxiſſe ſufficiet, in primis cum illa, quae de debita hanc medicinam

b) Vid. Commentaria in HERMANNI BOERHAAVII Aphoriſmos de Cognoſcendis et Curandis Morbis Tom. I. ad §. 88 pag. 128. Lugd. Bat. 1742. 4.

medicinam adhibendi ratione doſique monenda nobis adhuc eſſent, ſatis clare oſtendant. Ita enim illum in morbis, ex alcalino ſpontaneo ortis, in quibus BOERHAAVIVS, Bolos acidulo balſamico tecto et demulcentiſſimo, vt eius verba ſunt, viſcido conſtantes, commendat, ſtatuentem inuenio: *Hinc pulcherrimus harum terrarum medicatarum vſus patet, latente acido omni putredini reſiſtunt, et innocua leuitate demulcent, omnia: vnde in dyſenteriis putridis tantum vſum habent, modo ſatis magna doſi exhibeantur: vncia vna emulgendo quaſi in libra aquae diluta, dein cochleatim ſumta, pulcherrimos effectus praeſtat; vbi ad pauca grana dantur nihil efficiunt.*

Tandem et ipſa primarum viarum debilitas terreis medicamentis emendatur. Praeter ea enim, quod ob quandam, terreis moleculis omnibus competentem, rigiditatem fibras leniter irritare et ad contractionem ſtimulare poſſe, paullo ante a nobis declaratum fuerit, illud a terris, quae marte impraegnatae ſunt, magis adhuc expectandum erit commodum. Bolus itaque ruber eiusdemque variae ſpecies, Margae ſimiles, vel omnes denique, fuſco colore conſpicuae, ſubtiliores terrae, quae martem praeſentem, varia ratione tentatae, indicant, ſi in primas vias ingeruntur, et ab humoribus, hic confluentibus, aliquo modo ſoluuntur, fibras et villos inteſtinales leniter vellicare, et, vt arctius illae ad ſe inuicem accedant, efficere poterunt, ita tamen, vt ea, quae poſt aliorum adſtringentium vſum plerumque obſeruatur, alui ſegnities ab innocuis hiſce remediis extimeſcenda non ſit.

Ad vltimam denique tractationis partem accedimus, et eas, quas terrae in ſecundis, ſic dictis, viis, in ſanguine ſcilicet et aliis, exinde tanquam ex fonte promanantibus, humoribus, nec non in minimis, illos vehentibus, vaſis edunt vires, examinandas nobis nunc ſumimus.

Et ardua quidem in limine ſtatim determinanda venit quaeſtio, primo enim omnium, num terrea medicamenta ad ſanguinem pertingere poſſint, diſpiciendum eſt. Medicamentoſas alias, et eas quidem in indole ſua non prorſus mutatas partes, ſimul cum ſuccis qui corpus nutriunt, ſanguinem non ſolum adire, ſed ſecretis quoque ex eo humoribus immixtas, per capillaria vaſa moueri, ſapidae et fragrantes vegetabilium in lacte mammarum, ſenſuum ope percipiendae, particulae, vrinae et ſudoris, a medicamentis quibuſdam prouenientes proprietates, et alia adhuc, quae hic tacemus, phaenomena ſatis abunde teſtantur. Inertes tamen terrarum moleculas non eo, quo ſalinae puriores et oleoſae, volatiles quaſi redditae, partes tendunt, peruenire, ex omnibus hiſce ſimul ſumtis obſeruationibus concludere licet. Eadem ferme eſt ratio experimentorum, quae cum Nu-

cerana

cerana terra inſtituit ALOYSIVS DELLA FABRA [c], ea enim, licet acidum in primis viis a terris corrigi doceant, minime tamen earundem moleculas ad lactea vaſa et ſanguinem inde deduci comprobant.

Ita iam olim de terreis his medicamentis ſtatuebam, cum vero pleroſque, qui medicamentorum vires agendique modum tradiderunt auctores, natiuis non ſolum terris, ſed metallorum quoque calcibus et aliis terrenis corporibus inſignes in medendo virtutes adſcripſiſſe, et ad propriam ſingulos experientiam prouocare viderem, dubius iterum haeſi, et accuratius adhuc propoſitam ſententiam diſquirendam eſſe cognoui. Anatomen itaque aggreſſus, oſſium ſtructuram et generationem penſitaui, et hac ratione certi quidquam, quod terrearum molecularum in ſanguine praeſentiam argueret, me cogniturum putaui, idque eo magis mihi perſuaderi patiebar, quo copioſius oſſium incrementum in tenera potiſſimum hominis aetate obſeruare licebat. Tantam certe foetus, dum ab vtero matris excluditur, oſſeae molis iam habet copiam, et ita auctam eam oſtendit infans vnius anni, vt, ſi calculum ducas, plus ſane oſſeae materiei in iunioribus ab humoribus prouenire videatur, quam in adultis ad formata iam oſſa ex iiſdem fontibus deriuatur.

His licet tentatis, ſperato tamen fine potiri non potui, praeter id enim, quod peculiaris huius ſecretionis ratio et ſolidarum molecularum ortus, ex iis, quae hactenus innotuerunt, explicari ſatis non queat, ex oſſium in primis conformatione ad terreſtrium concretarum molecularum acceſſum, ad ſecundas vias demonſtrandum, nullum argumentum deſumendum eſſe cognoui. Nec, ſi ab ortu hominis argumentari velimus, terreſtres oſſearum lamellarum partes in infantibus tam copioſe inveniuntur, vt primo intuitu apparebant. Licet enim eorundem oſſa, quoad volumen cum adultorum oſſibus, ſi comparentur, magnam molem conſtituant, illa tamen rara admodum et poroſa ſunt, et ipſae minimae lamellae parum condenſatae reperiuntur. Et ſi demum de rubia tinctorum, animalium iuniorum oſſa rubro colore imbuente, cogitemus, hoc certe, a recentioribus diu multumque inſtitutum experimentum, cum non terreſtres radicis partes, ſed tenuis tantum eius ſuccus per alimentorum canalem ad vaſa minima tranſeant, et albas ſua natura lamellas rubro colore inficiat, ad confirmandam ſententiam adhiberi non poterit.

A diiudicatis vero hiſce phaenomenis ad viam tandem deuenientes, qua terreae partes, ſi admiſcentur humoribus, ad ſanguinem progredi tendunt,

c) Vide Diſſert. Phyſico medicae, Diſſert. II de Nucerina terra minerali § 47 - 49 pag. 43.

dunt, tam ſalebroſa illa deprehenditur, vt vix acceſſus inertibus hiſce moleculis pateat. Quamuis enim ſubtilioris terrae partes cum illis humoribus, qui chyli vias ingrediuntur, ad lactea vaſa deduci poſſe aſſumamus, earum tamen tranſitus per meſaraicas, ad obſtructionem adeo procliues, glandulas explicari vix poterit. Inter ea tamen, ne nimis duri eſſe videamur, tot celeberrimorum virorum obſeruationibus quidquam tribuimus, et licet, vt in permultis euenit rebus, terreorum medicamentorum ad ſecundas vias aduentus philoſophando definiri nequeat, eum, tanquam per effectus oſtenſum, ſupponentes, ad explicandum agendi modum accedimus. Non omnibus vero, ſpiſſis et ponderoſis inſimul glebis, locum in ſanguine concedendum eſſe putamus, ſed bolares tantum et margaceas, quibus ſubtile acidum datum, vel in primis viis admixtum eſt principium, facile ſoluendas, terras eo deuenire poſſe aſſumimus. Cum enim omnis, quae iners eſt, terra, abſque vlla praeuia mutatione humoribus noſtris ſi admiſceatur, in maſſam denſam atque tenacem abeat, illae potiſſimum, quae acidis reſiſtunt, terrarum ſpecies, maiorem quam reliquae efficaciam habere videntur, ita vt acido principio iunctae, novum quaſi peculiaris indolis mixtum conſtituant, quod nec ob acidum ſibi adhaerens, neque ob pondus, quod terris proprium eſt, ſed ob vtraque, inter ſe coeuntia, muniis ſubeundis par eſt.

Quae cum ita ſint, id tamen crimini mihi dari nolim, ac ſi mutatam, et a terrena indole recedentem ſalinam moleculam cum inerti et ſibi relicta terra confunderem; quicunque enim ab harum terrarum vſu proueniunt effectus, non acido illi, quod ſubtiliorem tantum reddiderat moleculam, ſed terreo, ab aegroto ſumto, adſcribendi erunt remedio, non ſecus ac de aliis validioribus quoque medicinis conſtat, eas, dum ad ſecundas vias accedunt, quaſdam ab humoribus vel vaſis deducendas mutationes ſubire, ſine eo, quod princeps earundem agendi poteſtas prorſus inde auferatur.

Illud praeter ea obſeruare hic conuenit, quod medicamentorum omnium, hinc terrarum quoque ſalutares partes globulorum ſanguineorum miſcelam non ingrediantur, nec ita, vt de laudabili chyli in animalem naturam permutanda portione cognoſcimus, ab organis, ſanguificationi dicatis, ſubigantur, ſed extrinſecus tantum ſanguinis globulis adhaereant, et ſimul cum iis circumagantur. Ponas itaque omnes ſanguinis, vel ſubtilioris cuiuſdam ex eo ſecreti humoris globulos, tum ratione molis, tum ratione virium, quibus in ſe inuicem agunt, aequales eſſe, quam perfectam forſitan partium conuenientiam, ſi pulmo ſanguini debitas vires impendit, in aorta, vel in ſyſtematis cuiuslibet maioribus ramis inuenies. Aſſumas porro globulum quendam ab accedente terreſtri medi-

camentoſa

camentoſa molecula augeri, ipſe hac ratione adauctus globulus, difficilius vt moueatur, et reliquam inde maſſam aliquo modo retardet, neceſſe eſt. Nec artificioſe nimis excogitatam eſſe hanc actionis, quam dedimus, explicationem, quemquam arbitraturum opinamur. Licet enim vnum alterumue arenae, vndis inhaerens, granum celerem earum motum prorſus non impediat, omnis tamen diſcedit ſimilitudinis ſpecies, ſi in humoribus corporis noſtri ad progreſſiuum non ſolum eorum motum, ſed ad inteſtinam ſimul molecularum agitationem reſpiciendum eſſe meminimus.

Me quidem non fugit, dictum hunc inteſtinum ſanguinis motum a praeſtantiſſimis quoque oeconomiae animalis indagatoribus negari [d], ſed cum ratio, ob quam ex vno eodemque hoc fonte, varii, pro diuerſa tantum partium componentium proportione diſcrepantes, deriuantur liquores, niſi pendentem ab inteſtino motu globulorum reſolutionem in auxilium vocemus, explicari nequeant [e], diuerſum hunc partium in ſe inuicem niſum non ſtatuendum ſolum, ſed ad morborum quoque cauſſas ac medicamentorum vires determinandas, adhibendum eſſe, profiteri non erubeſco. Quodſi itaque vehementius agitata ſanguinis maſſa, vt in febribus acutis et violento earum impetu non raro fieri ſolet, praeter naturam reſoluatur, ſubtiles, ad ſanguinem delatae, terreſtres moleculae, aeſtuantem eius motum infringere, et lenteſcentibus, per febrilem diatheſin e nexu turbatis, partibus adhaerentes, reliquis eas iterum iungere et bonam, quae ad naturalem magis accedit, omnium, quae ſanguini inſunt, partium miſcelam reſtituere valebunt. Adſcriptus hic terris operandi modus facilius longe in minimis, quam in maioribus continget vaſorum ramis, cum enim in illis tardius procedant humores, fieri non poteſt, quin a morbo exagitatus ſanguis a terreis ibi magis retardetur moleculis.

Ne vero quis autumet, ob aſſumtam, quam diſquiſiuimus, ſententiam, huc uſque prolata efficta a nobis fuiſſe, non nulla adhuc circa adſcriptam hanc terris virtutem ſpecialius monenda erunt. Non ſanum hic hominem mente nobis repraeſentamus, cuius humores largo quotidie chyli affluxu reficiuntur, ſed de illo tantum ſermo eſt, qui per plures dies ſine omni fere cibo vitam traxit, et praeter diluentia medicamenta nihil aſſumſit, quod maſſam humorum augere quodam modo poſſit. In hoc enim

d) Vid. TRALLES loc. cit. pag. 229. vbi de hoc argumento diſſerens, FREINDIVM in Emmenologia pag. 11 et PITCARNIVM in Element. Med. Lib. I cap. 4 § 18 inteſtinum ſanguinis motum negantes nominat, et BOERHAAVIVM huius ſententiae patronis annumerat, ſed praeter id, quod adducta ex Element. Chemiae Tom. II p. 303 verba, eorum auctorem obortam, ab alcalino et acido principio ebullitionem et efferueſcentiam, ſanguini denegaſſe doceant, ipſe in Inſtitt. Med. § 220 intrinſecam ſanguinis moleculis agitationem largitur, ita tamen, vt pingui admodum minerua eandem deſcripſiſſe videatur.

e) Vid. Quaeſtio medica Lipſiae 1743 a nobis propoſita: An ſine motu ſanguinis inteſtino ſecretio?

enim ſanguineus latex aliter comparatus ſit, neceſſe eſt, quam in homine bene valente, qui bis vel ter de die laudabili veſcitur cibo, et bonam inde chyli perficit materiam. Nec quidquam hic vrgemus, quod non in aliorum inſimul medicamentorum actionibus obſeruandum occurrat. Quot enim ſunt medicamenta, quae hominem ſanum non afficiunt, aegrotantem tamen eum, vel morbo debilitatum efficaciter mouent.

Medicus porro, in arte medendi exercitatus, in exhibendis eius modi terreis medicamentis ad ventriculum ante omnia et inteſtina attendendum eſſe, me quoque tacente intelligit. Si enim viſcida et glutinoſa pituita, nec non rancida materies alimentorum canalem infeſtat, tunc terrei pulueres in primis magis haerebunt viis, et in inertem, periſtaltico motu non promouendam, concreſcent molem: ſed, ſi liberatae prius a mucida materie inteſtina fuerunt, terrea deinde maxime ſolubilia eliguntur remedia, et magna demum diluentium copia ſimul cum iis porrigitur, quod quidem, dum nimius calor tenuiſſimos humores difflat, obſeruari neceſſe eſt, terreae certe, reſorptae et ſanguini traditae, partes eos praeſtare valebunt effectus, quos expectandos ab iis eſſe antea diximus.

Si enim globuli chyli diametrum et moleculae ſanguinis purpurei ſphaeram inter ſe comparare velis, illum, vt rariorem, ampliori prae altera volumine praeditum eſſe videbis, ita, vt ipſi quoque rubicundo globulo maiores, terreas moleculas a lacteis vaſis recipi et cum ſanguine communicari poſſe, a vero haud prorſus abſit. Hae itaque, vna cum globulis ſanguineis in motu inteſtino agitatae, terreae particulae, actionem earundem in ſe inuicem, vel attritum mirum in modum limitare, et vlteriori inde ſanguinis reſolutioni obicem ponere poterunt. Nec eſt, quod a moleculis iſtis obſtructionem in vaſis minimis timeas: illae enim ipſo continuato hoc motu in minores adhuc reſoluentur partes, vel ad vicinas venas ablegatae, et denuo circulum per corpus noſtrum abſoluentes, eandem iterum actionem praeſtabunt, vel tandem laxatis et patulis factis, in critico morbi ſtatu, ſecretoriis oſculis, per renes forte vel alia organa e corpore eliminabuntur.

Selectus quoque terreorum remediorum, vt ſaepius monuimus, inſtituendus eſt. Cum enim conchae praeparatae, lapides cancrorum citrati, et alia eius modi artis ope ſubtiliora reddita terreſtria corpora a nobis hic diſquirenda non ſint, illas potiſſimum commendamus terras, quae ab ipſa natura in tenuiores moleculas redactae fuerunt, et acidum forte ſubtile iunctum habent principium. Ob hanc igitur, quae ipſis cum ſaponaceis ſic dictis medicamentis communis eſt, facilem reſolutionem, et expeditam

inde

inde prouenientem agendi rationem, Margis et Bolis nobilioribus, quales terra Lemnia et Bolus Armenus olim fuerunt, vel, quae ſimilibus dotibus praeditae inueniuntur, Strigonienſi et reliquis, in indicatis ſpeciebus hinc inde annotatis terris, fidenter magis, quam aliis, tranſitum ad corporis interiora et ſalutares, quos nunc de terris praedicauimus, effectus adſcribendos eſſe putamus.

Nec nimium nos proceſſiſſe credant rigoroſi virium medicatarum cenſores, neque fictas et imaginarias explicationes noſtras eſſe iudicent. Dum enim ſalutares, quos terrae edunt, effectus a priori declarare ſuſcepimus, ea, quae per experientiam cognita ſunt, rationibus, ex ipſa rerum natura petitis, confirmare intendimus. Et eodem quidem hac in re vtimur iure, pro quo permultos medicorum agere videmus, qui in aliorum medicamentorum viribus examinandis occupati, ſimilibus fere explicandi modis inhaerent. Ad nitrum ſaltim, vt per exemplum res conſtet, prouocare liceat. Facilis huius remedii ſolutio et promtus eius, cum inſigni refrigerandi virtute iunctus, ad ſanguinem acceſſus ita laudata in practicorum libris et per experimenta corroborata inueniuntur, vt nullus de iis dubitandi ſuperſit locus. Sed quis eſt, qui acidum tantum, quod nitro ineſt, principium, cum illud a circumeuntibus humoribus ſua mox natura priuari queat, quandam in ſanguinem poteſtatem habere aſſerat? Nonne omnes mixtam ſuo modo nitri moleculam, qua talem, ſanguinis aeſtuantem motum temperare confirmant? Quod ſi igitur eius modi nitri particulis agendi facultatem adſcribimus, et in ſanguinem eas recipi poſſe cognoſcimus, cur ſubtilioribus terris aditum ad ſanguinem praecludamus, aut ſimili modo easdem operari poſſe negemus, ego certe non video.

Haud abſimili more martialia medicamenta in ſecundis viis et in ipſa quoque lympha non contemnendos effectus producere videmus, et eorum inſimul vtilitatem frequens obſeruatio confirmat, licet ipſae martiales particulae, et quoad molem, et quoad alias affectiones cum terreis moleculis ſatis accurate conueniant. Nec adeo attendenda erit illa, quae moueri poſſet, obiectio, martem nimirum et ex eo producta remedia non terram, ſed metallicas deſtructas partes, quibus mediantibus operationem ſuam perficiant, exhibere; quid enim eſt illud, ex ferri metallo praeparatum, medicamentum, nihil certe, quam terrae ſimillimum concretum.

Non tamen eum me eſſe profiteor, qui ſolis terreis pulueribus omnes ſanari poſſe morbos defendat, aut reliquos recuperandae ſanitatis theſauros terrarum cauſſa occludendos eſſe contendat, probe potius ſcio, leuiora haec terrea medicamenta, aliis interdum iungenda, validioribus haud ra-

ro poſtponenda eſſe remediis. Prudentis medici eſt, vt in morbis debellandis inſipidam hanc medicinam, ſi opus eſt, derelinquat, et efficaciora iis remedia ſubſtituat.

Longius adhuc terris noſtris immorari, et in laudandis earum virtutibus, de robore, quod minimis inde euenit vaſis, et de aucta illa, quam impetuoſum humorum circuitum cohibentes terrae mouent, halituoſi vaporis excretione in medium varia proferre, et ad eandem, quam in declaranda, ſanguinis orgaſmum attemperandi, terrarum poteſtate ſecuti ſumus normam, examinare poſſemus. At enim vero, omnes has, fuſe iam ſatis a plerisque medicorum pertractatas, terrarum vires lubens in praeſenti relinquimus, idque eo maiori cum iure, cum eo tantum animo de viribus terrarum fecerimus verba, quo non nullae tantum, omnibus enim ſubſcribere nollemus, ſuperius allegatae probatiſſimorum auctorum de medica terrarum indole ſententiae a priori quodam modo explicatae inueniantur. Vt enim in omni medicamentorum examine, ſi ex ſola elementorum indole eorum vires metimur, tam fallaci inſiſtimus fundamento, quam ſi vagis et minus recte inſtitutis obſeruationibus creduli nimis inhaereamus, ſic iuncta haec duo noſtrae cognitionis principia, ne in detegenda corporum natura a regia veri inueniendi via deflectamus, proſpiciunt.

INDEX.

Tab: I.

1
terra
danica
Relenia
2
TERRA SIGILLATA LIVONICA
3
TERRA SIGILLATA GOLBERGENSIS
4
TERRA SIGILLATA COLBERGENSIS
5
a
b
ABVO
6
7
ABVO
8
ANDREAS BERTO LDS VON OSCHATZ
9
TERRA SIGILLATA MONTIS ACVTI
10
TER SIGIL STREGON Aō 1652
11
TER SIGIL STRIGON Aō 1652
12
TER SIGIL STREGON Aō 1653
13
TER SIGIL STREGON Aō 1[illegible]
14
TERRA SIGILL STREGONIENSIS
15
TERRA SIGILL STREGONIENSIS
16
TERRA SIGIL STREGONIEN
17
TERRA SIGI STRIGONIEN
18
TER SIGIL STREGON
19
TERRA SI CH STRE CON
20
TERRA SIGL STREGONIEN
21
TERRA SIGIL LADA STRI GIAN
22
TERRNBI I STREGONIEN
23
TERRA SIGI STRIGONIEN
24
TERRA SIG STRICONIEN
25
TERRA SIGILLA STRICONIENSIS
26
TERRA S GIL TA SRIGONIENS
27
TERRA SIGILLATA STREGENSIS
28
TER SIGILL VON STRI GAU
29
TERRA SIGIL V STREGO
30
TERRA SIGILLA TA ALBA GOLT BERGENSIS B T
31
TERRA SI GILLA LB GOLDB
32
TERRA SIGILLATA COLDBERGENSIS
33
TERRA SIGIL ATA GOLIB
34
TERRA SIGIL LATA GOLD BERG
35
TER SIGIL GOLDB SI LESIE
36
TER SIGIL GOLDB
37
TER SIGIL IN GOLD BERG
38
TER SIGIL GOLTBERK LESI
39
TERRA SIGILLATA LEGNICEN
40
TERRA SIGILLATA LEGNICEN
41
TERRA SIGI LATA LIGII ZELISIS
42
TERRA SIGILLATA LEGNICEN
43
TERRA SIGILLATA LEGNICEN
44
TERRA SIGILLATA LEGNIC
45
TERRA B SIGILLATA
46
TERRA SI GILLATA

Tab: II.

1
TERRA SIGI LLAT
2
TERR SIGILL
3
TERRA SIGIL LATA VERA
4
TERRA SIGIL VERA
5
TERRA SIGILLATÆ VERÆ
6
TERRA SIGI LATA
7
TERRA SIG ILLATA
8
TERRA SIG ILLATA
9
TERRA SIG ILLATA
10
11
TERRA SI GILLATA
12
TERA SIG ILATA
13
TERRA SIG ILLATA
14
TERRA SIG ILLATA
15
TERRA SI GILLATA 1582
16
TERRASIG LATA
17
TERRASIG LATA
18
TERRA SIG LATA
19
TERRASI GILLAT
20
TEERR SI GILL
21
TERRASIG LATA
22
TERRASIGIL LATA
23
TERRA SIG LATA
24
TERRASIG LATA
25
TERRA SI GILLATA
26
TERRA SI GILLATA
27
TERRASI GILLATA
28
TERRASI GILLATA B K
29
TERRA SI GILLATA
30
TERRA SIG LATA
31
TAERRA SIG LATA
32
TERRA SIG LATA
33
TERRASIG LATA
34
TERR SI GILL
35
TERRA SIG LATA
36
TERRA SIG LATA
37
TERRASIG LATA
38
TERRA SIG LATA 080
39
TERRASIG LATA
40
TERR SIGILL IAWER 38
41
TERR SIGILL LAWER 38
42
TERRA SIGILL IA WER 38
43
TERR SIGILL IAWER 38
44
TERR SIGILL IAWER
45
TERRASIGIL LATA
46
TERRA SIGILLATA
47
GROSIANOWITZER TERRA SIGILLATA
48
SIEGELLADE GEHNIW ITZ ERTERRA
49

Tab. III.

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.



8.

9.

10.

11.

12.

13.

14.

15.

16.

17.

18.

19.

20.

21.

Tab. IV.

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.

10.

11.

12.

13.

14.

15.

16.

17.

18.

19.

20.

21.

22.

23.

24.

25.

26.

27.

28.

29.



30.

31.



32.

33.

34.

35.

36.

Tab. V

1
TERRA SIGILLATA
2
TERRASI GULATA
4
SOLMS
7
TERRA SIGILLATA LAWBACH
8
SOLMS LAWBACENSIS
9
TERRA SIGILLATA SOLMS LAWBAGENSIS
ANNO
10
11
12
T SIGILLATA
13
TERRA SIGIL LATA
14
15
TERRASIGILLA TALAWBACEN SIS
16
B SIG TERRÆ LEMNIÆ COMG
17
B SIG TERRÆ LEMNIÆ COMG
18
B SIG TERRÆ LEMNIÆ COMG
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
PAVLO VENETO PAPAE II ITALICE PACIS FVNDATORI
ROMA
39
F L
40
41
DESIDERAT ANIMA MEA ADTE DEUS

Tab. VI.

1.

2.



3.

4.



5.



6

7.



8.



9.



10.

13

14.

11.

12.

15

Tab. VII

1.

2.

3.

4.

5.

6

7.

8

9.

10.



11.



12.



13.



14.

15.

16

17.

Tab. VIII.

1.
2.
3.
4.
5.
6
7
8
9
10
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20
21
22
23
24
25
26.
27
28
29.
30.
35.
36.
31
33
32.
34
37.
38
39.
IHS
MRA
INRI
ADORAMVS TE CHRISTE ET BENEDICIMVS
VERBVM CARO FACTVM EST

Tab. IX.

1.
α
β
2.
3
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23
24.
25.
26.
27.
28.
29.
30.
31.
32.
33.
34.
35.
36.
37.
38.
39.
40.
41.
42.
43.
44.
45.
46.
47.
48.
49.
50
51.
52.
53.

Tab. X.

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.
26.
27.
28.
29.
30.
31.
32.
33.
34.
35.
36.
37.
38.
39.
40.
41.
42.
43.
44.

Tab: XI.

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.

10.

11.

12.

13.

14.

15.

16.

17.

18.

19.



20.

21.

22.

23.

24.

25.

26.

27.

28.



29.

30.

31.

Tab. XII.

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.

10.

11.

12.

13.

14.

15.

16.

17.

18.

19.


20.

21.

22.

23.

24.

25.

26.

27.

28.


29.

30.


31.


32.

INDEX.

A.

Aetites limites terrarum et lapidum dubios esse docet 23.
Agaricus mineralis 44. 45.
Alana 48. 49.
Alexandrina 101. B. XII.
Alsatica 115. Arg. II. II. α. 135. Ma II. XIV.
Altdorfina 89. Mo XI. XI. et XVI. 146. Ma IV. I.
Altenbergensis 134. Ma II. VIII. 156. Li. VI. II. 209. Tab. IV. 32.
Altenburgensis 168. Su. VI.
Altendorfensis 114. Arg. I. IV. ε.
Altraudensis 109. B. XV. VI. β.
Ammochrysos 178.
Ampelitis 72.
Angelimontana 153. G. VI. II. 168. Su. IV. γ.
Angerburgica 92. Tr. II. V.
Angermannica 178. Aren. V. α.
Anglica 82. Mo. III. 91. Tr. I. VII. β. 113. Arg. I. I. η. 117. Arg. IX. I. β. 151. G. I. V. 152. G. III. III. 172. U. III. ϑ.
Annabergica 89. Mo. XI. X. 99. B. XI. XI. 112. Sm. V. II. 113. Arg. I. II. κ. 125. Arg. XVIII. III. ζ. 135. Ma. II. X. 156. Li. V. III. 172. U. II. β. et III. γ. 173. U. V. δ.
Annaburgensis 117. Arg. VIII. I. ε. 118. Arg. IX. III. ζ. 119. Arg. X. II. ζ.
Anwaldina 240. Tab. XII. 11.
Aqua asperſa terrarum differentias indicat 35.
lapides mutat 255.
Aquae inundationes terrae strata diuersa producunt 260.
Aquisgranensis 115. Arg. IV. I. γ. 119. Arg. X. IV. 156. Li VI. II. 179. La. I. α.
Arabicae terrae 223 - 233. Tab. IX. et X.
Arena eiusque differentiae 75.
ad terras referenda 20. 21.
Arenae varietates 177 - 179.
Argenti minerae terras aemulantur 24.
Argillaceae terrae effectus in corpore humano 282. 283.
Argillae characteres 53.
definitio 52.
differentia a Bolo 50.
a Smectide 51.
figulorum proprietates 53.
genesis 267.
species 112 - 125.
venarum affectiones 54.
ortus 262.
vocis origo 52.
Armenus bolus 101 - 105.
Arsenicalis marga 124. Arg. XVII.
Arsenicum schistum in humum mutat 259.
Aster famius 187 sqq.
Auerswaldensis 173. U. V. β.
Austriaca 150. C. III. II.

B.

Bactiacarum salinarum 154. Li. I. XI.
Badensis 96. B. III. I. i. 110. Sm. II. 117. Arg. VIII. III.
di Baira 177. 178. Aren. I.
Baruthina 98. B. VIII. VI. 109. B. XVI. I. ϑ. 117. Arg. VIII. I. ϑ. 119. Arg. X. III. β. 146. Ma. IV. IV. 148. Ma. X. VII. 152. G. III. IV. 173. Tu. V.
Basileensis 114. Arg. II. I. α. 116. Arg. VI.
Baumanniani antri 90. Mo. XII. V. 149. Ma. VII. et XI. III.
Beccheri de terra elementari opinio 12.
Belgica 173. Tu. I.
Bernensis 97. B. V. III. 153. G. V. I.
Bernsbacensis 119. Arg. X. II. δ.
Bertholdi vita 196. 197.
Bethlehemitica 221.
Beyerfeldensis 110. Sm. I. V. 166. O. V. α. β. 210. Tab. IV. 36.
Bilinensis 87. Mo. VII. I. 154. Li. I. I.
Bituminosae terrae ortus 252. 253.
Blaesensis 212. Tab. V. 16.
Blanckenburgica 99. B. VIII. IX.
Blosiensis 212. Tab. V. 16. sqq.
Bohemica 109. B. XVI. I. η. 147. Ma. V. 148. Ma. X. V. 206. sqq. Tab. IV.
Boleslauiensis 113. Arg. I. I. κ. II. α. III. κ.
Boli definitio 49.
differentia ab aliis terris 50.
species 94 - 110.
vocis origo 49.
Bononiensis 155. Li. IV. II.
Bornensis 136. Ma. II. XVI.
Brachmanum 234. Tab. X. 38.
Brechelwicensis 132. Ma. II. II. 154. Li. I. VIII. 159. Li. VIII. II. 204. Tab. III. 5.
Brembergensis 132. Ma. II. II.
Bristoliensis 172. U. III. ϑ.
Brundisiaca 206. Tab. IV. 1 sqq.
Brusnicensis 99. B. IX. VI. 108. B. XV. II. β. 204. Tab. III. 6.
Burckemundensis 154. Li. I. X.
Burckhartsdorfensis 97. B. V. VIII. 99. B. IX. IX.
Burdegalensis 93. Tr. VII. IV.

C.

Cadmia fossilis 179.
Calaminaris lapis 179.
Calcareae et gypseae terrae differentia 270.
terrae effectus in corpore humano 280. 282.
Calcis viuae generatio 261. 262.

Caloris ſubterranei actio in lapides 256. 257.
Caminecia 145. Ma. II. XVII. ϑ.
Candiae labyrinthus materiem lapideam exſudat 262.
Carolinarum thermarum 166. O. III.
Caſſelana 93. Tr. V. I. 96. B. III. II. ζ. et IV. 97. B. V. VII. 99. B. IX. VIII. 100. B. X. II. 108. B. XV. III. 117. Arg. IX. I. α. γ.
Caſſubica 165. Sa. II.
Catechu terra ſuccus vegetabilis 26.
Chanſdorffenſis 180. La. III. γ. δ.
Characteres definitionem terrae conſtituentes 18.
generum in terris difficiles 27. 28.
ad ſpecies et varietates adhibendi 77. 78.
terrarum a loco incerti 29.
ab vſu incerti 29.
Chemicorum terrae diſtinctio 31.
Chemnicenſis 90. Mo. XI. XVIII. 97. B. V. V. et VIII. 99. B. IX. VII. et IX. 108. B. XV. V. et VII. β. 110. B. XVIII. 116. Arg. V. II. 123. Arg. XIII. II. 124. Arg. XVIII. III. α. 147. Ma. VI. I. 155. Li. I. XIV. 158. Li. VII. IV. 160. Li. X. III.
Chia 182.
Chinenſis 153. G. VII. V.
Chremnicenſis 166. O. IV.
Cimolia 51. 52.
Cizenſis 113. Arg. I. I. ϑ. 114. Arg. I. IV. ν. 119. Arg. X. II. γ.
Claramontanus puluis 177.
Coa 183.
Coldicenſis 111. Sm. IV. IV. 113. Arg. I. I. γ. et II. η. ϑ. et III. β. 115. Arg. IV. I. α.
Collyrion 187. ſqq.
Colonienſis 151. G. I. VI. 152. G. III. II. 172. U. V. α.
Color diuerſus in terris vnde 271.
terrarum ab ochra dependet 70.
ſpecies tantum diſtinguit 37.
Cometauienſis 179. La. I. γ.
Cornubica 92. Tr. IV. II. 110. Sm. I. I.
Creiſſeldenſis 87. Mo. IX. VI. 90. Mo. XIII. II.
Cretae definitio 57.
a Wormio data examinatur 57.
differentia ab aliis terris 57. 58.
geneſis 268. 269.
nominis origo 57.
ex pyromacho illa non oritur 268.
ſpecies 150. 151.
terrae ſunt alcalinae 58.
Cubitana 164. H. X.
Curia variſca 108. B. XIV. VI. 159. Li. IX. I.

D.

Dachſelbergenſis 92. Tr. II. IV.
Daerweilenſis 122. Arg. XII. II. β.
Dalekarlica 122. Arg. XII. II. δ. i.
Dalmatica 105. B. XIV. I. γ.
Damaſcena 160. Li. X. I.
Danica 195. Tab. I. 1.
Dantiſcana 113. Arg I. I. μ.
Deckweilenſis 81. Mo. I. II.
Docimaſticum examen in terris dubium 245.
quae in terris oſtendat 272.
Dreſdenſis 86. Mo. V. IV. 114. Arg. I. IV. γ. 146. Ma. IV. II.
Dubenenſis 165. Sa. V.

E.

Efferueſcentia terrarum ſpecies tantum diſtinguit 36.
Egliſouienſis 98. B. VIII. V. 149. Ma. XI. VII.
Egrana 174. Tu. VI.
Ehrenfrieder ſdorffenſis 89. Mo. XI. XV.
Eperienſis 81. Mo. I. IV. γ. 146. Ma. III. V.
Eretria 183 - 185.
Erlachiana 207. Tab. IV. 4.
Eybenſtockienſis 87. Mo. IX. III. 156. Li. VI. I.

F.

Feckenhuſana 115. Arg. III. II. β. 116. Arg. IV. II. ϑ.
Fertilitas terrae vnde 6. 251.
Fichtelbergenſis 101. B. XIII. 147. Ma. VI. III. 156. Li. VI. V.
Finnlandica 178. Aren. V. β.
Finnonica 93. Tr. VII. VI. 153. G. VII. III.
Floetbecenſis 123. Arg. XIII. I.
Florentina 98. B. VIII. I. 213. Tab. V.
Fluminum inundationes terras mutant 260.
Foliata terra 168. Su. V.
Franckenhuſana 100. B. IX. XII.
Francofurtenſis 150. C. I. I.
Franconica 211. Tab. V. 1 ſqq.
Freybergenſis 88. Mo. X. I. 94. B. I. I. 113. Arg. I. II. β. 123. Arg. XIII. III. 124. Arg. XIV. II. 124. Arg. XVIII. I. β. II. III. ε. et V. α. β. 125. Arg. XIX. 154. Li. I. IX. 159. Li. VIII. VI. et VII. 180. La. IV. β.
Friabile corpus quid 18.
Fryburgenſis 90. Mo. XII. II.

G.

Galactites 41. 42.
Galaxia 43.
Gerana 95. B. II. II.
Gieshübelenſis 172. U. III. ζ. 209. Tab. III. 34.
Glaronenſis 83. Mo. IV. X. 86. Mo. V. V. 97. B. VI.
Glashuttenſis 87. Mo. VII. VI 112. Sm. VI. I. 156. Li. V. IV.
Glauchenſis 93. Tr. VII. I. 98. B. VII. III. 109. B. XV. VII. γ. 117. Arg. VII. II. β. et III. 118. Arg. IX. III. ε. η. 147. Ma. VIII. 155. Li. I. XV. 180. La. VI. β.
Glücksburgenſis 92. Tr. II. I.
Gluten terras coniungens 120.
Goerlicenſis 134. Ma. II. VII.

Goldber-

Goldbergenſis 83. Mo. IV. V. 95. B. III. II. α. 108. B. XV. I. γ. 109. B. XVI. I. δ. 116. Arg. IV. III. α. 132. Ma. II. IV. et III. III. 154. Li. I. VII. 159. Li. VIII. I. 195. Tab. I. 3. 200. Tab. I. 30. ſqq. 237. Tab. XI. 2.
Goslarienſis 97. B. V. IV. 99. B. IX. III. 149. Ma. XI. IV.
Graphii definitio 58.
ſpecies 151 - 153.
Grationopolitana 89. Mo. XI. V.
Grimmenſis 87. Mo. IX. IV. 112. Arg. I. I. β.
Grünhaynenſis 99. B. IX. X. 151. G. II. I. et II.
Grünſpergenſis 114. Arg. I. IV. η.
Grützingenſis 114. Arg. II. I. β. 117. Arg. VIII. I. η. 124. Arg. XVIII. III. β.
Gudenſis 112. Arg. I. I. α. 113. Arg. I. III. α.
Guelpherbitana 90. Mo. XII. IV.
Gypſeae et calcareae terrae differentia 270.
terrae effectus in corpore humano 282.

H.

Habſpurgica 91. Tr. I. IX.
Hainouienſis 114. Arg. I. IV. α. 118. Arg. IX. IV. η.
Halenſis 100. B. X. IV. 111. Sm. III. IV. 113. Arg. I. I. δ. et III. δ. 117. Arg. VIII. I. δ. 119. Arg. X. II. β. 122. Arg. XII. I. γ. 165. Sa. VII.
Hamburgenſis 91. Tr. I. VII. γ. 173. Tu. II. et III.
Harthenſis 87. Mo. IX. II. 112. Sm. VI. II. 113. Arg. I. III. γ. 124. Arg. XVIII. I. α.
Haſelana 237. Tab. XI. 2.
Haslauienſis 114. Arg. I. IV. β.
Heidelbergenſis 179. La. I. β.
Helſingica 86. Mo. V. III. 90. Mo. XIV. II. 93. Tr. V. IV. H. VII.
Heluetica 90. Mo. XII. III. 147. Ma. IX. 149. Ma. XI. V. 159. Li. VIII. VIII. 167. Sa. III. 179. Aren. VII.
Hercynica 123. Arg. XIV. I. et XV. 166. Mi. I. 178. Aren. VI. β.
Hieroſolymitana 222. Tab. VIII. 29. ſqq.
Hilberſdorfenſis 116. Arg. V. II.
Hildeſienſis 89. Mo. XI. XVII. 100. B. X. III. 180. La. VIII.
Hirſchbergenſis 119. Arg. X. III. γ.
Hohenſteinenſis 92. Tr. IV. III.
Hubertsburgenſis 241. Tab. XII. 26.
Humi affectiones 64. 65.
differentiae 251. 252.
varietates 162-164.
Hungarica 90. Mo. XIV. I.

I.

Iablonenſis 109. B. XVI. I. ζ. 148. Ma. X. VIII 207. Tab. IV. 5. ſqq.
Iamaicenſis 87. Mo. IX. V.
Iauorina 81. Mo. II. I. 202. Tab. II. 40. ſqq.
Ienenſis 95. B. II. I. 111. Sm. III. V. 113. Arg. I. I. ν 117. Arg. VIII. I. α. et IX II. α.
Ienowitzenſis 107. B. XIV. IV. 147. Ma. X. I. 203. Tab. II. 47. ſqq.
Ignis diuerſos in terris producit effectus 245.
ſubterraneus lapides mutat 256.
terram non mutat 19.
Iluana 94. B. I. III. 97. B. V. II. 99. B. IX. II. 108. B. XIV. V. 155. Li. I. XIII. 178. Aren. VI. α.
Inflammabilia a terris differunt 24.
Inflammabilis terra Beccheri 13. 14.
Infraſchaechenſis 151. C. IV.
Ipſenſis 112. Sm. V. III.
Islandica 153. G. VII. IV.
Islebica 92. Tr. III. II.
Italica 81. Mo. I. IV. β. 94. B. I. II. 108. B. XV. IV. 118. Arg. IX. V. α. 151. G. I. IV. 174. Tu. VIII. 178. Aren. II. β. et IV. α.

K.

Kellmüncenſis 93. Tr. VII. III. 116. Arg. IV. II. η.
Kulmenſis 109. B. XVI. II. α. 208. Tab. IV. 17.
Künnerſbergenſis 91. Tr. I. X. 115. Arg. III. I. II. α. IV. V. et IV. I. β. 119. Arg. X. V. δ. ε. ζ.

L.

Lac lunae 43. 44.
eius origo ex Wormii opinione 257.
ſpurium officinarum 87. Mo. VIII. I.
Landeshutenſis 156. Li. V. I.
Langeleubenſis 113. Arg. I. III. λ.
Lapides in aere libero mutantur 258.
aqua mutat 255.
arenarii a variis cauſſis deſtruuntur 258. 259.
calcarei diuerſo modo mutantur 261. 262.
exſciſſi in aere duriores euadunt 258.
in humum tranſeunt 259.
igne mutari poſſunt 256.
lamellati a terris differunt 22.
marte tincti facile ſoluuntur 258.
cum terris non coniungendi 20. 21.
a vaporibus mutantur 255. 256.
Lapidoſae terrae 76.
varietates 179. 180.
Lapis calaminaris 179.
fungifer 174 - 176.
varioloſus 180.
Laubacenſis 132. - 134. Ma. II. VI. 145. Ma. III. I. 151. G. I. II. 211. Tab. V. 5. ſqq.
Laubanenſis 242.
Laublingenſis 122. Arg. XII. I. β.
Lauchſtadienſis 166. O. I.
Lauenſis 87. Mo. VII. III.
Leiſnicenſis 118. Arg. IX. III. α.
Lemnia 118. Arg. IX. III. β. 136-144. Ma. II. XVII. 146. Ma. IV. VI. 148. Ma. X. IX. 219. Tab. VIII.
Leocenſis 82. Mo. IV. II.

Leuca 43.
Leucographia 43.
Leucopetrenſis 93. Tr. V. II. III. Sm. III. VI. 113. Arg. I. I. i. 117. Arg. VIII. I. β. et II. γ. 148. Ma. X. II.
Lignicenſis 108. B. XV. I. 113. Arg. I. I. ε. et II. γ. 116. Arg. IV. III. ζ. 132. Ma. II. III. 152. G. III. V. 155. Li. II. I. 200. Tab. I. 39. ſqq.
Lignum foſſile 169. 170.
Lipſienſis 111. Sm. IV. I. et II. 113. Arg. I. III. i.
Lithomargae definitio 62.
geneſis 262. 263.
nominis origo 63.
ſpecies 153-162.
Lithuanica 86. Mo. V. II. 116. Arg. IV. III. 9.
Liuonica 122. Arg. XII. I. α. 195. Tab. I. 2.
Luſatica 172. U. II. ζ.
Lutum 54.
fictile 53.
Lutzenenſis 93. Tr. V. VI.

M.

Magdeburgenſis 89. Mo. XI. VIII. 91. Tr. I. III. IV. et V. 93. Tr. V. V. 112. Sm. V. I. 168. Su. IV. β. 180. La. VI. α.
Magnipluſnicenſis 109. B. XV. VII. α. 205. Tab. III. 12.
Maldiuienſis 110. B. XVII. 159. Li. IX. II.
Mansfeldenſis 93. Tr. V. III. 111. Sm. III. I. 167. Su. II. 170. Su. VII.
Marckwerbenſis 117. Arg. VIII. II. α.
Margae definitio 54.
differentia ab aliis terris 55. 56.
geneſis 262. 263.
nomen diuerſis terris datum 55.
ſpecies 125-149.
Margam terram pinguem eſſe veteres docuerunt 54.
Margliſſienſis 243.
Maris fundus deſcribitur 266.
Mariaeburgenſis 172. U. III. δ.
Martisburgenſis 100. B. X. I. 117. Arg. VII. II.
Maslenſis 82. Mo. IV. I. 89. Mo. XI. IX. 96. B. III. II. η. 109. B. XV. VI. α. 119. Arg. X. I. β. 204. Tab. III. 7. ſqq.
Melia 185. 186.
Melina 185.
Melitenſis 83-86. Mo. V. I. 178. Aren. II. α. 179. La. II. 215. Tab. VI. 10. ſqq. Tab. VII. 1. ſqq. 236. Tab. XI. 1. 238. Tab. XI. 21. 242. Tab. XII. 29. ſqq.
Melitites 42.
Memmingenſis 92. Tr. II. III. 241. Tab. XII. 25.
Meranenſis 114. Arg. I. IV. 9.
Mercurialis terra Beccheri 14.
Metallicae terrae 67.
Metallorum a terris differentia 24. 25.
Methodi terrarum delineatio 38.
difficultates 16.
Milchheimenſis 113. Arg. I. II. i.
Minerae comminutae 71. 166.
Mitweydenſis 88. Mo. X. II. III. Sm. IV. V. 114. Arg. I. IV. ζ.
Moenchenſteinenſis 86. Mo. V. VI. et VII. 105. B. XIV. II. 119. Arg. X. III. α.
Molucca 122. Arg. XII. II. α.
Molybdena ad terras non referenda 26.
Mondituli 118. Arg. IX. IV. γ.
Montanus terrarum Sileſiacarum inuentor 9.
Montis acuti 197. Tab. I. 9.
fracti 80. Mo. I. I.
Morochti affectiones 46.
color a veteribus varius deſcribitur 40. 41.
definitio 39.
differentia a reliquis terris 39. 40.
geneſis 261.
ſpecies 80-91.
ſynonyma 40.
Moſcouica 116. Arg. V. I.
Moskauienſis 95.
Münſterbergenſis 111. Sm. III. II. 113. Arg. I. III. ε.

N.

Neoſolienſis 118. Arg. IX. II. δ. 135. Ma. II. XI. 219. Tab. VIII. 1.
Nericica 94. Tr. VII. VII. VIII. et X. 112. Sm. IV. VI. 113. Arg. I. II. δ. IV. ε. κ. λ. π. ρ. σ. 115. Arg. IV. II. γ. et III. β. δ. ε. η. Arg. V. III. 118. Arg. IX. II. ε. III. γ. IV. α. et VI. β. 119. Arg. X. V. β. γ. 123. Arg. XII. II. ε. ζ. 164. H. XII. 172. U. I. α. β. II. δ.
Nicolſtadienſis 159. Li. VIII. V.
Nigricae conuenientia cum Rubrica 61.
ſpecies 152-153.
Nihil album ſpurium 87. Mo. IX. I.
Nobarſowenſis 205. Tab. III. 13.
Nomina terris veteres ab accidentibus tribuerunt 17. 28.
Northantonienſis 99. B. VIII. VII. β. 110. Sm. I. II. 115. Arg. IV. I. δ.
Nucerana 82. Mo. IV. IV. 214. Tab. VI. 1. ſqq.
Numburgenſis 116. Arg. VII. I. 117. Arg. IX. II. β. 122. Arg. XI. II. 172. U. III. i.

O.

Ochra colores terris inducit 70. 271.
de ea Plinii locus explicatur 68.
ad terras referenda 25.
a veteribus varie deſcribitur 68.
Ochrae idea vera 69. 70.
ſpecies 165. 166.
vocis origo 67.
Odor terras non diſtinguit 19.
terrarum vnde 272.
Olſnitienſis 159. Li. VIII. III.

Orebroenſis 115. Arg. IV. II. δ.
Oſnabrugenſis 153. G. VII. I.
Oſteocolla quid 45. 46.
Oſtrobothnica 178. Aren. VI. γ.
Oſtrogothica 86. Mo. V. III.
Oxonienſis 115. Arg. II. II. β.

P.

Pappenheimenſis 119. Arg. X. I. γ.
Paraetonium 186.
Parthenia 189-191.
Paſſauienſis 113. Arg. I. I. ζ.
Penſyluanica 91. Mo. XV. 98. B. VIII. IV. 160. Li. X. V.
Peterſdorfenſis 203. Tab. III. 3.
Petzenſteinenſis 109. B. XV. I. γ.
Pirnauienſis 154. Li. I. II.
Pirnenſis 146. Ma. III. IV. 154. Li. I. V. 167. Su. IV. α.
Planicenſis 158. Li. VII. II. 160. Li. X. VI. α. 179. La. III. α. et β.
Plantae non aqua ſola nutriuntur 249.
Pnigites 61. 62.
Podolica 125. Ma. I.
Poenigenſis 96. B. III. II. λ.
Portenſis 148. Ma. X. III.
Pruſſica 91. Tr. I. VII. α. 165. Sa. III. 171. Su. VIII.
Puteolana 166. Su. I.
Pyromachi ex Creta geneſis 268.
Pyromachus in Creta 150.

Q.

Quedlinburgenſis 113. Arg. I. III. ζ.
Querfortenſis 119. Arg. X. II. ε. 121. Arg. XI. I.

R.

Radiſenſis 113. Arg. I. III. η.
Rammelsburgenſis 124. Arg. XVIII. III. γ.
Rebicenſis 145. Ma. III. II.
Reichenbacenſis 89. Mo. XI. IV.
Reichenſteinenſis 168. Su. VI. δ.
Repperſdorffienſis 96. B. III. II. δ. 99. B. IX. IV. 108. B. XV. I. δ.
Rhotomagenſis 93. Tr. VII. IV.
Rochlicenſis 154. Li. I. XII. 156-158. Li. VII. I. 159. Li. VIII. IX.
Roechlicenſis 96. B. III. II. β. 99. B. IX. V. 108. B. XV. II. α. III. Sm. III. III.
Ronneburgica 153. G. VII. II.
di Roſa 156. Li. VI. IV.
Roslagica 90. Mo. XI. XIX. H. VII.
Roſwinenſis 110. Sm. I. III.
Rubrica arte praeparata 61.
ad Graphium referenda 59.
et nigrica coniungenda 61.
Rubricae durities diuerſa unde 61.
et ſinopis differentia 60.
ſpecies 152.
Ruſſica 91. Tr. I. VIII.

S.

Sabuli et terrae differentia 253. 254.
Salfeldenſis 88. Mo. XI. I. et II. 152. G. III. I. 172. U. II. α. et III. ε.
Salia a terris diſtinguuntur 23
Salinae terrae 66. 67.
varietates 164. 165.
Salisburgenſis 89. Mo. XI. XIV. 156. Li. VI. III.
Samia 187-189.
Sangerhuſana 148. Ma. X. VI. 152. G. IV. II.
Santilena 146. Ma. IV. III.
Sapor terras non diſtinguit 19.
terrarum vnde 271. 272.
Sardinica H. VIII. β.
Saxoniae miraculoſa terra 161.
Scaphuſana 118. Arg. IX. II. γ.
Schaumburgica 112. Sm. V. IV.
Schiſti nigri reſolutio in aere 259.
Schkeudicenſis Tu. VII.
Schmiedebergenſis 164. Sa. I.
Schnabelbergenſis 123. Arg. XIV. III.
Schneebergenſis 88. Mo. XVIII.
Schoenauienſis 135. Ma. II. XV.
Schoenfeldenſis 91. Tr. I. II. 92. Tr. II. VIII. 113. Arg. I. I. μ.
Schoenhübelenſis 172. U. II. ε.
Schwartzenbergenſis 172. U. I. γ. II. η. 9. III. β. et IV. α. 173. U. V. γ. 180. La. V. 210. Tab. IV. 36.
Schwiednicenſis 89. Mo. XI. XII.
Seichauienſis 132. Ma. II. V. 203. Tab. III. 1. 2.
Selinuſia 191. 192.
Semimetalla a terris differunt 26.
Serueſtana 90. Mo. XII. I. 95. B. III. I. 171. Su. IX.
Seyferſdorffenſis 110. Sm. I. IV.
Siberienſis 89. Mo. XI. XIII. 93. Tr. VII. II. 98. B. VIII. VII. α. 149. Ma. XI. VI.
Sicula 168. Su. V.
Sielberbergenſis 210. Tab. IV. 35.
Sienenſis 87. Mo. VIII. II.
Sil 69.
Sileſiaca 98. B. VIII. III. 119. Arg. X. II. η. 239. Tab. I. et XII. 1. ſqq.
Sinica 234. 235. Tab. X. 39. 41.
Sinopis Plinii quid 59. 60.
et rubricae fabrilis differentia 60.
Smalandica 164. H. IX. 178. Aren. IV. 3.
Smalcaldenſis 135. Ma. II. XIII.
Smectidis ab Argilla differentia 51.
definitio 51.
ſpecies 110-112.
vocis origo 51.
Solmenſis 211. Tab. V. 5. ſqq.
Sommerfeldenſis 90. Mo. XIII. I.
Sonneburgenſis 172. U. III. α.
Spadana 166. O. II.
Specierum exhibendarum norma 79.
Stalactites 88.
Steatites 59.
eius ſpecies 151.

Steinauienſis 119. Arg. X. I. α.
Stelechites ab oſteocolla differt 45. 46.
Stetinenſis 150. C. I. II.
Stockhornienſis 81. Mo. I. III. et IV.
Stollbergenſis 117. Arg. VIII. IV. 178. Aren. IV. γ.
Stolpènſis 82. Mo. IV. III.
Strigonienſis 126-131. Ma. II. I. 154. Li. I. VI. 198. Tab. I. 10. ſqq.
Sudermannica 116. Arg. IV. II. ε.
Suecica 114. Arg. I. IV. i. 118. Arg. IX. V. β. 146. Ma. III. VI.
Sulphureae terrae 71. 72.
varietates 166-171.
Syriaca 122. Tab. VIII. 27. 28.

T.

Tenſchee 235. Tab. X. 41.
Terra alba in maris fundo reperiunda 266.
aſpera 33. 34.
di Baira 177. 178. Aren. I.
denſa 32.
elementaris 10. 11. 246.
fatiſcens 35. 36.
inflammabilis Beccheri 13. 14.
macra 33.
mater dicta 2.
mercurialis Beccheri 14.
mollis 33. 34.
pinguis 33.
rara 32.
di Roſa 156. Li. VI. IV.
ſiticuloſa 35. 36.
vitreſcens Beccheri 12. 13.
Terrae in animalibus mutationes 250.
an argentum contineant 273.
argillaceae vires in corpore humano 282. 283.
calcareae effectus in corpore humano 280. 282.
geneſis 269. 270.
et gypſeae differentia 270.
definitio 20.
ex quibusnam characteribus conſtituenda 18.
digitos inquinant, vel non 34. 35.
dubiae cur pertractentur 64.
fertilitas unde 6. 251.
gypſeae effectus in corpore humano 282.
ab igne non mutantur 19.
ab inflammabilibus differunt 24
cum lapidibus non coniungendae 20. 21.
ex lapidibus oriuntur 254 ſqq.
lapidoſae 76. 179. 180.
linguae adhaerent vel non 36.
martialis vires in corpore humano 283. 284.
vt medicina nimium laudatae 277.
a metallis differunt 24. 25.
ruralis diuerſitas 251. 252.
et fabuli differentia 253. 254.
ſanctae 222. Tab. VIII. 29 ſqq.
an ad ſanguinem perueniant 292-294.
Terrae a ſemimetallis differunt 26.
ſignificatus varius 3.
ſolutio per aquam 19.
ſtratà diuerſa unde 247. 260.
ſulphureae 71. 72. 166-171.
tranſitus per tria naturae regna 1. 248-250.
in vegetabilibus mutationes 248.
vliginoſae geneſis 252.
vocis ortus 4.
Terrarum characteres a loco et vſu deſumti incerti 29.
color ſpecies diſtinguit 37.
conſiderationis initia et incrementa 6-8.
cuti applicatarum effectus 285-289.
diſtinctio a chemicis propoſita, in methodo non adhibenda 31.
in genuinas, dubias et ſpurias 31.
in puras et impuras 30.
in ſimplices et compoſitas 30.
doeimaſticum examen dubium 245.
efferueſcentia ſpecies diſtinguit 36.
generum characteres difficiles 27. 28.
methodi delineatio 38.
difficultates 16.
nomina a veteribus ab accidentibus deſumta 17. 28.
phyſica cognitio difficilis 244. 245.
ſpecierum norma 79.
ſpecies qua ratione conſtituendae 77.
varietates quomodo conficiendae 78.
vires difficile cognoſcendae 276. 277.
qua ratione indagandae 278. 279.
in primis viis 289-292.
in ſanguine 294-298.
vſus varii 275.
Tettauienſis 98. B. VIII. II.
Tigurina 81. Mo. II. III. 92. Tr. II. VII. et III. I. 122. Arg. XI. V. 150. C. II. III.
Toccauienſis 106. 107. B. XIV. III. 135. Ma. II. XII.
Tophi generatio 256. 257.
ad lapides et terras referendi 22.
Torgauienſis 158. Li. VII. III.
Tribelenſis 115. Arg. III. II. β.
Tripelae color 48.
a Creta differentia 47.
definitio 47.
geneſis 265.
cur poſt Morochtum ponantur 47.
ſpecies 91-94.
vocis origo 47.
Turfi affectiones 74.
generatio 252. 253.
varietates 173-176.

V.

Valeſiana 81. Mo. I. V.
Veldenſis 134. 135. Ma. II. IX.
Veneta 92. Tr. IV. I. 151. G. I. I.
Creta ad Graphium referenda 59.
Veronenſis

Veronenſis 155. Li. IV. I.
Vicentina 98. B. VII. II.
Viennenſis 100. B. XI. XIII.
Vitreſcens Terra Beccheri 12. 13.
Vliginoſae terrae origo 252.
Vmbrae geneſis 253.
proprietates 72. 73.
varietates 171-173.
Vnicornu foſſile ad terras non pertinet 46.
Vplandica 91. Tr. I. XII. 115. Arg. III. III. 116. Arg. IV. II. α. 118. Arg. IX. IV. β. 122. Arg. XI. III.
Vpſalienſis 91. Tr. I. XI. 93. Tr. VII. V. 94. Tr. VII. IX. 116. Arg. IV. II. i. 118. Arg. IX. VI. δ.
Vrinenſis 109. B. XVI. I. ε.

W.

Waldeckenſis 124. Arg. XVIII. III. δ.
Waldenburgenſis 96. B. III. II. κ. 97. B. V. I. 99. B. IX. I. 109. B. XVI. II. β. 114. Arg. I. IV. μ. 152. G. IV. I.
Wartenbergenſis 155. Li. III.
Weidenſis 117. Arg. VIII. I. γ. 160. Li. X. II.
Wermelandica 89. Mo. XI. VI. 92. Tr. IV. IV. 113. Arg. I. I. λ. II. ε. et III. ϑ.
Wermelandica Arg. 114. II. IV. δ. 115. Arg. IV. II. α. ζ. et III. γ. 119. Arg. X. V. α. 118. Arg. IX. III. δ. IV. δ. ε. V. γ. et VI. α. γ. 123. Arg. XII. II. η. ϑ. 149. Ma. XI. I. et II. 178. Aren. III. 179. Aren. VIII.
Weſtmannica 94. Tr. XII. XI. 146. Ma. III. VI. α. 173. Tu. IV.
Weſtrogothica 153. G. VII. V.
Wettinenſis 91. Tr. I. I.
Winckelhaydenſis 114. Arg. I. IV. ζ. 119. Arg. X. II. ϑ. 122. Arg. XII. II. γ.
Witebergenſis 164. H. VIII. et Sa. I.
Wolckenſteinenſis 89. Mo. XI. VII. 124. Arg. XVI. 154 Li. I. IV.
Woldorpenſis 92. Tr. II. VI.

Z.

Zellerfeldenſis 117. Arg. VIII. I. ζ.
Zittauienſis 146. Ma. IV. V.
Zwickauienſis 96. B. III. II. ϑ. 100. B. XI. 119. Arg. X. II. α. 147. Ma. VI. II. 155. Li. II. II. 159. Li. VIII. IV. 160. Li. X. VI. 172. U. IV. γ. 179. La. III. 239. Tab. XII. 6. 7.

* *

LIPSIAE,
IMPRIMEBAT VLRIC. CHRISTIAN. SAALBACH.

5134794
7 JA 15

57-39/53c